



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>



4° Acton.

Pentimiglia

643.

B<sup>20</sup>

PP.1789

9

**<36624495670017**

**<36624495670017**

**Bayer. Staatsbibliothek**





Andrea Felice Bonati Parabi: inv. et delinavit.



# HISTORIA CHRONOLOGICA

PRIORUM GENERALIUM LATINORUM

Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo

I N Q U A

Vitæ, gestaque eorum, atque res memoratu digniores,  
quæ sub singulorum acciderunt Regimine,  
breviter describuntur.

A U C T O R E

F. MARIANO VENTIMIGLIA


Ejusdem Ordinis Ex-Generali Priore



Carmeli  
i 7

Abenspergani  
9 3.

N E A P O L I MDCCLXXIII.  
EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA  
SUPERIORUM PERMISSU.



*Nihil verum putant ; nisi quod auditu surus est ; nihil credibile ; nisi  
quod potest incutere voluptatem . Nemo enim rem veritatem ponderat ,  
sed ornatu .*

Lactantius Firmianus lib. v. de Divin. Institut. cap. I.

**EMINENTISSIMO PRINCIPI  
ANDREÆ CARDINALI CORSINO  
UNIVERSI CARMELITANI ORDINIS  
PROTECTORI.**

**F. MARIANUS VENTIMIGLIA FELICITATEM.**



Uum Volumen hoc meum publici  
juris facere statuisse , dubiusque  
hærerem , an illud optimi alicujus  
Mecœnatis nomine exornarem : ea  
potissimum caufsa , ut lucem , quam  
consequi ab Auctore non poterat ,  
sibi procul dubio compararet ; ec-  
ce fortunatissimus ab alma Urbe Neapolim perve-  
nit nuncius , Te , EMINENTISSIME PRINCEPS , a fe-  
a 2 lici-

liciter regnante Pontifice Maximo Clemente XIV. universi Carmelitani Ordinis Patronum fuisse constitutum: id quod nedum ingenti me, cunctosque Sodales meos affecit gaudio, sed hærentem animum induxit meum, quin immo ad illud præclarissimo Nomini tuo inscribendum impulit, coegeritque. Ratus Librum, qui de Supremis Carmeli Præsulibus agit, ejusque Historiam exhibit, Viro inclyto, qui inter Ecclesiæ Purpuratos pietate, doctrina, prudentia, omnique virtutum genere veluti fulgidissimum sidus effulget, jure meritoque consecrandum esse; atque sub Auspiciis illius pervulgandum, qui universo Carmelitano Instituto Præsidium est, ac Tutela.

Præterea nobilissimæ, clarissimæque Corsinorum Familiæ tuæ quot quantisque nominibus Carmelitana Religio sit obstricta, quis est, qui ne sciat? Sileo per celebrem Ædiculam mira arte elaboratam, selectisque marmoribus exstructam, qua Gens tua Templum nostrum Florentinum exornavit; quamque nostris hisce temporibus igne penitus consumtam, maxima cum pietate, atque munificentia pulchriorem nunc reædificare dignatur. Sileo Gratias, ac Privilegia, quibus totum Ordinem nostrum æternæ memoriæ magnus Patruus tuus Clemens XII. P. M. cumulavit. Prætereo tandem innumera alia & a Te, & a Majoribus tuis in Nos largiter collata beneficia; & illud unum, quod inter cetera maximum duco, in medium

pu-

proferam; nempe Sanctissimum Fesulanum Episcopum ANDREAM CORSINUM, Ecclesiæ Catholicæ fulgentissimum lumen, Sacrorum Antistitum honorem, ac decus, atque universi Carmeli nostri insigne ornamentum, & gloriam. Illud namque, cuius Tu, & nomine insigniris, & egregias virtutes æmularis, inclyta Corsinorum Familia Carmelitano Ordini prætulit, atque donavit.

Hæc omnia, CARDINALIS AMPLISSIME, quum mecum animo reputarem, effecerunt, ut hasce meas male contextas lucubrations præclarissimo Nomini tuo nuncupare, ausus sim, tum in obsequentissimi animi mei tesseram, tum in totius Ordinis mei grati animi monumentum. Munus quidem, si id ipsum, & donatorem spectes, parvum; si vero argumentum, & offerentis obsequium, haud exiguum. Reliquum igitur est, EMINENTISSIME PRINCEPS, ut ea, qua polles, & me semper complexus es, humanitate, illud, qualecumque sit, benignus excipias, uti demisse oro, atque affligito. Interim Vale, & Christianæ Republicæ D. O. M. Te diu servet incoludem.



# UNIVERSIS CARMELITICI ORDINIS CULTORIBUS.



Olatus jam, singulari D. O. M. beneficio, molestissimis curis, quibus Roma detinebar, & ad pristinam cellulæ meæ quietem, mihi sole vacaturus, revocatus; tum ne mei Ordinis, qui mihi illum benigne elargitur, panem ociosus comederem, tum ut Carmeliticæ nostræ Regulæ, uti par æquumque est, morem gererem, cunctis præcipienti: Faciendam est vobis aliquid operis, ut vos semper Diabolus inveniat occupatos (a); quæ inter opera Valdensis noster contra VViclefum (b), docere, prædicare, atque etiam scribere aliquod opus recenset; parvum hoc Volumen subsicivis horis conscribere, prout ingenii mei, quod sentio, quam sit exiguum, imbecillitas passa est, constitui. Illud in præsentiarum a me Vobis offertur, atque dicatur. Eo omnes fere res, memoratu saltens digniores, comprehenduntur ad Carmelitici Ordinis Historiam pertinentes, septem bisce ultimis, ac posterioribus sæculis gestæ, & quæ apud ponderosa, magna que molis nostrorum Scriptorum Volumina, hinc illinc dispersæ, ac dissipatæ vagantur.

Quod si caußam a me quæsieritis, quamobrem ad id confiendum animum induxi meum; paucis eam nunc vobis expediam. Ab anno usque 1715. eximius noster P. M. Carolus Caporalis, bujusmet Cœnobis, in quo ego moror, Alumnus, in lucem edidit Tabulas Chronologicas Supremorum omnium nostri Ordinis Latino-rum Præfulum, cum eorumdem Iconibus ex coævis tabulis, sarcophagisque accurato studio depromptis, atque eleganti stylo exaratis. Ne itaque hoc insigne Opus, quod summo labore, ac dispensio

(a) Cap. XIV.

(b) Doctrinale Fidei lib. IV. cap. XXV.

dio ejus Auctori stetit ; ulla umquam deleret oblivio : quinimmo,  
ut utilius omnibus , & illustrius redderetur , operæ pretium me  
facturum existimavi , si Moderatorum Imaginibus , aliorum additis ,  
quæ desunt , brevem eorumdem vitæ Synopsim attexuissim .

Hæc animo volventi , visum deinde est , majorem me a Le-  
ctoribus gratiam initurum , ac rem effecturum iisdem jucundiores ,  
multoque acceptissimam , si Moderatorum vitæ addidisse breve  
rerum insigniorum , digniorumque memoria compendium , quæ , illis  
totius Ordinis Clavum tenentibus , contigerunt , methodo Chronolo-  
gica digestarum ; earum præcipue , quæ redolent pietatem , tum  
quæ Juvenibus majori sint incitamento , acrioresque stimulos adjiciant  
ad exempla preeuentia imitandum ; ac præcipue ad cul-  
tum erga SS. Dei Genitricem Mariam magis magisque augendum ,  
quæ nostri Sacri Ordinis potissima Patrona est , ac Mater :  
uti innumera , quæ sparsim in hoc Opere sumus dicturi , satis lu-  
culenter ostendunt .

Ea de caufa Historiæ Chronologicæ titulo illud donavi . At-  
que hic potissimum scopus fuit , quo cogitationes meas collineavæ ,  
& quo conscribendi bujus Operis consilium directum est .

Quoad stylum , ac dicendi genus , me illud sectari voluisse  
omnes sciant , quod Juvenum nostri Ordinis captui , & intelligentiæ  
effet aptius , atque facilius : & melius est , ut nos repre-  
hendant Grammatici , quam non intelligent Populi , uti nos  
docet S. Augustinus (a) ; quum etiam memoria teneam , quod scripsit  
Robertus Pontanus : Historia quo purior est , & illustrior , eo  
brevitate dulcius nihil habet , nihil veritate charius , nihil  
fraude , & garrulitate , mordacitateque indignius (b) .

Accipite vos interim grato animo , quod grate vobis exhibeo ; &

Pro mercede , Patres , vestros deposco precatus  
Ad Dominum fusos , purget ut omne nefas .

NOS

(a) In Psal. CXXXVIII.

(b) Lib. I. rr. mirab. Orb.

# NOS F.R. JOSEPH ALBERTUS

X I M E N E Z,

*Sacrae Teologie Magister, & Doctor, humilis Prior Generalis, necnon Commissarius, ac Visitator Apostolicus totius Ordinis Fratrum Beatissimae, semperque Virginis DEI Genitricis MARIAE de Monte Carmelo Antiquae Observantiae Regularis.*

**A**uctoritate nostra, tenore presentium, licentiam concedimus Reverendiss. A. P. Magistro Mariano Ventimiglia Exgenerali Ordinis nostri edendi in publicam lucem librum a se concinnatum sub hoc titulo: *Historia Chronologica Priorum Generalium Ordinis Beatisissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo*. In qua vitae &c. &c. revisum equidem, & jam probatum ab iis, quibus de hoc curam demandavimus; servatis tamen aliis de jure servandis. Datum in Regio Carmelo nostro Matritensi die 2. Aprilis 1772.  
Fr. Ioseph Ximenez General.

## APPROBATIO ORDINIS.

**O**pus, cui titulus: *Historia Chronologica Generalium &c. a Rev. P.M. nostro Generali Ex-Priore Mariano Ventimiglia elaboratum*, attenti, & magna cum voluptate lustravimus, nihilque prorsus in eo Fidei Orthodoxæ, bonisque moribus adversum, vel absonum animadvertisimus; quinimo Auctoris pietatem, eruditionem, stylique nitorem, atque elegantiam admirati sumus, quo brevi simul, ac dilucido calamo, quæ ab aliis pluribus, & magnæ molis comprehenduntur libris, uno in volumine contraxit Universi Ordinis monumenta. Illud tantummodo dolendum maxime occurrit, quod inter cæterorum Carmeli Præsulum laudes, quas ipse luculenter congerit, illæ desiderentur, quæ Auctori cumulatissime congruunt. Silentio siquidem prætermittuntur egregriæ ejus animi dotes, ipsius genus, doctrina, totque præclara gesta, quibus Religionem suam illustravit, decoravitque. Quamquam quæ modo percelebrem Vi- rum magnopere extollunt, tam eximia sunt, ut ipsorum memoriam excidere prorsus difficile videatur. Opus igitur, Carmelitis præcipue tam utile, ac necessarium, prælo non tantum, sed præconio dignum esse censemus.

Datum ex Carmelo Majori Neapolis die 1. Julii 1773.

F. Joannes Tufano S.T. Mag. Exprov., & Prior Carm. Maj.

F. Seraph. Maria Ciroffi S. T. Mag., Def. Perp., & Studiorum Praef.

b

Adm.

*Adm. Rev. Dominus D. Jacobus Martorellius S. Th. Professor & in Regia Universitatæ Antecessor revideat, & in scriptis referat. Datum die 27. Aprilis 1773.*

F. XAVER. EPISC. VENAFR. VIC. GEN.  
JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

**S**I ammirerà la lunga pena, che ha sofferta l'Autore di questa Storia Cronologica del rispettabilissimo Ordine de' Carmelitani in unire la serie di tanti PP. Generali: i Religiosi avranno luminosi esempi, e moltissimi di virtù da imitare, e quei del secolo ancora. Si desiderava una tal Opera per decoro d'un sì antico, e ragguardevole Instituto. Sarà anche di lode all'Autore per ragion dello stile, essendo scritta in Latino Ecclesiastico linguaggio, che piace, e non sì comune, nè giusta la condizione de' tempi, e de' luoghi: quindi se ne può permettere la stampa. Napoli 30. Giugno 1773.

*Umilissimo divotissimo servo  
Giacomo Martorelli.*

*Attenta relatione Domini Revisoris imprimatur. Datum die 18. Augusti 1773.*

F. XAVER. EPISC. VENAFR. VIC. GEN.  
JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

*Adm. Rev. U. J. D. D. Augustinus Gregorius Golinus in hac Regia Studiorum Universitatæ Professor, revideat & in scriptis referat. Datum Neapoli die 24. Februarii 1773.*

NICOLAUS DE ROSA EPISC. PUTEOL. CAP. MAJ.  
ILLUSTRISIME PRÆSUL.

**I**N *Historia Chronologica Generalium Carmelitanum*, quam jussui tuo obtemperatus, Illustrissime Præsul, diligenter perlegi, series Priorum Generalium Ordinis Carmelitani accurate describitur, & præterea facta quædam memorabilia, quæ sub eorum Regimine contigerunt, breviter, ac perspicue narrantur. In ea nihil occurrit, quod vel Sacrae Majestatis juribus obstat, vel morum integritati, sed multa sparsim leguntur, quæ ad monasticam disciplinam corroborandam, & ad Beatissimæ Virginis Deiparæ cultum promovendum conducibilia sunt; idcirco edendam existimo, modo hæc mea sententia tua auctoritate firmetur. Neapoli 11. Kal. Junias An. MDCCLXXIII.

*Addictiss. & obsequientiss.  
Augustinus Gregorius Golinus.*

Die 11. mensis Augusti 1773. Neapoli.

*Viso Rescripto Sua Realis Majestatis sub die 7. mensis currentis, & anni, ac relatione Rev. U. J. D. D. Augustini Gregorii Golinio, de commissione Rev. Regii Cappellani Majoris ordine præfatae Realis Majestatis.*

*Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli ac approbationis dicti Rev. Revisoris; verum in publicatione servetur Regia Pragmatica. Hoc suum.*

VARGAS MACCIUCCA. FERRI.

Vidit Fiscus Regiæ Coronæ.

*Ill. Marchio Citus Præses S. R. C., & cæteri Ill. Aularum Præfecti tempore subscriptionis impediti.*

Athanasius.

Registr. Carulli.





Noster Princeps ELLAS, noster ELISÆVS, nostri Duces Filij Prophetarum

D. Hieronymus Ep. ad Paulinum

Franciscus Solimarus inv. et pinxit. Arnoldus van Westerhout Sereniss. Cœlitud. Francisci Farnesij Parm. et Plac. Ducis Sculptor fecit Ram. sp.

# M A G N O P R O P H E T Æ E L I Æ

Monaftici Instituti Antesignano, Ordinisque Carmelitani Duçi ac Patri.

H Y M N U S.

**N**unc juvat celsi properare ad alta  
Mente Carmeli juga: & ore pleno  
Vatis Eliæ meritos referre  
Laydis honores.  
Hic sacri est DUCTOR, COLUMEN, decusque  
Ordinis nostri, Superisque gratus:  
O PATER, salve, placidus tuosque  
Excipe Alumnos.  
Dum fames terras premeret, ministro  
Uteris corvo (a): Viduæ farinam  
Sufficis solers; oleoque manat  
Hydria pingui (b).  
Tu, Deo fusis precibus, reductum  
Finibus mortis puerum parenti  
Illiis reddis viduæ; senectæ  
Dulce levamen (c).  
Claudis & nubes, aperisque verbo,  
Imperas post tres properanter annos,  
Decidunt Cælo, sitiensque tellus  
Hauriat imbres (d).  
Te triumphali super alta curru  
Ignis vectum celeres quadrigis  
Angeli attollunt, nimium corusca  
Luce micantem. (e).  
Unico Æterni Patris adfuisti  
Filio testis, socius fidelis  
Mosis, in summo positus Thaboris  
Vertice Montis (f).

b 2

Nos

(a) 3. Regum 17. 6.

(b) Ibid. 17. 16.

(c) 17. 22.

(d) 17. 1. & 18. 43.

(e) 4. Reg. 2. 11.

(f) Matth. 17. 3.

Nos tui præsens clypeo favoris;  
Ac tua magna bonitate fretos,  
Suplices dextra famulos benignus

Protege semper.

*Ex ejus Officio ad Vesperas.*

„ DUCEM , COLUMEN , & PATREM Carmelitani Ordinis esse  
„ Sanctum Prophetam Eliam , ab eoque immediatam successionem du-  
„ cere Carmelitas , Probationes , quæ sequuntur (*inquit noster Leo Rbe-*  
„ *donensis in Epistola ad Lezanum*) ita suadent , ut quemlibet nisi ob-  
„ stinatissimum possint , opinor , persuadere . Prima [ *sunt verba illius* ]  
„ est Traditio per manus ad nos usque hæreditaria .

„ II. Immemorabilis Possessio : quando enim intruserunt se Nostri  
„ in ejusmodi possessionem , notent mihi adversarii .

„ III. Expressus Populi consensus , & saltem tacitus aliorum Ordini-  
„ num ; in queis nullus originem direcie arcessit ab Elia , qui sane  
„ juxta Patres totius Monastici Instituti Primarius est Author .

„ IV. Nomenclatura Carmelitarum , quæ cum Carmelo , locisque  
„ circumiacentibus convenit .

„ V. Festivitas celebris , specialisque Eliæ Patris nostri , ac Pa-  
„ triarchæ : & illa quidem in antiquissimis nostris Breviariis præscripta .

„ VI. Auctores permulti tum exteri , tum domestici , qui jurant  
„ in hanc veritatem .

„ VII. Adversarii nullum Corpori nostro *Caput* constanter fingere  
„ queunt . Nam & Albertus Patriarcha , Regulam scripsit Fratribus  
„ juxta fontem Eliæ habitantibus : & iis quidem id enixe petentibus ,  
„ quod patet in ipsius Prologo ; ergo Carmelitæ præiverunt Alberto .  
„ Et Aymericus , etiam aliena confessione , memoratur Eremicolas hinc  
„ inde in unum collegisse . Si non erant , quomodo collecti ? Si collec-  
„ eti , quomodo noviter instituti ? Id enim , quod non est , colligi non  
„ potest ; siquidem ex nihilo fit nihil . An colligere , instituere est ;  
„ cum istud dicat initium , illud additamentum ? Instituere sit primo  
„ formantis ? Colligere secundo sit quasi reformatis ? Ergo nec Ayme-  
„ ricus , nec Albertus Auctores nostri , & Institutores . Ergo vel nul-  
„ lus , vel Elias . Si Elias , stomachus & ilia rumpuntur Adversariis .  
„ Si nullus ; inauditum certe est , ne quid dicam acerbius , corpus ha-  
„ beri *αχέραλον* . In luce , inquam , Ecclesiæ , Religionem absque ullo  
„ Institutore .

„ VIII. Probatio , quæ herbam porrigere cogit Anti-Carmelitas  
„ [ præsertim si bene , ac probe Catholici , & Matris Ecclesiæ filii non  
„ adul-

„ adulterini ] Dogmata sunt ; Decreta , & Bullæ Summorum Pontificum . In illis præcipui Joannes XXII. Sixtus IV. Julius III. Pius V. „ Gregorius XIII. Sixtus V. Clemens VIII. Illi enim omnes disertis „ verbis Eliæ , & Elisei hæreditariam successionem Carmelitis authenti- „ ce confirmant .

Hisce addi posset Pontifex Benedictus XIII. qui anno 1725. mar- moream S. Eliæ Statuam in Basilica S. Petri Romæ alios inter Religio- forum Ordinum Fundatores , & Patriarchas Pontificio Diplomate erigi concessit , cum inscripto propria ipsius P. M. manu isto Titulo

*Universus Ordo Carmelitarum Fundatori suo Sancto Elie Prophetæ erexit.*

„ IX. Martyrologia Molani , & Joannis Gilemani .

„ Tandem ne deessent divina e Cælo testimonia , præter alias Revela- „ tiones plurimas , Beatissima Virgo Joanni XXII. P. M. & S. Petro „ Thomæ revelavit Carmelitarum initia ad Eliam esse referenda .

„ Sed quæret nonnemo , quanam Serie hæc Eliadum Successio pro- „ pagata fuerit ? Fateor liquido responderi non posse sine diutina me- „ ditatione , lectione infinita ; interim istos mihi Genealogiæ gradus „ descripsi [ sequitur Auctor ] :

Elias

Eliseus

Filii Prophetarum

Affidei

Esseni

„ Tandem Apostolorum tempore *Viri Religiosi Eremitæ Montis Carmeli* , ut narrat Joannes XLIV. Patriarcha Hierosolymitanus in libro de *Institut. Monachor.* (a) Caprasio tunc totius Ordinis Eliani Archimana- „ dritæ , & Abbatii Generali anno 412. inscripto : & Josephus Antio- „ chenus , qui teste Possivino floruit anno Christi 130. lib. de *perfecta* „ *Militia primisivæ Ecclesiæ* (b) , ubi inquit : *Perfectorum Militum Chri- sti Apostolorum Coadjutores surrexerunt strenuissimi Viri , solitarii , con- templationi dediti , SS. Prophetarum Eliæ , & Elisei imitatores , qui de Monte Carmelo descendentes , per Galilæam , Samariam , & Palæstinam Fidem Christi constantissime sparserunt ; quique in Virginis Mariae hono- rem in Montis Carmeli declivio fabricantes Oratorium , Salvatoris Matris specialissime servierunt .*

„ Hisce succeſſerunt alii Viri tam Cœnobitæ , quam Eremitæ , qui „ cir-

(a) Cap. 30.

(b) Cap. 12.

„ circum Carmeli Montem habitantes, vitam [ait Cardinalis de Vitriaco (a)]  
„ solitariam agabant, & in alvearibus modicarum Cellularum, tamquam  
„ apes Domini dulcedinem spiritualem mellificantes : quiue successione  
„ nunquam interrupta usque ad saeculum XII. sub medium, anno nem-  
„ pe circiter MCXLI. ibi perseverarunt. Quo tempore Aymericus Ma-  
„ lafayda natione Lemouix, dignitate Patriarcha Antiochenus, & Apo-  
„ stolicus Legatus, dispersos hinc inde in Palæstina per Eremos Carme-  
„ litas in unum coegit, redegitque sub obedientia Fratris sui B. Berthol-  
„ di, qui primus e Latinis Ordinis nostri Prior Generalis creatus, &  
„ dictus est „. Hactenus Leo Rbedonensis (b).

Sed nos quæstionibus hisce immorari necessum sane non est: Historia enim nostra atque Chronotaxis, hic utcumque contexta, a sanctissimo hoc Præfule Bertholdo dicit exordium, qui primus est inter Latinos Generales, de quibus nobis dumtaxat sermo est; nec ea in re ullam habemus cum Criticis contentionem, aut jurgium. Sicque Apostolo Paulo morem etiam geremus, nos admomenti (c): *Genealogias, & contentiones, & pugnas . . . devita: sunt enim inutiles, & vanæ.* Atque tandem Innocentianæ Constitutioni (d), ut par æquumque est, obsequentes erimus.

## PRÆ-

- (a) *Hijbor. Orient. cap. 52.*
- (b) *Stud. Sapien. univer. tom. III. pag. 285.*
- (c) *Ad Tit. cap. 3. 9.*
- (d) *Vid. hic pag. 281.*

# P R A E M O N I T I O

*Ad Vitam S. Bertholdi.*

P. D A N I E L I S A V I R G I N E M A R I A.

**B**erboldus in serie Priorum Generalium primus est : nou quod (sicut aliqui erronee opinati sunt) ejus tempore Carmelitarum Ordo initium habuerit, sed quod sub novo statu esse cœperit. Pro quo sciendum, triplicem ab Historicis poni statum Ordinis. Primus est tempore legis veteris sub Prophetis, Filiis Prophetarum, Assideis, Essenis, commorantibus potissimum quidem in Eremis, & locis solitariis, sed tamen etiam in Urbibus. Secundus Status tempore Legis Evangelicæ usque post recuperatam per Godefridum de Bulyon Jerusalem, ac deinde Terram Sanctam. Illo intervallo Ordo hic etiam erat magis Eremiticus, quam Cœnobiticus : & Cellæ seu Mansiones Religiosorum in Carmelo, & etiam in aliis plerisque Eremis, separatae, seu diffitæ ab invicem erant, nullo septo, seu muro circulariter cinctæ. Nuncupabantur autem tunc Superiores Ordinis lingua Syra ABBA, quod Græce, & Latine PATREM sonat.

Tertius denique Ordinis Status est ab anno circiter Christi 1141. circa quem propter multitudinem Latinorum (seu Europæorum) mutato aliqualiter per Hymericum Lemovicensem natione, Patriarcham Antiochenum, & Sedis Apostolicæ Legatum, vivendi modo, conformatoque normæ Latinorum, Ordo magis cœpit esse cœnobiticus, omnesque Conventus, & cuncti Religiosi Carmeliticæ Institutionis sub uno Generali Prælato, qui propterea Prior Generalis diceretur, constituti fuere, jussique ipsi se speciali voto adstringere; quorum primus Berboldus fuit.

S. Berboldus igitur Primus dicitur Prior Generalis non quod primus fuerit Superior, & tunc Ordo initium sumpserit; Sed quia Primus fuit, qui a Patriarcba Latino, sub dispositio ne,

*ne, & nomenclatura Latina institutus fuit; de qua restituzione,  
& instaurazione agens Onuphrius Panvinus in Chronico Ecclesiastico ad annum Christi 1141. scribit: Ordo Carmelitarum restitutus, & reformatus ab Aymerico Malafayda Patriarcha Antiocheno, & Apostolicæ Sedis Transmare Legato, in Monte Syriæ Carmelo: quorum primus Prior fuit Frater Bertholdus, vir Sanctus. Hucusque Daniel Speculo Carmelitano tom. II. part. I. pag. 322.*





S. Bertoldus Malephaida

Lemovicensis

ab Aymerico Patriarcha Antiocheno institutus in Monte Carmelo 1141  
primus Gratus Latinus. Praesuit annis 45 Ad Caelum migravit ibidem  
die 2 Aprilis 1186 Aetatis sue an 115

Arnold. B. Waterhout Sculps.

S. B E R T H O L D U S.

Bertholdus ex Guidone de Malafayda, antiquitate generis clarissimo, *Salaniac*, in Gallia, prope Lemovicum, natus anno circiter Reparatae Salutis MLXXII. Sacrarum litterarum amore succensus, Lutetiæ Parisiorum exacto studiorum curriculo, Doctoris Lauream nactus est. *Hinc vita sanctitate famosus, generis nobilitate clarissimus, atque doctrina conspicuus* a Ven. nostro Lezana nuncupatur. Militia Ecclesiastica cum esset insignitus, sacræ illi expeditioni, sub Urbano II. Pontifice pro recuperanda Terra Sancta indictæ, quam invictissimus Gothfridus Bulionius faustissimo perfecit omnię pietatis, ac Religionis studio se illi comitem adjunxit, Palæstinamque petiit. Cumque sub Antiochia, Syriae Metropoli, res Christianorum desperatae pene essent, & in summum discrimen adductus Exercitus, Bertholdus ad Deum, ac SS. ejus Genitricem conversus, votum nuncupavit, sese divinis obsequiis Carmelo in Monte perpetuo addictum, si ab extremis illis angustiis Christianorum eriperentur copiæ, deque Saracenis haberent triumphum. Et sane ejus votis respondit magnus Exercitum Deus, hostibus divinitus omnino ad internacionem cœsis atque prostratis. Sicque expugnata prorsus feliciter Antiochia, capta deinde Hierosolyma, & universa Terra Sancta recuperata, Bertholdus *Votum* (inquit Johannes Palæonydorus Hist. Carm. lib. 3. cap. 1.) quod in rotius Christiani exercitus angustia voverat Antiochiae, fideliter implevit. Ascendit itaque Montem Carmelum, & Religionis habitum, quem postulavit, digne recepit. Unde de Bertholdo sic cecinit ille:

Nobilis arma sequor, prudens sacra belta relinquo;  
Me uero paci, ipax mea Virgo fuit;

A

Cum

## HISTORIA CHRONOLOGICA

Cum autem ibi , asperitates inter & jejunia , ac cælestium rerum contemplationem , Angelicam magis , quam humanam vitam ageret Bertholdus , Sacrum Carmeli Montem Aymericus , Antiochiæ Patriarcha , ac Sanctæ Sedis in Terra Sancta Legatus , adivit ; qui ad novam vivendi rationem Eremitis circum Carmelum hinc inde dispersis , redactis , Supremum eorum Caput , cui ceteri omnes obtemperarent , Bertholdum , sibi sanguine conjunctum , moribus , & doctrina conspicuum , constituit ; quem , relictæ Abbatis , atque Archimandritæ appellatione , ut antea in more positum erat , Priorem Generalem jussit nuncupari . Id quod non anno 1120. , ut quidam per errorem scripsere , sed anno 1141. , vel paullo post evenit .

Suprema hac dignitate insignito Bertholdo , adeo sub ejus Regimine Carmeliteanus profecit Ordo , ut *Restitutus* , ac *Reformatus* ab Auctòribus appelletur . Dei O. M. Sanctissimæ Matri addictissimus fuit , quippe quam septies in die , in ea Carmeli parte , ubi olim illam in typo nubeculae de mari ascendentis magnus Elias prospexerat , Angelica salutatione venerabatur . Festum quoque Virginis sine labe conceptæ in suo Ordine instituit . Atque *inter cetera præclaræ suæ sanctitatis indicia* ( scribit Wernexus Rowelink Carthusianus in Fasic. Temp. ) *Animas quamplurimorum Fratrum , quas Saracenorum absumperat gladius , cum corona Martyrii ab Angelis in Cælum deferri vidit .*

Tandem Ordinem suum annos circiter 45. sanctissime moderatus , plenus meritis , laboribus fractus , atque ætate longævus migravit ad Dominum , anno a Virgineo Partu MCLXXXVII. , ætatis vero suæ cxv. , Ecclesiam gubernante Gregorio viii. , fuitque in Carmelo sepultus . Eodem , quo obiit die , Festum ejus , & officium sub duplici ritu in universo recolitur Ordine , nempe iv. Kal. Aprilis .

*Res*

# GENERALIUM CARMELITARUM.

3

*Res memoris dignæ , quæ Bertholdi ævo in Ordine acciderunt.*

1099. **F**AUSTISSIMUS sane fuit hic annus Orientalibus Christianis, atque etiam nostris Montis Carmeli Eremitis: recuperatis enim Hierosolyma, aliisque Palæstinæ locis, a tyrannica Saracenorum servitute (cui ab annis CCCCLXIII. suberant) crepti sunt; vetricibus Gothfridi, sive Gotfredi de Bulyon, seu Bulionii armis; qui primus propterea Hierosolymorum Rex renunciatus est. Fuit hic pientissimus Princeps Fratribus nostris in primis adductus; quod clare demonstrant, quæ de eo scribit Baptista Mantuanus noster. „ Habeo apud me Decretum „ Gothfredi, qui capta Hierosolyma de Syris triumphavit, super qua- „ dam pietate, quam omni Sabatho jubebat exhiberi Fratribus nostris, „ qui tunc incolebant Montana Judeæ, per quæ transivit Maria, cum „ ad salutandum Elisabeth se transferret, & infra: Attulit autem de- „ cretum hoc ex Cypro F. Jordanus Mantuanus Ordinis nostri, qui lo- „ ca Terræ Sanctæ visitavit „ . Ita in *Apologia pro Carmelitis ad Sigismundum Cardinalem Gonzaga*.

1100. Inter hæc tempora multi cum ex Cruce signatis, tum ex Peregrinis, qui turmatim ex Europa ad Palæstinam sacra loca visitatum se conferebant, Eremitarum Carmeli, qui ab Hierosolymis quinquaginta milliaria distat, pietate commoti, in illas solitudines recesserunt, Carmelitanum Institutum amplectentes; quos inter primus fuit Bertholdus hic noster. Venerunt ex omni Europa Fratres Peregrini, & colla monasticis disciplinis in Monte Carmelo, habitum Virginis Mariae induentes, humiliter submiserunt. Ita scribit Abbas Trithemius Benedictinus lib. de laudibus Carmelitarum.

1115. Moritur hoc anno Ven. Petrus, Eremita nuncupatus, a Græcis Cocopetrus, natione Gallus, patria Ambianensis, Sacri Carmeli Montis incola, apud Urbanum II. famosissimæ Terræ Sanctæ expeditio- nis Promotor, atque ipsius Ductor sub Gothfredi de Bulyon imperio. Huic re, ac verbo Eremitæ, Beatissimam Virginem Deiparam per globulos filo insertos salutandi, & obsecrandi inventum tribuitur a Polydro lib. 5. de invent. rer., & ab Arnoldo Wion lib. inscripto: *Lignum vitæ*, aliisque a nostro Lezana relatis ad ann. 1086. ubi & sequentia cujusdam nostri Poetæ carmina adfert:

*Plaudite Siderei, penna crepitante, puelli;  
Et date purpureas ad mea verba rosas.*

A 2

Ple-

## HISTORIA CHRONOLOGICA

*Pleßite jucundis Pæſana Rosaria deſtris,  
 Ad Carmelicolam, ſertaque ferte Petrum:  
 Primam namque roſis conſlavit ab ore coronam,  
 Imposuitque tuis, Virgo Maria, Comis.*

Quem religiosissimum precandi modum, vulgo *Rosarium* appellatum, ad meliorem formam redactum, Sanctus deinde Dominicus, toto acclamante Orbe, & Summis Pontificibus adprobantibus, maximo Fidelium fructu publicum reddidit, ut propterea illius Antesignanus merito audiat. *Lezana Annal. Carm.*

- 1141. Aymericus a Malafayda Patriarcha Antiochenus, & juxta Baronium, Panvinium, aliosque, in Terra Sancta Apostolicus Legatus, Palæstinæ commorans ad Carmeli Montem appulit, loca illa invisiendi studio; ubi cum cerneret, quosdam Europæorum, seu Latinorum Eremitarum ægro animo Superiorum obedientiæ colla submittere; *qui que ad veritatem religioſæ vitæ Eremiticæ* (ut scribit S. Cyrillus) *in libro Joannis descriptæ, ſp̄retis Seniorum monitis, non ambulabant;* multa, auctoritate, qua pollebat, Pontificia, pro Ordinis bono, ac reformatione egit, statuitque.

1. Ad Latinorum intelligentiam e Græca in Latinam linguam verti curavit Joannis XLIV. Patriarchæ Hierosolymitani librum de Instit. monachor., qui tunc erat Regula vivendi Carmelicolarum.

2. Præcepit, ut Eremitoria, Laureæ, & Eremitæ omnes uni Supremo Capiti subderentur, cui omnes obedientiam promitterent, ac præſtarent; quique Latinorum more Prior Generalis, neque vero *Abbas*, & *Archimandrita* nomine, in posterum appellaretur.

3. Ad hoc munus Bertholdum ſibi ſanguine coniunctum omnium plausu evexit; quod hoc anno, vel ſequenti accidit.

Quumque omnes ad Cœnobiticam formam redigere vellet, fuſcepit in Carmelo ipſo magni Monasterii ædificium, muris undique circumdati; quamvis morte præventus opus incæptum implere ipſe nequiverit; ad finem deinde, Balduini Hierosolymorum Regis munificentia, & D. Alberti Patriarchæ pietate redactum. *S. Cyrillus de Proceſſ. C var. Regul. Ord. Carm.* etſi in textum, quoad annum, per Sciolum aliquem error irrepferit, ex mutatione unius dumtaxat numeralis notæ, ponendo ſcili-  
cet 1121. aut MCXXI. pro 1141. vel MCXLI. uti Lezana advertit.

Atque en rationem, cur Aymericus *Restaurator*, ac *Reformator* Carmelitici Ordinis appellatur. *Ordo Carmelitarum* [inquit Honuphrius Panvinius *Chron. Eccl. ad ann. 1141.*] *restitutus, C reformatus ab Ay-*  
*me-*

merico Malafayda, Patriarcha Antiocheno, & Apostolicae Sedis Transmare Legato, in monte Syriae Carmelo. Sed si restitutus ab Aymerico ac reformatus dicitur Carmelitanus Ordo, sequitur profecto, non institutum ab eo esse, ut quidam inscite scripsere; quod eam restauratur, ac reformatur, jam antea existebat.

1166. Hoc anno Græcorum Imperator Emmanuel Comnenus, speciali ejus Constitutione, Feriatos inter dies vicesimum illum Julii ad honorem S. Eliæ Prophetæ collocat, quo die ab universo Ordine nostro Festum ejus sollemniter celebratur. *Baronius sub hoc ann.*

1180. Ordo Carmelitarum ab Alexandro III. Summo Pontifice confirmatus est. *Bellarminus de Script. Eccl., & Tritbemius de Laud. Ord. Carm. cap. V.*

1182. Lucius III. S. P. iis omnibus, qui quibusdam statutis diebus nostras visitant Ecclesias, indulgentiam concedit, *qua remittuntur peccata levia* ( intellige quoad pœnam), *offensa parentum, & mala acquisita, si nequitur, cui restituи debant, dummodo prædictis locis, seu illorum Conventibus assignentur*. Ita in Bulla: *Dum attenta, Sixtus IV.*, qua illam indulgentiam confirmat. *Bull. Carm. tom. I.*

1186. Subislaus Gedani, sive Dantysci Dux, Carmelitis insigne Monasterium in eadem Civitate condit, maximis juribus, ac redditibus cumulatum, amplissimo ejus Privilegio, relato a nostro Bullario tom. I. pag. 521. Conventus autem hic varias deinde subiit vicissitudines, de quo vide Danielem a V. M. *Spec. Carm. tom. I. num. 3915.*

Eodem anno oriuntur Hierosolymis S. Angelus, & B. Joannes gemini Fratres, juxta sponzionem a Dei Matre factam eorum Parentibus Jesse, & Mariæ, a Virgine ipsa illuminatis, deque Hebraica Religione ad veram Christi fidem conversis. *Enoch in vita S. Angeli.*

1187. Nimis profecto luctuosus fuit hic annus in Oriente Christianæ Religioni; Saladinus namque Mahumetanus Babyloniæ, & Ægypti Rex, coacta militum ingenti multitudine, prælio cum Christianis commisso, eorum copias fudit, Urbesque, & loca Terræ Sanctæ, ac novissime etiam Hierosolymam Civitatem occupavit. Quanta hoc tempore Fratres nostri subierint discrimina, quot calamitates passi fuerint, haud facile dictu erit; nam varia Eremitoria, ac Cœnobia a Barbaris combusta, diruta, & spoliata fuere; & quamplurimi Fratrum igne, ferroque trucidati, quorum Animas cum Martyrii corona ab Angelis in Cælum deferri vident S. Bertholdus, tunc Ordinis Generalis Prior, ut scribit Wernerus Carthusiensis in Fasciculo temporum.

In

## HISTORIA CHRONOLOGICA

In hujus cruentissimæ cladi monumentum, nostris Fratribus a Barbaris illatae, institutæ fuerunt in Ordine nostro Preces, quæ etiamnum in Missis Ferialibus Quadragesimæ post Calicis elevationem fiunt: nempe Psalmus: *Deus venerunt gentes O. c. cum Oratione: Clementissime O. c. Lezana, O. Daniel a V. M. Vinea Carm. pag. 423.*

Die 2. Aprilis ejusdem anni 1187. ad Dominum migravit S. Bertholdus, primus inter Latinos Generalis Prior. Cujus gloriosum obitum ad hunc potius annum, quam ad 1186. aut 1188. ut quidam tenuere, nos retulimus, accuratorum Scriptorum Ordinis computum secuti; quibuscum etiam S. Brocardi, Bertholdi Successoris, electionem anno post illius obitum statuimus, nempe 1188. Quod haud obscure colligitur ex S. Cyrilli lib. de process. & var. Regul. Carm.

S. Bertholdum Gallum natione, ac patria Lemovicensem fuisse diximus, & iterum unanimi Scriptorum consensu adfirmamus; et si nuperrimus quidam Scriptor D. P. illum *Calabrum* dicere ausus sit, quibusdam Joannis Phocæ historiæ verbis innexus: *Quidam Monachus dignitate Sacerdos, capillatio albus, e Calabria oriundus, ex Prophetæ revelatione in Montem (Carmeli) appellit.* At quantum a vero aberret Auctor iste, luculenter ostenderunt Nostri, præsertim Franciscus Bonæ Spei in Armam., par. 2. & Petrus Thomas Pugliesius in sua Epistola Gravi: & quidem 1. quia Joannis Phocæ liber summopere suspectus est; quippe ab anno 1185. quo dicitur exaratus, annos novenos, & sexagenos ultra quadringentos in occultis manuscriptis delituit, qui tandem aliquando ad annum 1654. sine ullo examine, & Prælati Catholici receptione destitutus, Amstelodami prælo suppositus, ac mutato, aut omnino suppresso Hæretici impressoris nomine, in lucem prodiit. *Ex quibus omnibus suspicione falsi intercipitur*, inquit Bona Spes.

2. Joannes Phocæ verbis supra citatis nullam prorsus de S. Bertholdo mentionem facit, ut patet; sed quod silentio prætermiserat Joannes, de suo Criticus adjungit, & antedicto Monacho dignitate Sacerdoti &c. nomen *Bertholdi* tribuit.

3. Hujusmodi *Bertholdi* nomen Calabris incognitum, & inusitatum est, ut scribunt Bollandistæ.

4. Tandem de Monacho illo Anonymo, ac de Bertholdo nostro in Annalibus Calabriæ, & præcipuis ejus Scriptoribus, nec verbum quidem habetur, uti noster Pugliesius, doctissimus inter Calabros Scriptor, testatur.





*Sanctus <sup>II</sup> Brocardus  
Hierosolymitanus*

*Electus Gratus in Monte Carmelo an. 1186. Praefuit annis 35. Ad  
Cœlum migravit ibidem die 29bris 1221. Etatis sue an. 80.  
Arnold. Wasterhout Sculps.*

## II.

## S. B R O C A R D U S.

**B**rocardus vir insignis, ac vita sanctimonia conspicuus, vario doctrinæ genere exultus a Ven. Lezana appellatus, Hierosolymis anno Rep. Sal. MCXLI. ortus est. Adolescentis in Carmelum secedens, ea inter Fratres suos floruit morum honestate, ac prudentia, ut Prioris Sancti Montis, ac Vicarii Generalis S. Bertholdi munere prius functus, in hujus deinde locum anno 1188. summo omnium consensu, ac plausu fuerit subrogatus: Ad hanc sedem electus, Regularis disciplinæ in ordine sibi credito promovendæ, augendæque studio incensus, novam Regulam, ad vitam Cœnobiticam tunc instituendam aptiorem, ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano, atque Apostolico Legato petivit, qui ea, qua fungebatur auctoritate, Patriarchæ scilicet, atque Apostolici Legati, illam ex antiqua Joannis XLIV. excerptam tradidit, & a cunctis observandam præcepit; sub cuius postea ductu mirum sane est, quantum & numero, & merito Ordo primævus increverit.

Cumque nedum sanctitate, & doctrina, verum & prudentia, & in agendo dexteritate esset Brocardus insigniter exornatus, Archiepiscopus Cæsariensis, & magnus Templariorum Magister eum a consiliis sibi elegerunt. Et Albertus Patriarcha, Saracenis tunc Syriam, & Palæstinam late occupantibus, Christianamque Religionem ibi conantibus evellere, illum pro impetratis faciendisque induciis ad Saphadinum Damasci, & Babylonis Sultanum cum litteris Innocentii III. Nuntium misit, atque omnia ad nutum assecutus est; ibique inter alia gesta, ut erat sagacis ingenii, Sultanii Proregem, lepra, & manuum contractione laborantem,

ad

ad Jordanis flumen perductum , ac baptizatum , anima , corporeque mundavit : & quod mirum est , secum in Carmelum perduxit : ubi in Ordinis habitu , ac scriptis legibus obtemperando , maxima cum vitæ integritate perseverans , ad Dominum convolavit .

Complures alias res , memoria satis dignas , gessit , & ante , & post obitum Brocardus , de quibus Scriptores nostri egerunt ; ac præsertim notatu maxime dignum est , Adolescentis illud extincti , ad novam vitam ab ipso revocati facinus , qui postea Carmelitico Ordini nomen dedit . Unde recte de ipso cecinit Poeta :

*Eliades rexī , Reges Legatus adīvi ,  
Extinctum revoco , qui mea gesta canit .*

Ordinem ubi triginta & tribus annis moderatus est , cum jam octogesimum ætatis suæ ageret , in mortis agone constitutus , vocatos Fratres ad paupertatem , & vitæ innocentiam cohortatus est , utque sic viverent , ut digni Beatisfimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo Fratrum haberentur nomine : deinde vero ad Cælum elevatis oculis : *Bone Jesu* ( subdit ) *fuscipe me , & conserva meos , quos dedisti mihi , ne quemquam illorum perdam .* Quibus sic absolutis , inter Fratrum lacrymas ac singultus , animam dulcissime exhalavit . iv. Nonas Septembris anno Domini MCCXXI. Honorio III. Summo Pontifice . Quo die Brocardi obitum in suo Martyrologio Molanus retulit : *Eodem die , ait ille , Beati Brocardi Presbyteri , & Carmeli Prioris Generalis magnæ Sanctitatis viri .* Eodem etiam die Sancti Festum sub duplici ritu ab universo agitur Ordine .

Res

*Res memoria dignæ sub Brocardi regimine.*

1188. Circa hunc annum Generale Capitulum, quod in Ordine pri-  
mum fuit, celebratur, non quidem in Monte Carmelo, hoc tempore a Turcis occupato, sed vel Tyri, vel Tripoli, ut Lezana opinatus est, in eoque unanimi Fratrum omnium consensu Brocardus Generalis Ordinis Prior renuntiatur. *Lezana in Annal. Ord. tom. IV.*

Eodem anno Clemens Papa III. quasdam concedit Indulgentias om-  
nibus, qui statutis anni diebus nostras visunt Ecclesias, ut ex ejus Bul-  
la, a Sixto IV. in sua: *Dum attenta*, confirmata.

1192. D. Cyrillus post Armeniæ conversionem, Carmelum in Mon-  
tem reversus, inclytam habuit Visionem. Dum enim xii. Kal. Novem-  
bris ( quo die S. Hilarionis memoria recolitur ) Missæ Sacrificium ce-  
lebrat, Angelus puleherrima forma ipsi apparuit, eique super Altari duas  
argenteas tabulas reliquit, quæ græcis characteribus conscriptæ, futuros  
Ecclesiæ eventus prædicebant: ita Angelus ad Cyrrillum inquiens: *Has*  
*tabulas tibi Omnipotens Deus misit familiari Servo suo, & Praconi fi-*  
*deli, ut Scripturam banc membranis commendas, & conflato Tabellarum*  
*argento, Calicem, atque Thuribulum ad sacrificandum Domino efficias.*  
Omnia executus est Cyrillus, atque hinc Angelicum Oraculum Mem-  
branis consignatum, ad eximium Abbatem Joachimum in Calabriam  
transmisit, ut ab ipso interpretationem audiret. Idem hoc Oraculum  
xi. capitibus distinetum, una cum Abbatis Joachimi commentario, Cy-  
rilli epistola, & Joachimi responso, in Vaticana Bibliotheca adserva-  
tur. *Lezana, & innumeri alii Auctores*, quos inter Mantuanus noster,  
qui omnia metro perbelle describit libr. III. Fast.

*Cyrillus divinus homo, cum sacra litaret*

*Mane sub auroram sacra vestitus abolla*  
( *Res miranda* ) *puer fulgenti splendidus ore*  
*Astitit ante virum liquidis suspensus in auris,*  
*Argentumque docens annorum fara sequentum*  
*Protulit, & manibus pronis demisit in aram,*  
*Adjiciens: Deus ista tibi secreta revelat,*  
*Sancte Pater, tu fac populis ea nota Latinis.*  
*Continuo mutans Romanis Attica verbis*  
*Nomina ad Abbatem Siculum transmisit, & ille*  
*Confestim in Latium scholiis ad singula junctis,*  
*Quæ superant, & babentur adhuc, passimque leguntur.*

1199. Innocentius Papa III. Ordinem Carmelitanum confirmat , teste Cardinali Bellarmino de *Script. Eccl. ac Trithemio lib. de laud. Carm.*

1205. Hoc anno , vel paullo post , S. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus , & Apostolicus Legatus , postulantibus , S. Brocardo , ceterisque Carmeli Montis Eremitis , Regulam Carmelitanam condidit , atque illis observandam tradidit , ab ipso excerptam , non ex S. Basili Regula , sed ex Joannis XLIV. Patriarchæ Hierosolymitani libro , qui prius pro Regula habebatur ; & quæ in eo libro ( inquit Arnoldus Bostius ) *Joannes XLIV. in generali suadendo scripscrat , Albertus in Regula statuendo in speciali determinavit.*

Atque hæc vera est Epochæ exaratæ Carmeliticæ Regulæ , nempe annus 1205. , vel paullo post , non vero annus 1171. vel 1199. , ut quidam Andabatarum more autumant ; quia tunc temporis non Hierosolymorum Patriarcha , ut ipse se in Prologo Regulæ appellat , sed Vercellenis erat Episcopus . Locus autem , ubi Regula edita , atque ab Alberto scripta est , Civitas fuit Acconensis , sive Ptolemaidis , quæ una tunc temporis Civitas erat illas inter Palæstinæ , a jugo Saracenorum libera , adque eam , ex privilegio Paschalis Papæ , Sedes Patriarchalis ab Urbe Hierosolymitana fuerat translata . *Lezana Annal. Carm. tom. 4.*

1211. Die 3. Decembris natus est in quodam Castello , Grotti nuncupato , Senensis Dominii , B.Francus , quem ejus Mater in somniis , sex , antequam pareret , horis , ex utero tamquam Monstrum , sensim hominis formam induens , progredientem aspexit . Verissimum ejus , quod de ipso deinde accidit , prælagium ; nam primo Francus ob ejus vitia monstrum teterimum visus , pœnitentiæ venustate , ac mirabilibus gestis suis pulcherrimus homo effectus est . *Lombardellus Dominicanus in ejus vita .*

1215. Habitum est Romæ sub Innocentio III. Concilium Generale Lateranense IV. , cui supra mille & biscentum Patres interfuerunt , quos inter Constantinopolitanus , & Hierosolymitanus etiam Patriarchæ , ab Oriente profecti . Inter alia Decreta , ac Statuta , in hac Synodo condita , illud sane extitit . *Ne nimia Religiosorum diversitas gravem in Ecclesia Dei offendit , firmiter probibemus , ne quis de cetero novam Religionem inveniat , sed quicumque voluerit ad Religionem converti , unam de approbatis sumat . Similiter qui voluerit domum de novo fundare , Regulam , & Institutionem accipiat de approbatis . Quod decretum , etsi Carmelitico Ordini nihil attulerit damni , quinimo majus robur*

## GENERALIUM CARMELITARUM. 11

robur ab ipso acceperit, ut docte in suis Annalibus demonstrat Lezana; a quibusdam tamen æmulis, atque Ordini infestissimis hominibus male auditum, haud parum eidem molestiæ in posterum exhibuit, ut suo loco videbimus. *Lezana tom. 4.*

1219. Christus Dominus S. Angelo apparens, eidem pandit, quam late Turcæ fines imperii sui super Regna Christianorum proferant, cunctaque adversa, Ecclesiæ futura, ob Fidelium peccata denunciat. Verum solatii loco Terræ Sanctæ recuperationem eidem pollicetur, a Rege faciendam *de antiqua gente, & stirpe Francica*. Enoch in *Vit. S. Angelii*.

Primam divini Vaticinii partem jam præteritis sæculis maximo cum nostro detimento confirmatam animadvertisimus: restat nunc, ut altera æque vera ostendatur, utque potentissimus hic, atque pius Rex promisus veniat, suisque vicitribus armis a Barbarorum manu Sanctam illam Civitatem libereret, Christoque, atque Ecclesiæ restituat.

*Arque utinam venias, tua quem dixerit fusurum  
Rex novus ex Francis, oracula, qui fugeret istam  
Progeniem: peste bac totum qui liberet orbem:  
Nec sinat ærumnis homines tabescere tantis.*

Ita Sanctum alloquens Mantuanus *lib. 5. Fastor.* De hoc S. Angelii vaticinio Commentarium scripsit Daniel a Virgine Maria in *Specul. Carm. tom. 1. num. 1332.*

Eodem anno S. Angelus, a Palæstina profectus, Romam pervenit; atque in Divi Joannis Lateranensi Basilica ad numerosum Populum concionatur, ubi inter alios S. Patriarcha Dominicus, ac S. Franciscus Assisiensis interfuerunt, qui supero claritatis lumine illustrati, Angelo post concionem obviam eunt, eumque salutant, & vicissim circumPLICANTUR amplexibus; ipsos Angelo adloquente: *Salvete maximi Christianæ militiae Doctores, Dominice impugnator bæresum invictissime, & Franciscus Christi precipue imitator, qui virtute humilitatis nova portabis stigmata Christi.* Et Dominicus, & Franciscus gloriosum Angelo annunciant martyrium, quod pro Christo in Sicilia erat passurus. Quæ omnia prophetice fuisse prolata, clare demonstravit eventus. *Ita Enoch in vit. S. Angelii, Wadingus in Ann. Minor. Bzovius Ann. Eccles. & alii plurimi.*

Eadem tempestate Honorius Papa III., D. Angeli intuitu, nostro Ordini Romæ locum concedit, Conventum nempe S. Juliani ad Montes, ubi moratus est Sanctus, donec, & quoisque Romæ permanxit. *Lezana.*

1220. Divo Angelo in Ecclesia SS. Philippi, & Jacobi Civitatis Leocatensis, in Sicilia, maximo Apostolico studio ad immensam hominum turbam concionante, Belingarius haereticus rabie correptus ob Sororem, quacum pluribus ab hinc annis incestuose vivebat, ad publicam pœnitentiam conversam, cum aliis Sicariis in suggestu ipso Angelum aggreditur, eumque multis pugionis ictibus lethaliter confudit. Atque o mirum! Angelus genuflexus, postquam pro persecutore oravit, animam in manibus Creatoris emisit, quæ in candidissimæ Columbae speciem visa est ad Cælum convolare, ut ibi gloriosissimi martyrii coronam acciperet. *Enoch. in ejus vit. S. Angeli festum eodem, quo martyrium subiit, die, nimirum 111. Nonas Maji, sollemniter in toto Ordine celebratur.*

Eodem ævo B. Lanfrancus Siculus, cui a Philippo Metio Sancti nomen tribuitur, quique S. Angeli martyrio interfuit, cum Belingarii tantum scelus exprobaret, ab eodem & ipse occisus est. *Sicque Christi Martyr factus, laurea Martyrii trabeatus, Cælos ascendit.* Concludit idem *Metius lib. de SS. Ord. Carm.*

Florebant etiam hoc tempore pietate, ac vitæ sanctimonia Ven. Hieronymus Palæstinus, Coenobii S. Annæ Hierosolymæ Prior, *Quatri-duani defuncti resuscitator;* & Ven. Hieremias Palæstinæ Montis Carmeli Prior localis, *divinis revelationibus clarus.* Ita de utroque Segerus Pauli in *Chron. vitæ S. Simon. Stock.*





*Sanctus* <sup>III</sup> *Cyrillus*  
*Constantinopolitanus*

*Electus Generalis in Comitijo in Monte Carmelo habitio 1021. Pra-  
fuit annis 3. Ad Caelum migravit in Terra Sancta 6 Martij 1024.  
Aetatis sue an 96.*

*Arnold. Van Westerhout Scul.*

## III.

## S. CYRILLUS.

**C**Yrillus patria, & cognomento Constantinopolitanus, a Parentibus nobilitate conspicuis pie, ac liberaliter educatus, quum brevi omnigena eruditione claresceret, & sacras in primis litteras tradendi studio teneretur, Ecclesiastice militiae nomen dedit. Presbyter consecratus in dicendo fuit uberrimus, in disputando acerrimus, in prædicando ardentissimus. Interea, cum circa annum Christi 1168. Sultanum Iconii, quæ in Asia minori potissima est Civitas, sacros libros expetere, atque in Christianam Religionem valde esse propensum, intelligeret, ad eumdem cum sacrис Codicibus profectus, tanta copia Sultanum aggreditur, ut eum brevi temporis spatio rite institutum, in sollemnitate Paschali sacro baptismali lavacro regeneraverit, & e Saraceno Christianum, Christique fidelem effecerit.

Constantinopolim ad suos cum esset reversus, orta inter Cyrillum & Patriarcham Constantinopolitanum contentione de Spiritus Sancti Processione, Patriarcha, (qui forte tunc erat Michael) Græcorum errori jam tum præludente, Cyrillo vero Catholicam pro viribus tuente sententiam, cupiens hominem illum non recte sentientem, atque omne cum ipso dissidium vitare, patriam relinquere statuit; ea in re a Dei Genitrice Maria confirmatus, quæ in sequenti nocte ipfi apparens, sic eum allocuta est: *Si errores cupis effugere Græcorum, eosque a te procul abjecere, atque tibi laborare, vitam in Eremo Montis Carmeli demonstrandam assume, nam in ipso salvaberis (Palæonydorus).* Hinc omnia pauperibus elargitus, relicta domo, Syriam versus profectus est; ubi a S. Brocardo in Sancta Hierosolymorum Civitate, non sine Dei consilio, ei

oc-

occurrente, in humanarum rerum contemptu confirmatus, in Carmelum adductus est, Sanctoque ejus Instituto adscriptus.

Cum vero ibi, jejunia inter atque asperitates, in Sacrorum librorum lectione, ac superarum rerum contemplatione totus esset Cyrillus, a S. Basilio Cæsariensi Antifite in somniis Dei nomine admonitus est, ut in Armeniam Evangelium Christi populos edoceret; qui statim, adscito sibi socio Eusebio, ad vastissimas illas Provincias se contulit, quas innumeris laboribus, Deo bene juvante, ad Christi fidem, & Romani Pontificis obedientiam redegit. Quæ omnia admiratus Cælestinus Papa III., Hierosolymitanum ei obtulit Patriarchatum; quod tamen muneris Cyrilus humillimus Dei servus, jam ad suos reversus, invictissime recusavit. Eodem tempore Cyrillus etiam insignem illam habuit visionem, de qua supra ad ann. 1192. dictum est: cum nempe ipsi sacrum facienti per Angelum allatae sunt duæ Tabulæ argenteæ, futurarum Ecclesiæ calamitatum vaticinium continententes. Hinc per Poetam dicere potuit:

*Sultanum lucror, tabulas mihi mittit Olympus:*

*Muneror ipse Deum, dat mihi dona Deus.*

Interim vir miraculis clarus, ac Prophetiæ dono conspicuus, extincto jam Sancto Brocardo, ad regimen universi Carmelitani Ordinis Fratrum omnium consensu in Carmeli Monte anno MCCXXI. electus est, B. Simone Anglo Coadjutore, suique in Europa Generali Vicario constituto. Hujus tamen Sanctissimi Præsulis regimen haud diu perduravit; vix enim tertio sui Generalatus anno absoluto, maximo cum suorum dolore, ac tristitia ad Cælum evolavit, Honorio III. Ecclesiæ clavum moderante, pridie Nonas Martias, anno Reparatæ Salutis MCCXXIV. Quo die Festum ejus, & Officium, uti unius Confessoris, ac Doctoris, ab universo recolitur Ordine.

Scripsit præ ceteris Cyrillus librum de Progressu, & variis

riis Regulis sui Ordinis, Eusebio, Montis Neroi prope Antiochiam Priori, inscriptum.

*Res memoria dignæ sub Cyrilli regimine.*

1221. **H**oc primo sui Regiminis anno Cyrillus Cælesti, atque insigni visione honestatur, quam Palæonydorus noster hisce verbis describit: „Certificatus divina revelatione Cyrillus ob Christianorum scelera Carmeli Religionem a Terra Sancta eradicandam, piissimam Virginem Mariam, ut Carmeli gregem conservaret, sedulis precibus rogitavit. Nec defuit Zelo Dei Matris amatori divina consolatio: divinitus enim edoctus est, quod diversarum Regionum Viri Mariæ Religionem profiterentur, qui eam in suis Regionibus copiosissime multiplicarent, & majori incremento Monasteriorum, & personarum tam numero, quam privilegiis Apostolicis roborati per totam Europam transplantarent,. *Palæonydorus, & Gulielmus Sanvicus, Cyrilli coævus.* Divinæ Matris vaticinium, & promissum exitus deinde omnino confirmavit.

Eodem anno librum, sive Epistolam: *de progressu, & variis Regulis Ordinis*, S. Cyrillus ad Eusebium scribit, tunc temporis Monasterii Montis Neroi in Antiochiæ viciniis Priorem, & suum in Armeniæ conversione fidelissimum socium, quem *Beati* nomine appellat Segerus Pauli in Chron. Vit. S. Simon.

Librum hunc, præclarum sane Ordinis monumentum, genuinum D. Cyrilli opus esse, erudite ostendit Cosmas Villiers Bibl. Carm. tom. I. pag. 358. post Franciscum Bonæ spei 2. par. Arm. num. 164. & Daniel a Virg. Maria Spec. Carm. tom. I. num. 294 I. & seqq.

1222. Habita est Hierosolymis Nationalis Synodus, cui Episcopi Syro-Græci, numero triginta tres, interfuerunt, adstante etiam Patriarcha Alexandrino Athanasio de Claromonte. In hac Synodo auditis, ac perpensis de S. Angeli Martyris vita, virtutibus, ac miraculis testimoniis, tum ab Enochio, & Petro Bethlemitico in suo itinere sociis, ac martyrii spectatoribus, jam a Sicilia reversis, tum ab aliis Montis Carmeli Coëremitis, redditis, fuit a Patribus illis gravissimo censuræ judicio S. Angeli pietas, ac sanctitas adprobata, ac proinde in Sanctorum numerum ipse relatus. *Enoch. in S. Ang. Vit.*

1223. Circa hunc annum ex hac vita ad Cælum convolavit B. Joannes Hierosolymitanus, S. Angeli Martyris gemellus Frater, & ejusdem Hierosolymitani Monasterii Cœnobita, qui an. D. MCCCXVII. ad Patriarcha-

chatum ejusdem Sanctæ Civitatis pro Syro-Græca natione fuit evenetus. De ipso sancto viro Abraham Bzovius scriptum reliquit: *Ferunt etiam Joannem (Angeli) fratrem, pari gratia, & sanctitate præditum quatuor mortuos suscitasse, viginti paralyticos, leprosos decem, & multos alios ægros sanitati restituisse. Cit. Auct. Ann. Eccl. ad ann. 1220.*

Sub idem tempus in Sanctitate floruisse scribit Lezana „ Beatum „ Gerasimum Palæstinum, Nazarethi Archiepiscopum, virtutum gloria „ gloriosum, miraculis copiosum, atque in omni morum honestate con- „ spicuum, qui luto, & sputo exemplo Christi oculos cæci nati aperuit: ita scribit Philippus Metius in Compend. vit. Sanct. Ord. Florebat item B. Petrus Syriacus, Monasterii Bethleem Cœnobita, in Siculo itinere S. Angeli Socius: „ Ob nimiam ejus sanctitatem inde vi tractus est in „ illius Ecclesiaz Præfecturam, quam cum labore, & sudore tribus an- „ nis texisset, miraculis clarus obdormivit in Domino, & in Monaste- „ rio Bethleem sepelitur. Ita idem Metius, deque utroque Segerus Pauli.

Eadem tempestate florebat etiam Sancta Angela Hierosolymis, in Cœnobio Monialium Carmelitarum Priorissa. Erat ipsa Regis, aut potius cuiusdam Bohemiæ Principis filia, quæ, paterna domo relicta, virili habitu induta, in Sancta Palæstinæ loca se contulit, ubi Religioso velamine a D. Brocardo, tunc temporis Generali Priore, accepto, Monasterium illud ingressa est, in quo tam subdita, quam Rectrix, spi- ritu propheticō, & revelationibus illustris, plures per annos vitam egit. *Lezana.* De Angela loquuntur Conradus Gesnerus, & Antonius Possevinus.

Præter laudatos, multi sunt Auctores, qui de eadem Sancta scrip- ferunt; iique eti in historia ejus vitæ non omnino convenient, de ejus tamen existentia, ac sanctitate uno ore testantur, ut late ostendit Le- zana *Annal. tom. 4.*

**1224.** Nondum mensis a D. Cyrilli obitu (qui hoc anno acci- dit) erat elapsus, cum D. O. M. hujuscce sui Servi sanctitatem, ac gloriam in terris maxime testatam voluit, a morte ad vitam per Cy- rilli merita, magno miraculo, cadaver pene putrefactum revocans: „ Eo- „ dem mense (ait historicus) obitus S. Cyrilli, Nautis de Cypro na- „ vigantibus, quidam in mari defunctus, ad litus Montis Carmeli pro- „ jectus est; Corpus autem a Fratribus collectum, dum ad sepulcrum „ portaretur, super tumulum S. Cyrilli erat collocatum, quousque fo- „ vea pararetur; statim vero mortuus surrexit dicens, se a Beato Cy- „ rillo vitæ meliori reservatum. Ob id Ordinis habitu sumpto duode- „ cim annis supervivens laudabiliter dormivit in Domino. *Palæonydorus.*





## IV.

## B. B E R T H O L D U S II.

Bertholdus, hujus nominis II., interque Generales Priors Latinos IV., natione, & cognomento Lombardus ex Italia, sive ut Sacræ Expeditionis Crucesignatus pro recuperanda Terra Sancta, sive ut Peregrinus ad Sacra loca invifenda, in Palæstinam profectus, unus ex Europæis illis fuit, de quibus S. Cyrillus in epistola ad Eusebium scribit, qui, recuperata Terra Sancta, odore hujus Sancti loci ( Carmeli ) traxi, & devotione Religiosorum Eremitarum Montem bunc inabitantium permoti, mundo renuntiabant, & pro contemplatione Cœlestium se eorum contubernio jungebant. Sacrum ergo Carmeli Montem Bertholdus ascendens Eremitarum illorum Sancto Instituto se addixit. Ubi eo pietatis, ac sapientiae pervenit, ut demortuo S. Cyrillo tot inter alios dignissimos Viros, ad supremum Ordinis regimen ipse fuerit adlectus; quod non sine speciali divino Consilio factum putat noster Arnoldus Bostius, ut is potissimum, qui Europæus erat, tunc temporis Generalis Prior eligeretur; quando nempe Christi nomine, ac fide in Syria corruentibus, Carmelitarum Institutum in Europam felicius erat transferendum, ipsa Dei Mater Maria sic admonente; qua de re infra.

Nec vana fuit de tanti Præsulis virtute ac sapientia Fratrum expectatio; statim enim ac ille ad supremam Præfecturam electus est, potissima ejus sollicitudo fuit, Ordinem sibi concreditum nedum sartum tectumque servare, sed & pro virili proferre. Hinc Europæos Fratres in Cyprum, Siciliam, aliasque occiduas Regiones, ad nova condenda Cœnobia, misit, adjuvantibus præsertim Principibus, ac Ducibus, qui e Palæstina ad patrias Regiones redibant. At ve-

C

ro

ro cum , annuente Bertholdo , plurimi e Carmeli solitudine in Europam appellerent ; primi omnium obstiterunt , atque Ordinis propagationem retardare cæperunt occidentales Antistites , qui immo in totius Ordinis eversionem nitebantur , obtentu Decreti , in Concilio Lateranensi IV. recenter emanati : *Ne nimia* .

Hinc pientissimus Praeful , Ordinis sui amantissimus , undique afflictatur . In Oriente cladibus , incursionibus , ac direptionibus a barbaris , Christi nomini infestissimis , vexata , atque oppressa Religio . In Occidente a Christi Ministris , Dominique unctis omnino dilaniata . At huic postremo malo , ut consuleret Bertholdus , ope B. Simonis Stockii , qui sui Vicarii munus in Europa gerebat , Honorium III. Summum Ecclesiæ Pastorem adiit , a quo , potentissima Cælorum Regina defendente , ut inferius dicemus , Regulæ confirmationem , & approbationem obtinuit .

Interim Bertholdus , fidelis in Carmelo Minister , & Dispensator , multis exantlatis laboribus , deque Carmelitico Ordine optime meritus , vitam cum morte commutavit , juxta accuratissimos Scriptores , anno a Christo nato MCCXXVI. , Summo Pontifice Gregorio IX. De illo ait Lezana Annal. tom. iv. *Commendatur , ut vir eximiae Sanctitatis , & eruditionis , divine Scripturæ studiofissimus , morumque honestate conspicuus* . A Segero Pauli in Chron. Vit. S. Simon . *Vitæ sanctitate , divinis revelationibus , & miraculis clarus nuncupatur , & Philippus a SS. Trinitate inter Ordinis Beatos , ac Sanctos eundem recensuit in libro , cui titulus : Decor Carmeli Religiosi* .

*Res*



*Res memoria dignæ sub Bertholdi II. regimine.*

1224. **M**ortuo D. Cyrillo, Carmelo in Monte Generale Capitulum celebratur, in quo ante Successoris creationem illud ad trutinam serio revocatur, num ob extremas angustias, quibus tunc Ordo a Barbarorum feritate in Palæstina magis, magisque afflictabatur, venia effet concedenda Europæis quibusdam Fratribus, qui iis calamitatibus perterriti, illa loca deserere, atque in patrias Regiones concedere, ibique novis Monasteriis ædificatis, Deo, ejusque SS. Matri quiete famulari cupiebant. Dum ex Viris ibidem congregatis, alii negant, alii affirmant, omnesque e Cælo expectant oracula, en Cælorum Regina, Ordinis Mater, atque Patrona, omnem dirimit quæstionem. Ea enim in somniis Locali Superiori, aut Capituli Præfidi ( quem Bertholdum fuisse existimat Lezana ) apparet, eidem divinam voluntatem pandit. „Omnibus igitur ad vigiliam noctis ad orationem hortatis, apparuit Superiori Montis Carmeli Virgo gloria ingenti lumen, eique inquit: Hic sermo Filii mei est, ut non solum Palæstinam, & Syriam, sed etiam universum, Carmeli Ordo, Orbem Christianum illustraret. Sic Palæonydorus post Bostium refert.

*Non Syria, aut Solymæ est tantum Carmelitus Ordo  
Splendor, sed lumen totius Orbis erit:*

Post hæc Generalis Prior communi omnium voto Bertholdus eligitur; atque inter alia in eo statuta Capitulo, ordinatum est ( inquit idem Palæonydorus ), *quatenus in omnibus observantiis uniformes inventinentur, tum in officio Ecclesiastico, tum in vestimentis, & bujusmodi.* Citatus Palæonydorus.

1225. Hoc anno dirissima contra Carmeliticum Ordinem vigebat persecutio, tum in Oriente, tum in Occidente, a Prælatis Ecclesiærum potissimum exorta, qui vel Sanctissima Virginis Ordini parum addicti, obsequentesque, vel nimis forte religiosi, novam esse Religionem nostram, nec Regulam approbatam Carmelitas habere contendeant, ideoque vel esse extinguendam, vel ad aliam ex adprobatis Religionibus redigendam, juxta decretum Concilii Lateranensis IV. Nemim. Quid interim agent miseri, humilesque Eremitæ, quibus Deo magis placere, quam litibus immorari in votis erat? Primum fusis Deo, ejusque SS. Matri precibus, Patriarcham in Oriente Hierosolymitanum pro Latinis, eo tempore Radulphum, adeunt, D. Alberti Successorem, & qui eidem Concilio interfuerat. Hic sua auctoritate injustam Prælato-

rum vexationem in Palæstina compescuit, & ne in posterum vexarentur, Fratribus consuluit, ut clariorem Regulæ confirmationem a Sancta Sede expostularent. *Sibertus de Beke, & Lezana.*

1226. Ineunte hoc anno Carmelitæ ad Honorium III. S.P. pro Regulæ confirmatione recurrunt, & re duobus Curialibus ( a Palatio in Vita Pontif. *Palatinis nuncupatis* ) commissa, cum isti non ut Ordinis Patroni ( quæ mens Pontificis erat ), sed ut adversarii agerent, petita gratia diu dilata est. At non defuit ea occasione Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ præsentissimum tutamen, quæ noctu Honorio apparens, ei præcepit, ut Institutum, suosque Fratres benigne, comiterque exciperet; repentina simul morte, qua eadem nocte, Deo ultore, duo infestissimi Curiales perierunt, eidem revelata. „ Distulit autem (Palæony- „ dori verbis utimur) Matris Dei Milites exaudire Vicarii Christi Cu- „ ria . Quapropter Sanctissima Dei Mater Maria, tenebris noctis inter- „ ruptis, æthereo cum lumine adveniens, Summum Pontificem admo- „ nuit, ad potentium vota animum dare. Nec est (inquit) adversan- „ dum in his, dum jubeo, nec dissimulandum, dum promoveo. Insि- „ nuavitque eidem, duos de Curialibus suis, dictæ Religionis æmulos, Deo „ ultore, esse plexos, dispari exitu, sed discessu pari,. Hinc Honorius Bulla edita Reate 3. Kal. Febr. hujus anni, Regulam Carmelitanam statim confirmavit. Historiam referunt, præter Palæonydorum, aliosque nostros Scriptores, Bzovius, ad ann. 1217., Palatius, in Vita Honorii, aliique plures, citati a Lezana . Bulla vero habetur in Bullar. Carm. tom. I., cum Alberti Regula: in qua tamen corrigendus est annus 1171., juxta ea, quæ ad annum 1205. edifferimus; nam primum tempus datæ Regulæ, nec in ea, nec in antiquo Speculo Ordinis, nec tandem in Bulla ab Innocentio IV. emanata, invenitur. Honori autem Bulla hæc est.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei.

*Dilectis Filiis Priori, & Fratribus Eremitis de Monte Carmelo Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

„ Ut vivendi normam regulariter, a bonæ memoriarum Hierosolymitanæ Patriarcha editam, quam ante Generale Concilium, vos dicitis humiliter suscepisse, in posterum vos, & successores vestri, quantum cum Dei adjutorio poteritis, observetis, in remissionem vobis injungimus peccatorum . Datum Reate 3. Kal. Februarii Pontificatus nostri anno decimo.

In hujus præclari miraculi memoriam, institutum in toto Ordine fuit

fuit Festum, *Commemorationis Solemnis Beatissime Virginis Mariae de Monte Carmeli*, quotannis die 16. Julii celebrandum; quod, post aliud Sacri Scapularis insigne beneficium, follempnius effectum est.

1227. Gregorius IX. hoc anno Summus Pontifex creatus, Generali Ordinis Priori potestatem tribuit, Fratres ab apostasia absolvendi; quatenus in eam impingerent. Crimen profecto, quod frequentius in Palæstina, adversis illis temporibus, quibus persecutions, beldæ; atque ejectiones frequentissimæ erant, accidebat. *Bull. Carm. tom. I.*

1228. Enoch, vel hoc, vel antecedenti anno Sancti Angeli vitam conscribebat, quæ manuscripta Vaticana in Bibliotheca num. 3813. adseratur. Illam verissimam esse, tradunt Baronius, in Notationibus ad diem V. Maii, Bzovius, in Annal. Eccles., Aubertus Miræus, Benedictus Gononus, in Vita Patrum, & Thomas Bellorus, Canonicus Panormitanus, qui vitam illam, in Capita divisa, in lucem edidit, Panormi ann. 1527.

Enokius hic, qui *Sancti*, vel *Beati* nomine a Scriptoribus nuncupatur, erat Palæstinus, S. Angeli tum in itinere, tum in prædicatione. Socius, ejusque Martyrii testis; qui deinde ex Carmelo Hierosolymitano S. Annæ, ad Hierosolymorum, pro Syria Natione, Patriarchatum assumptus, vitam S. Angeli conscripsit: *Vitæ Sanctitate, ac doctrina celebris, divinoque oraculo commendatus* a Segero Pauli vocatur in *Chr. Vit. S. Simon.*

1229. S. Blasius Senensis, Episcopus Soannensis, sive Civitatis Soanæ, in Hetruria (non vero Cremonæ, in Langobardia, ut Carthagena, & Metius scripferunt). *Clarus miraculis*, a Villiers, Bibl. Carm., aliisque adpellatus, circa hunc annum, vita functus est. In Conventu Senensi ipsius caput, cum Effigie, in majori Altari reverenter babetur. Ita cit. Auct.


Eodem anno, etsi Honorius III., ut diximus supra, Bulla sua Carmeliticam Regulam confirmasset, novas tamen Prælati contra Ordinem excogitant calumnias, ex ejusdem Bullæ verbis occasione arrepta: *Quam (Regulam) ante Generale Concilium vos dicitis humiliiter accepisse*. Quam affirmationem (ajebant ipsi) ut admitteretur, a Carmelitis legitimis documentis opus erat probari. Id, quod coram Gregorio IX. actum est; siquidem illi, ex Innocentii III. Regesto, clarissime ostenderunt, Albertum Patriarcham, illius Regulæ Conditem, ante Lateranensem Synodus esse extinctum. Contendebant insuper quidam Prælati, in Ordinis Superiorum creatione se immiscere; hinc idem

Gre-

Gregorius Bulla , quæ incipit: *Ex officio*, edita hoc anno, Perusii, Regulam Carmelitanam iterum adprobat, atque confirmat: *Regulam approbatam a b. m. Honorio Papa Prædecessore nostro auctoritate Apostolica confirmamus.* Prohibet præterea, neminem in Ordinis Superiorum electione partem habere; sed electiones omnes a Fratribus ipsis fieri, juxta Regulæ caput i. *Nullus Priorem*, inquit Pontifex, *instituere, absque Fratrum, vel majoris, & senioris partis ipsorum assensu presumat.* Eadem Bulla Regulæ caput nonum declarans, contra quosdam aliter illud interpretantes, vetat: *Ne in proprietatem de cætero Eremi vestrae, loca, vel possessiones, seu domos, aut redditus alios recipiatis, ullo modo, vel presumatis habere O.c.* Ex quo sane infert Lezana, non ex Constitutionibus, uti scribit Azzorius, sed ex Regula, Ordinem nostrum Mendicantem esse. Bona autem in communi possidere, Nobis, aliisque Mendicantibus concessum deinde est a Tridentino Concilio.

Idem Pontifex, hoc etiam anno, ut Carmeli Religionem quietam magis, atque a molestiis liberam efficeret, alia Bulla: *Religionis vestra*: sub SS. Petri, & Pauli, & Sanctæ Sedis tutamine eamdem exceptit; atque insuper Fratribus nostris veniam concedit, divina Officia nostris in Ecclesiis januis clausis, Interdicti universalis tempore, celebrandi. *Bull. Carm. tom. I.*

+ 230. Pulcherrima, ac miraculosissima Virginis Imago, vulgo *la Madonna di Trapani* appellata, e Syria, Drepanum transvefta, Superis sic volentibus, & magno cum portento in hac Civitate detenta est; quæ in celebri illius Civitatis nostra Ecclesia, ad hodiernum usque diem, magno cum cultu adservatur. *Lex. ad hunc annum.*





B. <sup>V</sup>Alanus Brito  
Armoricus

Electus Generalis in Comitiis in Monte Carmelo habitis 1231.  
Prefuit annis 14. Quievit in Domino Coloniae Agrippinæ die  
1245 Aetatis sue an.

Enold. T. Waterhout Sculp.

## B. ALANUS BRITTO.

Bertholdo II. Alanus successit, cognomento Britto, seu Britannicus, sic appellatus, vel quod Armoricus, & ex Britannia Minori in Gallia oriundus esset, vel quia Anglicus, & in magna Britannia natus, ut tradiderant alii. Hic unus ex Crucesignatis fuit, in Christianorum suppetias ad Palæstinam profectis, qui deinde Loca illa sacra invisens, ad Montem Carmeli concessit, atque illorum Eremitarum sanctitate permotus, eorumdem Instituto, mundo vale dicto, se adscripsit. Quos inter eo Religiosæ perfectionis, ac pietatis pervenit, ut Bertholdi II. Praefectura, cum morte extinta, in Generalibus Comitiis eo in Monte anno MCCXXXI. celebratis, supremum Ordinis caput, plenissimis suffragiis fuerit renuntiatus. Vir vere dignus, inquit Lezana, *qui tanto in Terræ Sanctæ discrimine, totque calumniantium Ordinem Carmelitanum turbinibus, is solus, præ aliis Director, & Moderator vocatus fuerit.* His enim temporibus, frequentiores, & usque ad internecionem erant Infidelium incursions, ac Monasteriorum, & Eremorum in Terra Sancta depopulationes, ac ruinæ.

Cum autem vigilantissimus hic Præful, res Christianorum, & Ordinis sibi crediti semper in pejus ruere intuenterit, sexto sui Generalatus anno, Comitia, five Congregationem Generalem, sacro in Monte Carmeli indixit, cui, præter alios, etiam S. Simon Stockius interfuit, ab Europa, ubi Vicarii Generalis munus gerebat, vocatus. Ibi, in Domino congregati, post varias consultationes, & hinc inde sententias, ad illud postremo devenerunt consilium, ut Ordinis ab Oriente in Occidentem universalis fieret transmi-

gra-

gratio, ne ultimum; quod instare videbatur, ejus sequeretur excidium; unicuique Cœnobitæ proinde venia tributa, e Palæstina discedendi, seque in Europam ad novos extruidos Conventus conferendi. Quam sane deliberationem ipsa Dei Genitrix Maria, eidem pientissimo Priori Generali in somniis apparens, probavit, confirmavitque.

Quo sane consilio factum est, ut quamplurimi ex Latinis, seu Europæis præsertim, Palæstinam deseruerint, in Occiduas Regiones profecti. Constans tamen, & sui propositi tenax Alanus, una cum aliis, animi haud pusilli Fratribus, ibidem permanxit; totusque in parvo, dilaniatoque ejus grege regendo fuit: extremas famis angustias, timores, ac pericula, quibus passim erant obnoxii, nihil, aut parvi pendentes. At vero eversis a Saracenis pene omnibus Conventibus, & Eremis; ejectis, vel occisis Fratribus, ne tandem extreum Ordinis videret exitium, Alanus, relicto in Palæstina sui Vicario B. Hilarione, paucisque aliis, qui ad sanguinem pro Christo fundendum erant parati; ipse cum S. Simone, ac reliquis Fratribus Palæstinam deseruit, atque Angliam appulit, anno videlicet MCCXLIV., ibique principem Ordinis Sedem constituit. Sequentे anno Aylesfordiæ in Anglia Generale indexit Capitulum, cui ipse & præfuit (uti scribunt Segerus, & Lezana, contra quosdam, qui ea tempestate vita functum credidere), in eoque in B. Simonem, omnibus plaudentibus, a se abdicatum Ordinis transiit regimen. His omnibus peractis; Alanus ex Anglia Germaniam petiit, ubi paullo post senio, & laboribus fractus, Coloniæ Agrippinæ, ad æternam quietem convolavit, maxima in terris sanctissimæ ejus vitæ relinquens argumenta, a Deo ipso, post ejus obitum, miraculis confirmata. Mortuus est igitur anno MCCXLV., Innocentio IV. Summo Ecclesiæ Pastore, conditusque est in nostra Ecclesia; in cuius Sepulcro hæc

hæc adhuc legitur Inscriptio : Anno 1245. B. Alanus , Britto, Ordinis Carmelitarum V. Generalis Latinus , Primus inter Generales , extra Carmelum , carnis exuvias bic depositus , sub opinione Sanctitatis . Eundem inter Sanctos , atque Ordinis Beatos adnumerat Philippus a SS. Trinitate , in Decore Carm. Relig.

*Res memoria dignæ sub B. Alani regimine .*

1231. **V**Ita functo hoc anno Generali Bertholdo II. , juxta Lezanæ , aliorumque accuratiōrum Scriptorum computationem , in Monte Carmeli Generalia Comitia habentur , in quibus Successor illius Alanus Britto renuntiatus est . *Lezana*.

Circa hæc tempora noster B. Francus , qui post mortem Patris in emne flagitorum ruerat genus , miro modo ad Deum conversus est .  
 „ Ut enim ( scribit ejus Vitæ Auctor ) in aleis totus erat , totas in  
 „ eis noctes traducebat ; at nocte quadam , dum non nummos modo ,  
 „ sed & ipsa corporis amississe vestimenta , nil reliqui habens , quod lu-  
 „ do deponeret , oculos manu tangens , blasphemam emisit vocem : O  
 „ bos , tuum in despectum , qui dedisti , Deus , ludo depono . Vix dum  
 „ blasphema finierat verba , & is dolor invasit oculos , is ignis ussit ,  
 „ ex opplerunt tenebræ , ut , ubi esset , non videret , nedium astantes .  
 „ Sed hæc cæcitatis poena , oculos mentis aperuit , & ipsum ad melio-  
 „ ra reduxit . Sibi enim redditus , suum cæcus errorem vidit , quem  
 „ oculatissimus non noscebat . Resipiens ergo , amaras cæpit lacrymas  
 „ fundere , ferire pectus ; faciem cædere , crines vellere , ac flagris la-  
 „ cerare carnem , identidem orans &c. Sicque ex insigni peccatore ma-  
 „ gnus factus est poenitens , atque visio ( de qua ad ann. 1211. ) ab  
 „ ejus matre habita antequam ipsum pareret confirmata . Ita Gregorius  
*Lombardello Dominicanus Franci vitæ scriptor , & nostro Segero Pauli latinitate donatæ .*

1236. D. Simon Stockius ex Anglia ad Palæstinam proficiscitur , ad Capitulum , sive Generalem Congregationem , Carmelo in Monte indictam , vocatus ; atque , ut Lezana opinatus est , B. Jordano Fratrum Dominicanorum Generali II. , ejus amico consociatur , qui tunc temporis , in Terram Sanctam , ad sua visenda Cœnobia se conferebat ; cuique illud adversi accidit , ut sequenti anno ad Europam rediens , navi in Achon , sive Ptolemaidis viciniis , jactata procellis , una cum aliis

perierit naufragio . Eodem tempore , sanctissimus ille vir , gloria coruscans , amico ejus Simoni adparuit : ac præterea nostro cuidam novo Religioso ( quem tunc ad habitum , & Ordinem deferendum pertentatum , forsitan ob assiduas Infidelium incursions , multo magis in ejus consilio infelicissima , ut ipse putabat , mors illius confirmaverat ) eumque increpans , ait : *sibi in posterum , non qua morte abirent homines , sed quam vitam duxerint , cogitandum* . Qua cælesti visione recreatus Frater , Diaboli fraudem , ac tentamen evasit ; magis , magisque in proposito suo confirmatus . *Lezana , & Annales Dominicani* .

1237. Celebratur Carmelo in Monte Capitulum , sive potius Generalis Congregatio , Præsidente Alano Generali Priore , in qua ( scribit Bostius ) „ inter cætera , quæ tractata fuerunt , exposuere Fratrum multi , recessum aliquorum a Terra Sancta illa ( quæ Incolarum peccatis exigentibus , in dies amplius oppugnabatur ) expedire , ne tanta Religio inter Turcas impudicos evanesceret , sed in partibus Occidentis transplantata jugiter floreret ; præfertim cum multi eorum , Saracenorum gladio forent absumpti . Contradixere plures , non esse , dicentes , fortis militis tergum ostendere , sed viriliter persistere ; & ad mortem usque bellando perseverare . Cumque , *subdit Historicus* , sic dubia Patrum fieret sententia , Virgo Maria Sancto Priori Carmeli ( nimurum Alano ) apparuit , & admonuit , ut petitioni Fratrum , qui Orientale lumen tenebris Occiduis inferre vellent , nequaquam observert . Hanc esse suam , divinique ejus Filii voluntatem affirmans . Hinc hujus Capituli decreto , Religiosis Europæis venia fuit tributa , in patrias Occidentis Regiones transmigrandi , ibique Religionem novorum Conventuum erectione proferendi . *Bostius cit.*

Ea Revelatio , a B. Virginie Alano facta , alia est ab illa , de qua in anno 1224. differuimus ; ut Lezana animadvertisit . Quemadmodum etiam hæc , nostri Ordinis ab Oriente in Occidentem transmigratio , hoc in Capitulo statuta , non debet prior existimari , quasi nulla alia Religiosorum nostrorum antehac fuerit : Idque multæ nostrorum Conventuum extructiones , jampridem in Europa factæ , atque a Lezana in Annalibus relatæ , satis luculenter ostendunt ; quas inter insignis est illa Conventus Gedani anno 1086. erecti , ut ad hunc annum diximus . Prima sane dici potest , quoad alias peculiares ; „ in eo solo sensu , inquit citatus Lezana , Primo , quia hæc facta fuit ex Cælestis , & supernaturalis B. Virginis visionis instinctu ; aliæ autem ex privato Fratrum , sive Superiorum judicio : Hæc ex Capituli Generalis , matura dif-

„ discussione præmissa , decreto ; illæ ex mero beneplacito Fratrum , &  
 „ Prælatorum assensu . Hæc ad plures Mundi Regiones ; illæ autem ad  
 „ unam , vel etiam Civitatem .

Hinc falsa omnino est absoluta , ac definitiva Papebrochii sententia in Propylei antiqu. par. 2. Finio igitur , & rursus affirmo , Carmelitas , ante annum MCCXXXVIII. nulla , in Occidente , habuisse Monasteria .

1238. Ex prænarrati Generalis Capituli decreto , quamplures Europæ Religiosi e Palæstina , in varias Europæ Regiones , hoc tempore , proficiscuntur ; ut post nostrum Gulielmum Sauvicum , qui tunc in Terra Sancta aderat , scribit Abbas Trithemius „ anno D. MCCXXXVIII. , „ coacto in unum Concilio , totius Ordinis , in Monte Carmelo , multi „ de Prioris licentia , & Consilio Fratrum Palæstinam egressi sunt , & „ cum Regula , Ordinario suo , ac statutis in Europam , unde venerant , „ reversi . Venerunt ergo aliqui in Cyprum , alii in Franciam , & Angliam , nonnulli vero in Germaniam ; singuli , ubi se locum , pro conservando Ordine , putabant invenire . Remanserunt autem , & plures in Monte Carmelo , qui tamen & ipsi , per Saracenos , brevi post expulsi sunt „ . Tritb. lib. 1. de laud. Cær. cap. 8.


1239. Hoc anno , Saraceni Montis Carmeli Monasterium , nostrosque Fratres aggrediuntur ; quorum pars eorum feritatis victimæ cecidit , pars vero , fugam in vicinam Achonis Civitatem arripiendo , necem vietavit . Atque ea tempestate accidit , ut quum Religiosi Carmelo in Monte defecissent , aquæ etiam celebris Eliæ Fontis desuerint ; qui , maximo cum portento , tunc solum scatere solebat , quum illi ibidem adessent ; ut cum aliis tradidit Bartholomæus Saligniacus , in Itinerario Hieros. tom. x. Prodigium visitur in Monte Carmelo ; ubi fons scaturit , non quidem perpetuis aquis , sed temporaneis ; nulla enim ibi est aquarum copia , nisi transeuntibus Fratribus &c. Hinc vexatus Christianorum Exercitus , qui Achon defendebat , ob aquarum præsertim penuriam , quæ omnes a Turcis fuerant infectæ , atque venenatae : „ Intelligens a Fratribus Carmeli incolis exilibus , Achone degentibus , quod si illuc ipsi reducerentur , Fons S. Eliæ Patris eorum , dulces iterato aquas redderet , armata , ac forti manu , ipsos Fratres denuo , eodem anno , circa calores æstivos in Montem Carmelum restituerunt . Quibus orantibus , mox magni Eliæ fons occlusas aquas suas dulces rursus toti Christianorum Exercitui largiflue communicavit . Quo viso miraculo , diversi Milites Christiani nobiles , in regressu ad propria , nonnullos

„ ex ipsis Fratribus Carmelitis ad Regna, ac Regiones suas conduxerant, „ eisque illic Monasteria fundarunt „ . Ita mirabilem successum , post Vinetum , ac Mantuanum , describit Segerus Pauli , in Chr. Vit. S. Sim.

1243. Corasmianorum Exercitus ( quæ gens erat barbara , & a Tartaris de Persia expulsa ) in Palæstinam irrumptit, atque undique excurrentis , occidit , depopulatur , atque evertit omne id , quod occurrit , & præ se Christianum fert nomen: cui sane crudelissimæ eversioni complura etiam nostrorum Fratrum Cœnobia subjacerunt ; illa præsertim , quæ in Eremis exstabant ; inter quæ illa Quarantenæ , & Valium ; ubi aliqui ex nostris , a Paganis trucidati Cœlestem Patriam ascendere meruerunt ; ut scribit Lezana ad annum 1244.

1244. Desperatis omnino in Syria , ac Palæstina Christianorum rebus , ob subsidii inopiam , quod Christicolis ab Occidente parcissime mittebatur ; bellorum causa , quibus Fridericus Italianam , Sanctamque Sedem vexabat ; mestissimus Generalis Alanus , Carmeli cura , paucorumque aliorum Conventuum , qui in Palæstina supererant , Beato Hilarioni commissa , ipse etiam e sanctissimis illis locis tandem discedere coactus est , & navim conscendens cum aliis quamplurimis , quos inter Simon quoque Stockius ( usque ad illam diem , in solitudine Carmeli moratus ) eodem hoc anno in Angliam pervenit . Lezana .

B. Hilarion , de quo hic fit mentio , Provincialis , & Vicarii Generalis munus , post Alani discessum , gerebat : eidem Sancti , ac Martyris ad petitionem tribuunt Auctores nostri , quos inter Philippus Metius de ipso sic scriptum reliquit : S. Hilarion Provincialis Terræ Sanctæ , vir tum conversationis gloria , tum vitae sanctimonia , Religionis , ac fidei Christianæ Zelo plurimum insignis , Christi nominis gloria mortem Iubens subivit . Auctor citat .





S. <sup>VI.</sup> Simon Stockius  
Anglus

Electus Generalis in Comitijc Ailesfordiæ habitis in Anglia 1247  
Præfuit annis 20 Ad cælum migravit Burdegalę die 16 Mayj 1255  
Aet. 100.  
Anthonij van Herck Sculp.

## VI.

## S. SIMON STOCKIUS.

**C**anthiæ, in Anglia, a Parentibus cum pietate, tum nobilitate conspicuis, natus est Simon, anno reparatæ Salutis MCLXV. Duodecimum annum agens, paterna domo relata, in solitudinem secessit, ubi in concavæ quercus truncō (qui anglico idiomate *Stock* nuncupatus, ipsi deinde Stockii, sive Stock cognomen dedit) delitescens, divinis contemplationibus, jejuniis, & corporis afflictionibus intentus, viginti annorum spatio commoratus est; non alio nutritus cibo, nisi herbis, radicibus, pomisque sylvestribus; cuius vita severitatem nonnumquam leniebat Deus, canum ministerio; qui, statis diebus, ad Simonem accedentes, panem ei, unde jejuna membra refoveret, afferebant.

Carmelitis quibusdam, e Palæstina in Angliam adveneruntibus, Dei Matris monitu (quæ sapissime cælesti sua praesentia illum solari consuescebat) Simon inter illos adscitus est, eorum Institutum amplectens: Oxonium deinde, divinarum litterarum causa, missus, et si ingenio, ac singulari doctrina (quæ indita potius, quam comparata videbatur) esset præditus, Laurea tamen doctorali, eidem oblata, præ nimia humilitate sua noluit insigniri. Totum deinde animum Simon applicuit animarum saluti, verbum Dei ubique prædicans, quo in munere quales, quantosque fructus Ecclesiæ attulerit, difficile est dictu; ea præsertim tempestate, qua Regnum Angliæ universali interdicto, & Rex excommunicatione erant affecti: utroque illius prædicatione, ac labore ad Ecclesiæ communionem restituto.

Fama ejus Sanctitatis cum ad Palæstinam usque pervenisset, a Brocardo Generali Priore, Generalis, cum omnimo-

moda potestate , Vicarius in Europæ Regionibus fuit institutus ; quo in munere a Brocardi etiam Successoribus fuit postea confirmatus . Exagitato tunc temporis Ordine , ab Europæis præsertim Episcopis , ac Parochis , occasione Decreti Concilii Lateranensis : *Ne nimia* ; Simon fuit ille , qui apud Honoram III. Ordinem , pro viribus defendit , atque Regulæ adprobationem , Ordinisque confirmationem , anno 1226 . Pontificia illius Bulla obtinuit ; quam a Successore Gregorio IX. etiam alia Bulla roborari curavit .

Anno D. 1237. Generali Capitulo , in Sacro Carmeli Monte habito , in quo de sollemni , & universali Ordinis in Orientem transmigratione actum est , Simon interfuit ; ibique sex annorum spatio eremitica vita , in quodam illius sacri Montis antro , transfacta , anno deinde 1244. , una cum Alano Generali Priore , Palæstina relicta , in Angliam rediit . Hic aliis Generalibus Comitiis Aylesfordiæ , anno 1245. celebratis , Generalis totius Ordinis Prior renunciatus est . Ad supremam hanc Sedem evecto , quanta fuerit pastoralis ejus vigilantia , ac studium ; quot pro Ordine sibi credito conservando , propagando , illustrandoque labores fuerint , sati luculenter ostendunt , Gratiæ , atque innumera Privilegia a Summis Pontificibus impetrata , & in nostro Bullario relata . Sanctitati quoque illius , ac precibus Ordo Carmelitanus , immo & totus Catholicus Orbis singularissimum illud Privilegium debet , sacratissimi Scapularis , a Regina Cælorum in Terras adlati , de quo infra late erit dicendum . De ceteris præclarissimis Simonis gestis , ac miraculis , cum ante , tum post obitum editis , consulendi sunt Scriptores , tam nostrates , quam exteri , qui de iis egerunt , in primis vero Daniel a V. M. in *Specul. Carm. tom. I.*

Tandem sanctissimus hic Præful , cum adhuc in extrema senectute constitutus , tamquam optimus Pastor , gregem suum

suum inviseret , in Burdigalæ Conventu , in Gallia posito , gravi morbo correptus , Terras relinquens , ad Cælum convolavit , postridie Idus Majas , anno D. MCCLXV. ætatis vero suæ anno centesimo , Ecclesiam moderante Clemente IV. Ordini Generalis Prior præfuit annis viginti . Festum ejus , eodem die , quo obiit , sub ritu duplici majore , & cum octava , in universo Ordine celebratur .

*Res memoria dignæ sub S. Simonis regimine .*

1245. **A** Ylesfordiæ , in Cantia , Angliæ Comitatu , Capitulum generale ( quod est primum in Europa habitum ) ab Ordine celebratur , ubi munus Generalatus , quo se obdicavit Alanus , in D. Simonem , Fratrum unanimi consensu , transfertur . In eo etiam communii voto ad S. Sedem recurrendum esse statuitur , pro declaratione , ac mitigatione quorumdam Regulæ Capitum . *Pitsæus , O Lezana .*

Eodem tempore Carmelitæ , qui Infidelium , in Palæstina , incursions fugientes , in Europam venerant , patrocinium , & auxilium a S. Sede humillime petunt : hinc Innocentius IV. , hoc anno , per varias ejus Apostolicas litteras , primo personas , & loca eorum , sub sua , & B. Petri protectione suscepit : 2. omnes Christifideles hortatur , ut eodem , pro vitæ usibus , piis eleemosynis adjuvent ; indulgentiis etiam ad id concessis : 3. Archiepiscopis , & Episcopis omnibus mandat , ut eos benigne , in suis Dioecesibus excipiant , veniamque , tum divina celebrandi Officia , tum Sepulcrum pro Fratribus , in Cœnobiis tam erectis , quam erigendis habendi , illis concedant . *Bullar. Carm. tom. I.*

1248. Hoc anno , postulantibus Ordinis Generali Priore , & Capi- tuli Generalis Definitoribus , per duos Fratres Lugdunum missos , Innocentius IV. Bulla , quæ incipit : *Quæ bonorem* , edita Kal. Octobris , declarat , corrigit , ac mitigat quædam Alberti Regulæ capita , dubia fortassis , aut Europæorum moribus , Vitæque Cœnabiticæ parum convenientia . Relata est Bulla in Bullar. Cherubini , & in nostro Carmel. tom. I. pag. 9. Ubi in margine mutationes , declarationes , ac præterea primitivæ Regulæ facta additamenta distinctim adnotantur .

1250. Nascitur hoc anno , juxta Lezanam , S. Albertus Siculus , ex illustri Abbatum familia , atque a sterilibus Parentibus , voto , quod SS. Virginis Drepanensi voverant , comparatus . De ejus nativitatis lo-

co,

co, acerrima duas inter Siculas Civitates, Drepanum scilicet, & Montem Drepani, lis est, qualibet suum esse contendente. *Ex ejus vita.*

1251. Annus hic Carmelitico Ordini semper erit memorabilis, ob celebrem Beatissimæ Virginis Mariæ visionem D. Simoni factam; obque Sacrum Scapulare ipsi, & cunctis traditum Carmelitis. Dum enim B. Simon nocte, quæ diem 16. Julii, hujus anni præcesserat, humili, ac supplici obsecratione B. Virginem, pro Ordine exorat suo (qui nondum a vexationibus, ac molestiis vacuus erat), ut signum aliquod, divini ejus Patrocinii eidem præberet, eumque in posterum Sartum, tectumque servaret, sic eam deprecans: *Flos Carmeli, Vitis florigera, Splendor Cœli, Virgo puerpera singularis, Mater mitis, sed viri nescia, Carmelitis da Privilegia, Stella maris: Apparuit* (iisdem enim verbis D. Simonis, quibus postea Fratribus suis Cælestem visionem narravit, utemur) *Apparuit mibi cum grandi comitatu, & tenendo habitum Ordinis, dixit: Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis privilegium; in hoc quis moriens, æternum non patietur incendium.* Et quoad mala, quæ tunc Ordo patiebatur, subdidit: *Et quia sua gloria præsentia me lificabat, ultra captum, nec ego miser Majestatem sustinere poteram, disperando dixit, quod mitterem ad D. Innocentium, Benedicti Filii sui Vicarium, qui de gravaminibus remedium præstaret.*

Ita Marianam Visionem, & Sancti verba refert Petrus Swayngtonus Confessarius, & S. Viri Comes, in ejus Vita, quam scripsit, anno 1267., a quo Scriptore, Simonis coævo, testeque locupletissimo eandem visionem exscripterunt, posteaque evulgarunt nostrates Auctores; nempe Gulielmus Conventrè, anno 1348., Joannes Grossus, anno 1389. Thomas Bradlæus, anno 1430. Balduinus Laertius, anno 1469. Arnoldus Bostius, anno 1480., Joannes Palæonydorus, anno 1494., qui post verba: *æternum non patietur incendium*, addit etiam illa, ut ab eadem B. Virgine prolata: *Ecce signum salutis, salus in periculis, fedus pacis, & pacti sempiterni.* Sic etiam memoriae prodiderunt infiniti alii Scriptores, distinctim, & chronologica serie, ad ejus usque tempora a Daniele a V. M. relati *in specul. Carm. tom. I.*

Præter nostrates Auctores, eamdem Stockianam visionem referunt etiam Emmanuel Rodriguez, Sylvester Marulus, Martinus de Rio, Joannes Carthagena, Antonius Sanderus, Aubertus Myræus, Cornelius a Lapide, Benedictus Gononus, & S. Simonis vitæ Compendium, quod in Vaticana Bibliotheca num. 3813. adseratur. Insuper idem testantur complurimi alii Scriptores; quos inter operæ pretium ducimus duos

re-

recentiores enumerare, nempe Criticum Danielem Papebrochium, historiarum Carmeli oppugnatorem acerrimum; qui suis Responsionibus ad P. Sebastianum a S. Paulo par. 2. art. 20. num. 18. profitetur, se de veritate D. Simonis Visionis nullum amplius habere dubium; postquam omnia, quæ scripsit Swayngtonus, perlegerit; & num. 28. explicationem, quam Carmelitæ dant Visioni, libenter approbat. Alter doctissimus, atque emunctæ naris Scriptor Benedictus est XIV., Summus Ecclesiæ Pontifex; qui in ejus Opere; *de Festis*, tom. 2., pag. 371. Patavii edito; postquam ea, quæ scripsit Papebrochius, retulit, ita inquit: *Quanto alla sudetta visione, Noi ben volentieri l'ammettiamo, e crediamo, doversi ammettere da ciascheduno*, eodemque in loco rationes allegat. *Essa* [inquit ipse] *vien riferita con molta distinzione dal Suavingtonone Compagno, e Segretario del Beato Simone, che l'intese dalla di lui bocca: [Quam ego immeritus, homine Dei dictante, scribebam]. L'Originale della medesima conservavasi nell' Archivio di Bourdeaux, e nell' occasioni delle accennate controversie [inter Carmelitas scilicet, & Launoyum] fu posta alle stampe dal Padre Giovanni Cberon Priore del detto Convento nelle Vindicie dello Scapolare pag. 156.*

Et, quod magis est [& hæc est altera ejusdem Pontificis ratio], fuit eadem Visio a Sacra Rituum Congregatione pluries adprobata, in Officio sollemnis Commemorationis B. V. Mariæ de Monte Carmelo, primum quampluribus Regnis concesso, atque hodie a Benedicto XIII. ad totum Catholicum Orbem extenso, post trium Cardinalium examen, ac censuram: nimirum Bellarmini, Pinelli, & Torres. Fuit insuper a variis Pontificum Bullis *implicite* comprobata; & tandem tot miraculis, quæ per Sacrum Marianum scapulare, quolibet tempore, Deus operatus est, confirmata. Quapropter merito concludi potest cum eximio P. Paulo Zehentner Jesuita in *Promontor. malæ spei lib. 3. §. 13.*: „Hanc Sancti Simonis objectam speciem veram fuisse apparitionem, non inane ludibrium, probat tum viri pietas, & religiosa prudentia, tum antiquissimus Doctorum sensus, ipsiusque Ecclesiæ auctoritas; Bullæ item variorum Pontificum; denique Miracula ob devotam scapularis gestationem, non semel consecuta, & diligenter descripta.

Hæc tamen Mariana promissio: *In quo quis moriens æternum non patierit incendium*, non debet ita intelligi, quasi salus æterna sit unius materiali, ut ita dicam, Sacri Scapularis gestationi adnexa; sed pia debet esse, ac religiosa, & ipsius gestator *necessariis dispositionibus* debet esse

esse munitus. Quemadmodum nec solus actus fidei, nec sola eleemosyna ad salutem consequendam satis est; etiam si haec Fidei, atque eleemosynæ in Sacris Libris absolute promittatur; *Joan.* 3., *Tob.* 12.

Hinc variæ sunt explicationes, quas nostri Auctores verbis dederunt laudatæ promissionis: *In quo quis* C. *a Lezana in Annal. ad hunc ann. relatæ;* quas inter unam hic Danielis nostri in specul. Carm. tom. 1. par. 2. pag. 443. adducemus, quam laudat, & adprobat Benedictus XIV. loc. sup. cit. eaque hujusmodi est: *Æternum non patietur incendium. Hoc est quantum est ex parte Virginis, & ex capite gratiæ, quam eidem apud Filium impetrabit, intuitu scapularis, jam olim collati in signum salutis C. nisi scilicet ex alio capite impingat in petram scandali, & lapidem offensionis, per temerariam divinæ legis transgressionem.* Hoc modo intellecta, atque explicata Stockiana Visio, & Mariana promissio, nihil sane continet, quod Ecclesiæ Catholicæ doctrinæ, aut bonis moribus aduersetur; neque aliquod ex ea orietur absurdum, ut clarissime patet. Et laudatus Papebrochius, ab eodem Pontifice citatus, fas-sus etiam fuit: „Ego [ inquit ipse ] in illis explicationibus nullam vi-“ deo difficultatem: ea enim Patres Carmelitæ tam commode exponunt „[ verba nempe Marianæ Promissionis ] ut facile evadant omnem ju-“ stam reprehensionem, neque nata sint [ sicut calumniantur nonnulli ] „stolidam fiduciam ingerere peccantibus adipiscendæ Salutis, quomodo-“ cumque ducatur vita „.

Non ergo æternæ Salutis fiducia materiali Scapularis gestationi ini-titur, sed Beatissimæ Virginis Mariæ adjutorio, ab endem Sodalibus suis exorato [ inquit Raynaudus ], cuius interventu servabunt mandata, & vitam sancto fine concludent. Et bæc est vis illa specialis, quam agnoscit volumus in gestatione Scapularis, junta Deiparae sponsonem. Hinc perbelle cecinit ille:

*Nec dare se jactat panni ruditis ora Salutem,  
Sed venit a Diva Virgine tota salus.*

*Tota salus Deus est, qui cum sit Virgine natus;  
Profluit a tali Virgine Matre salus.*

Cum nos memorabilem S. Simonis Visionem descripserimus, eam brevitatem, quam nobis a principio indiximus, prætergressi sumus; sed id ob Dissertationem quamdam, Segeri Wan-Espenii nomine typis man-datam, accidit; quam ex ineditis ipsius Manuscriptis erutam Collectorij ejus Operum posthumorum, recenter Neapoli impressorum tom. 2. inse-re-re, atque ad lucem edere placuit. Quam sane Dissertationem ( mo-do

de eadem Wan-Espenii vere sit) prælo dignam Auctor ipse minime existimavit. Ut ut autem sit, in ea in dubium satis audacter revocantur, quæ in Ecclesia Catholica semper a fidelibus magna in veneratione habita sunt: nimirum SS. Rosarium S. Dominici, Funiculum D. Francisci, Corrigia D. Augustini, ac tandem Sacrum B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo Scapulare. Sed in postremum hoc, non aliter invehitur, quam futilis omnino, ac temerarias Joannis Launoy objectiones recoquendo, quas iste in quinque suis Dissertationib⁹ collegit, jam a Rege Christianissimo in Gallia primum, ac Romæ deinde a S. Sede anno 1690. sollemniter proscriptis. Cujus quidem argumenta satis abunde impugnata fuere, & in os ipsius Auctoris a nostratis Scriptoribus elisa, nempe a Joanne Cheron, Thoma Aquinate a S. Joseph, Philiberto Fezajo, Irenæo a S. Jacobo, atque ab eximio Theophilo Raynaudo Jesuita; & deinde ab innumeris aliis scriptoribus, quos inter novissime Cosmas Villiers, Bibliotheca Carm. tom. 2. verb. *Simon Anglus*, ubi singulas Launoy affert difficultates, & solide omnes, modesteque refellit.

1252. Confirmat Deus, hac tempestate, Visionis Stockianæ veritatem, & promissum, a B. Virgine Simoni factum, stupendo sane Miraculo. Morti proximus erat Nobilis quidam Wyntonensis, nomine Walterus de Llynthonia; qui pro precibus, quas Deo, fatali illo transitu, fundere debebat, execrabilibus blasphemis, desperati instar, animam Dæmoni tradebat. Interim dolentissimus ejus Frater Petrus, Ecclesiæ S. Helenæ Decanus, ad ægri illius domum, S. Simonem Stockum sollicite vocari curat; qui post multas Deiparæ effusas preces, pro animæ famosissimi illius peccatoris salute, sacrum habitum ejusdem corpori imponit; atque en hominem illum subito mutatum, & ad Deum conversum: apertissimis veri doloris argumentis crux confitetur, & periculum proximæ, atque æternæ damnationis evadens, ob meritum B. Mariæ Virginis æternam salutem consecutus est; quemadmodum post obitum, ejus anima Fratri suo adparens, eidem fuit testata. „ Circa horam octavam noctis pacifice exhalavit animam, quæ Fratri suo hæbitanti de salute ejus apparuit, significando, bene secum agi, „ & quod per potentissimam Reginam Cælorum, per habitum B. Viri, tamquam per clypeum evaserat infidias Dæmonum „. Sic supra laudatus Swayngtonus, successus illius ocularis testis, in *Vit. S. Simon.* Ubi addit, quod, hujus rei nuncius quum ad Episcopi aures pervenisset, ad se vocato Simone, omnia ex ejus ore audire voluerit, & in forma authentica describi posserit. *Domino Episcopo mandante vœta scribi sub sigil-*

*sigillo authentico.* Subdit præterea, Petrum Defuncti Fratrem, in æternum accepti beneficij monumentum, ad B. Virginis honorem Wynthoniæ Ordinis nostri Cœnobium ædificasse. *Auctor citat.*

1254. S. Ludovico IX. Galliarum Rege e Palæstina in ejus Regnum redeunte, navis in Montis Carmeli vicinitate jactata procellis jam jam peritura erat, cum intelligens Rex inter noctis caligines, & campanæ sonitum, atque ex ore navis gubernatoris, ibi Carmeli Ecclesiam adesse, Beatissimæ Dei Matri toto corde se commendavit; vovitque, illuc ad Virginem adorandam ascensurum; si ipsum ab instanti eriperet naufragio. Misericordiarum Mater Ludovici precibus annuit, & Rex, sedato mari, Montem Carmelum statim ascendit, eamque, post gratiarum actionem, humillime veneratus est. E Carmelo deinde discedens, Superioris accepta benedictione, sex Eremitarum illorum secum duxit; quibus, postquam in Galliam pervenit, Parisis Monasterium ante portam Barraram (sic a *Barratis* Fratrum palliis deinceps dictam) extruxit. Historiam hanc præ aliis refert Gulielmus Sanvicus, ea tempestate Montis Carmeli incola, *tract. de multipl. Ord. cap. 6.* Fuit deinde Ludovicus nostri Sacri habitus amantissimus, ut scribit Theophilus Raynaudus, in suo *Scapul. Partben. Carmel. par. 1. cap. 8.*, „Omnium summus inter summates Laicos Sacri hujus Ritus observatores censendus est S. Ludovicus IX. Rex Francorum, qui primum e Palæstina regrediens, abductis secum de majorum consensu, sex de Monte Carmelo Eremitis, vel ab eis edoctus religiosam scapularis observantiam, vel in regressu ritum satis disseminatum pie usurpans, Mariano sodalitio nomen dedit,. Id quod ex ejusdem ævi Auctoriibus idem Raynaudus clarissime demonstrat. *Vid. Specul. Carm. tom. 1.*

Eodem anno Summi Pontificis Innocentii IV. benevolentiam, ac tutamen experiuntur Carmelitæ, juxta promissionem a B. Virgine D. Simoni Stockio in Occidente factam, atque in Oriente Vicario ejus Generali Nicolao Gallo; Pontificem enim adeuntes, a variis ille gravaminebus, ac molestiis Carmelitas liberat, quæ tunc a Prælatis, Parochis, aliisque patiebantur. Ac primo quidem Generali Priori potestatem tribuit eos, qui Ordini se voveant, a censuris, in quas forsan in sæculo incurserant, absolvendi. 2. ejus subditos ab excommunicatione, *ob manuum injectionem in se invicem* liberandi. 3. vetat, ne ullus ab hortis, & virgulis ad eosdem spectantibus decimam exigat. 4. Veniam Generali concedit, ut Fratribus suis concionari, & confessiones audire, cum uno Locorum Ordinariorum consensu, permittat. 5. non modo duorum Conventuum ere-

erectionem confirmat, primi nempe Aylesfordiaz, atque alterius Londini, a Nobili Richardo de Grey extructorum; sed Episcopo etiam præcipit, ut illos, qui hisce omnibus resistunt, censuris quoque compellat. *Bullar. Carm. tom. I.*. Atque en confirmata, quæ Virgo Simoni prædixerat: *Quod mitteret ad D. Innocentium, Benedicti Filii sui Vicarium, qui de gravaminibus remedium præstaret*. De quo jam supra.

1256. Novus Pontifex Alexander IV., æque ac ejus Antecessor, Carmelitis se præbuit propitium: nam hoc tempore septem pro eis Bullas edidit, quibus varia illis concedit privilegia; præ ceteris vero Declarationem, & Mitigationem Regulæ, ab Innocentio IV. factam, confirmat: „Et quoniam propter, ut ipse ait, Paganorum incursus in „Mansionibus, quas habent in transmarinis partibus, nequeunt com-„morari, & ob hoc oporteat ex ipsis aliquos se transferre ad Regiones „varias, & remotas“. Idcirco hortatur, præcipitque Fidelibus, ut eos benigne, comiterque excipiant, ac de domibus, locisque opportunis in suis Regionibus provideant. *Bull. Carm. tom. I.*

1260. Circa hæc tempora, Tolosæ, dives quidam Hebræus, nomine Samuel Grossus, ob Dei Matris prodigiosam apparitionem, super sui viridarii arborem pluries visa, ad fidem convertitur, eumque locum Carmelitis dono dat; qui e Conventu extra Civitatem vocati, parvum ibidem, ac nimis religiosum Oratorium aptarunt. At id postquam rescivit Præfus, sive Civitatis Gubernator, illinc Carmelitas expellere conatur, ipsisque abnuentibus, eundem locum undique circumdat, iisque viatum comparandi viam adimit, ut sic ad exeendum fame compellat. Has inter angustias afflictorum Matri se commendant; cui dum ipsi singulari pietate, atque obsequio Antiphonam canunt, a D. Simone compositam: *Ave Stella Matutina*, ad verba illa cum pervenissent: *Tu nos in hoc carcere solare propitia*: opposita rumpuntur obstacula, eodem temporis momento januæ mirum in modum aperiuntur, & quod mirabilius fuit, Gubernatoris oculi proprias reliquerunt sedes, a nervis ad maxillas usque pendentes: *Oculi Capitanei, qui ipsos inclusferat, per nervos in maxilla pependerunt, sedes propriasexeuntes*. Repentino hujusmodi malo Gubernator, sui criminis pœnitens, ad locum illum adduci se jussit, ibique ad Cælorum Reginæ pietatem, Fratrumque orationes recurrit. Et ecce tum aliud accidit portentum; siquidem dum illi pro ipso precantur, coram Virginis Simulacro *Salve Regina* canentes, ad verba illa: *tuos misericordes oculos ad nos converte*; Gubernatoris oculi pristino loco restituuntur, ac priori valetudine gaudet infirmus. *Confessim*

*stum oculi prædicti Capitanei loca pristina, cunctis, qui adorant, videntibus, reintraverunt.* Ita refert Historicus. Deinde in grati animali testimonium Misericordiofissimæ Dei Matri una cum suis bonis totum se ipsum addixit, sacras Carmeli lanas induendo. Portentosissimum facinus vetustissimi nostri tradunt Auctores, nempe Joannes Hyldesheym in tract. de princip. Ord. cap. 15., & Balduinus Laertius in Collect. cap. 11. postque illos alii omnes; eo solo discrimine, quod Segerus Pauli in **Cron. Vit. S. Simoe.** ad hunc annum, Lezana vero **Annal. tom. 4.** ad ann. 1264. illud referant.

1261. Non solum a Paganis fide parentibus in Oriente vexantur hoc tempore Carmelitæ, sed etiam a nonnullis, qui nomen Domini recipere in vacuum non formidant, graves pressuras, & molestias patiuntur, ut inquit S. P. Alexander IV. in ejus Bulla hoc anno publicata. Hinc ad Generalis preces (forsitan Nicolai Galli, iis in Regionibus Generalis Vicarii) Provincialium, & Fratrum nostrorum, in Hierosolymorum Patriarchatu existentium, illi præcipit Patriarchæ, ut eos omnino protegat, atque etiam hujusmodi hostes per censuras Ecclesiasticas, omni appellatione postposita, compescat. **Bull. Carm. tom. I.**

1264. B. Francus ante Beatæ Virginis Altare orans, in raptu, ecstasi, vel somno, ut ait Lezana, pulcherrimam sibi hæc dicentem Virginem vidit: *Si vis, o France, scire qualem te vitam gerere oporteat, ut salvus esse, & Diaboli laqueos fugere possis, solitudinem sequere, & hominum confortia, qui tibi in juventute scandala fuere, in senectute fuge.* Lombardellus in ejus Vita.





## VII.

## B. NICOLAUS GALLUS.

**N**icolaus, vulgo *Gallus* nuncupatus, quod natione Francicus esset, Patria vel Narbonensis, vel Tolosanus, ut alii autumant, erat. Qui vel occasione belli Sacri, ut de Bertholdo II. & Alano dictum est (variae namque diversis temporibus Christianorum in Orientem Expeditiones fuere), vel potius ex voto Sacra Loca visitandi, Palæstinam petiit, Montemque Carmeli conscendit; ubi sanctitate Eremitarum illorum comperta, Carmelitarum Institutum amplexus est; in eoque tanta morum honestate, ac sapientia claruit, ut primo Sacri Montis Prior ob ejus meritum creatus sit, deinde anno 1250. etiam Generalis Vicarius pro Oriente a S. Simone constitutus. Quinimmo dum hoc in munere infelicissimis illis temporibus pusillum gregem sibi commissum summo studio, ac vigilantia regebat, dignus sane inventus est, qui a SS. Dei Matre Maria cælestibus visionibus semel, atque iterum honoraretur. Quarum prima anno 1251. accidit, cum illi pro Ordine suo, tunc ab Episcopis undique vexato, exoranti apparens præcepit, ut ad Pontificem Maximum In nocentium accederet intrepide, qui juxta nominis sui indicium, nemini nocendo, partem foveret innocentium: sic quoque salubre remedium ab eo contra præmissa gravamina reportaret, (ita Bostius). Altera vero anno 1254. contigit, cum eadem SS. Deipara de adventu, ac S. Ludovici Galliarum Regis in Montem Carmeli ascensu Nicolaum ipsum præmonuit; de quo jam supra dictum est.

Interim vero, cum anno 1265. S. Simon Stockius e Terris ad Cælestem Patriam evolasset, in totius Ordinis Praefectura illi suffectus est Nicolaus; *qui statim*, inquit Bostius,

*curam*

curam Gregis sibi commissi acceptans, corpus suum in Dominico onere, & servitio emancipare studuit. Hinc anno 1267. Messanæ Capitulum generale coegit, ut una cum gravioribus Fratribus gravissima Ordinis ageret negotia; quippe qui tunc temporis, quemadmodum, annuente Cælo, feliciter creverat in Europa, ita sœvientibus magis, magisque Saracenis, omnino in Palæstina deficiebat. Interea Nicolaus noster, ut optimus Pastor, nulli parcens labori, de Regione in Regionem transiens, oves sibi creditas assidue invisebat, & Fratres ad perfectam legum observantiam, adque virtutes verbo, & exemplo exhortans, malos usus, qui, quacumque etiam adhibita diligentia, sensim in Religiosas Communitates irrepunt, totis viribus conabatur evertere. At quod in primis pientissimi Præsulis animum exagitabat, quodque ipsum ad lacrymas, & singultus continuo impellebat, id erat, quod sui Fratres, pristina Eremitica vita paullatim relicta, ad Oppida, & Civitates convolarent, quo etiam domos suas e desertis anxi animo contendebant transferre: cui malo, quod maximum ipse ducebat, quum remedium haud posset afferre, Nicolaus sui Generalatus munere abdicare se statuit. Quod peregit in eunte anno 1270. Indeque in Eremum secessit montis Erratof, qui mons est, non quidem in Anglia, sed in Gallia positus apud Arausionensem Civitatem, ut eo in loco eremiticam vitam, quam aliis suadere non poterat, ipse transigeret.

Hac in solitudine foli Deo vacans, librum illum, brevem quidem, ut eum appellat Lezana, aureum tamen, atque eloquentia, & Dei spiritu plenum, conscripsit, cui titulus: *Ignea Sagitta*. Sed non multo post, senio confectus, vitam cum morte commutavit XII. Kal. Majas anno a Virginis Partu vel 1270. vel 1272. Tandem (scribit Bostius) *B. Pater Nicolaus die 2. Mensis Aprilis ab hac luce decedens Christum adiit, multis clarus Miraculis in vita, & post mortem,*  
& in

in Auraica (seu Arausione, gallice Oranges) tumulatur. Sanctum, aut Sanctitate insignem, praeter Nostrates, vocant etiam Nicolaum Philippus Forestius Bergomensis, Trithemius, Marcus Guazzus, & Ciacconius tom. 1. de vit. Pontif. in Nicodao IV., aliquique Scriptores, quos videre est Bibliothec. Carmelit. tom. 2. pag. 849.

*Res memoria dignæ sub Nicolai regimine.*

1265. **T**olosæ, in Aquitania, Generalia Comitia celebrantur, jam præcedenti anno a D. Simone indicta, qui tamen morte præventus iis præfesse nequivit. Hinc Suprema Ordinis Præfectura cum vacaret, ad eandem, Fratrum omnium suffragiis, Nicolaus Gallus electus est. *Bostius.*

Eo Capitulo vix celebrato, divina quædam ultio, ac sane admiranda in quemdam Ordinis insectatorem accidit, quam nos hic iisdem Segeri Pauli verbis in Chron. Vit. S. Simon. referemus. „ Tolosani „ Comitis Viguerii (cui tunc Tolosa parebat) Filius, Monasterio „ Fratrum hujus Ordinis vicinus, invidens felici eorum successui (hoc „ est Capituli ante celebrati) diabolico instigatu, armata manu illud „ incendio delere, ac spoliare aggressus est die 5. Augusti ejusdem anni 1265. Sed non sine manifesta Dei Matris, istius loci Patronæ, vindicta: nam mox Tyranni caput inversum est, ita ut facies spectaretur a tergo, & occiput in pectore, qui sentiens ultionem Dei, supplex ad Imagunculam B. Virginis confugit, liberatusque a plaga, portam, ubi fuerat molitus incendium, lapideo, & egregio opere illustravit. De quo plura Gulielmus Benedicti U. J. D. in repetitione cap. Raynutius de Testamentis,. Hactenus Segerus, qui etiam hæc addit. *Quod miraculum diversum plane est ab illo, de quo supra ad ann. 1260.*

Eodem ævo Fratres Carmelitæ ab Infidelibus expulsi, Terra Sancta relicta (in magno fortassis tum erant numero), per Europam longe, lateque vagabantur, locum, & sedem quæritantes, ubi satis divino Servitio, suique Instituti Officiis facere possint. Magna Fidelium pars eos non modo benigne, comiterque excipiebat; sed etiam in Civitates atque Oppida compellabant, iisdem loca, atque opem ad exstruenda Cœnobia undique præstantes. Alii tamen, aut jurisdictionis, aut emolumenti caussa, quum novis Ecclesiarum erectionibus nequirent resistere,

modo ipsis divina officia celebrare, modo Coemeteria habere prohibent, modo etiam decimis, atque aliis gravaminibus eosdem onerant: iique erant Parochi, & plerumque etiam Episcopi, tot præteriorum Pontificum commendationes, exhortationes, ac manda parum, aut nihili pendentes. Ex quo sane factum est, ut særissime Supremi Hierarchæ iustitiam, pietatemque imploraverint. Ita illi egerunt cum novo Pontifice Clemente IV., qui primo hoc sui Pontificatus anno septem Bullas pro Carmelitis edidit, quibus Prædecessorum exemplo, primo illos sub sui, ac S. Sedis patrocinio suscipit; deinde encyclicis litteris Ecclesiarum Antistites hortatur, illisque præcipit, ne illos vexent, vexarique permittant, sed immo benigne excipiant, & loca pro Conventibus, atque Ecclesiis exstruendis, divinisque peragendis Officiis lubentissime tribuant. Ac denique S. Pontifex, præter alia, quæ in nostro Bullario tom. I. videri possunt, usum eisdem Altaris portatilis permittit. Quod sane privilegium, etsi a Concilio Tridentino videatur revocatum Sess. 22., probabilius tamen putat Lezana in ejus Summa ver. *Altare*, non contradicente, vel permittente Episcopo, posse Altari illo, etiam post Tridentinam Synodus, uti Carmelitas. *Bull. Carm.* tom. I.

1266. Altissimo complura miracula in sui Servi Simonis Stockii laudem post ejus quoque obitum, operante, Archiepiscopus Burdigalensis hoc Anno præcipit, ac permittit, in ea Civitate, ac Dioecesi uti Sanctum ipsum coli, atque adorari; quem sane cultum Pitsæus lib. de Script. Angl. Simonis Canonizationem vocat. Quamvis id Lezanæ haud arrideat; affirmanti, Sanctorum Canonizationem ad Sanctam dumtaxat Sedem pertinere. Notat tamen Benedictus XIV. in insigni ejus Opere *de canoniz. SS. cap. 10. lib. I.*, etiam post Alexandri III. Epistolam, in Decretalib. *sit. 45. de Reliq.*, & *venerat. SS. insertam*, Autores suis, qui senferint, Episcopos in suis Dioecesibus antiquam canonizandi auctoritatem retinere, sive potius aliquem Dei Servum beatificandi facultatem, ideoque dignum ipsum cultu, & publica veneratione, limitibus suæ jurisdictionis circumscripta, declarandi. Atque hujus sententiaz suis, qui ait, Thomam Valensem *tom. 3. Sacramental. cap. 122.* Ac sane varii Episcopi ita se gesserunt, quos inter Franciscus Piccolomini, tunc temporis Senarum Episcopus, qui anno 1489. Corpus Dei Servæ Aldobrandeschæ sollemniter extulit. Sic etiam potuit Burdigalensis Archiepiscopus bona fide Beatum, aut Sanctum in sua Dioecesi Simonem nostrum declarare, post laudatam Alexandri III. Decretalem, & ante famosam Bullam Urbani VIII. anni 1634. Qui sane cultus fuit deinde

a Ni-

et Nicolao III. confirmatus, undecimo post Simonis obitum anno, fuitque concessum Burdigalæ Officium recitare, ac Missam, tamquam Sancti Confessoris, ut scribit etiam Theophilus Raynaudus.

1267. Generalis Nicolaus Gallus Generale Ordinis Capitulum Mefsanæ convocat, quæ Civitas tunc temporis Caroli I. Andegavensis utriusque Siciliæ Regis imperio parebat; cuius quidem Principis, cum Gallicus quoque esset Nicolaus, patrocinio facile gaudebat. *Palæonydorus*.

1268. Hoc anno Saladinus Bondocudar ducentorum millium Saracenorum exercitu, inter alias Syriæ Civitates, Antiochiam aggreditur, expugnatque, viginti millibus Christianorum cæsis, inclytoque etiam Cœnobio nostro, quod ibidem erat positum, everso. Quin etiam aliud Carmelitarum Monasterium in Montanis nigris existens, atque ab illa Civitate parum distans, ea tempestate excisum est; unaque cum Conventibus illis Fratres etiam, qui ipsos incolebant, Saracenorum feritatis victimæ extiterunt. Ita Bostius, & Palæonydorus lib. 3. cap. 9. qui diræ illius stragis hisce verbis meminit: *Iisdem temporibus plures Fratres Carmelitani Ordinis in Terra Sancta a Saracenis, & in Montanis Nigris martyrio coronati, & ceteri omnes variis pœnis trucidati sunt, & Monasteria ab inimicis crucis Christi igne combusta. Lezana ad hunc ann.*

1270. Hoc anno Nicolaus Gallus Prioris Generalis munere se abdicavit, postquam Ordini quinque annorum spatio præfuit. De hujus Generalis cum creationis, tum abdicationis anno conveniunt Scriptores; quamvis aliquatenus inter ipsos disputatum sit tam de creationis, quam de regiminis tempore aliorum sex Generalium, qui Nicolao præcesserunt. Immo exitit quidam exterus Scriptor, qui illorum Generalium Chronotaxim; a sincera illa, ac genuina aliorum Auctorum prorsus abhorrentem, contexuit. Sed Nos ea in re nostratium Scriptorum computum, nempe Vastelii, Lezanæ, Francisci Bonæ Spei, ac Danielis a Virgine Maria secuti sumus, ipsumque hoc loco placet subnectere.

*Septem priorum Generalium Latinorum Chronotaxis.*

Annus circiter	<i>Electionis</i>	<i>Præfecturæ</i>	<i>Obitus</i>
S. Bertholdus I.	1142.	45.	1187.
S. Brocardus	1188.	33.	1221.
S. Cyrillus	1221.	3.	1224.
B. Bertholdus II.	1224.	7.	1231.
B. Alanus	1231.	14.	1245.
S. Simon	1245.	20.	1265.
B. Nicolaus Gallus	1265.	5.	1270.

Hinc patet, quam inconsulto scripserit Papebrochius : *ad scopulos miserrimum naufragium fecisse Carmelitarum Scriptorum omnium Chronologiam bisce duobus, vel tribus saeculis.* Advertendum hic est, quinque primos Generales Priores in Carmelo sive Palæstina creatos esse, atque in Terra Sancta commoratos, ubi etiam supremum obierunt diem, præter Alanum, qui in Europam transmigravit, & Coloniæ e vita discessit.

Præterea, ineunte Sæculo XIII. multiplicato in Europa Ordine, ne hic, ob magnam a Palæstina distantiam, quasi acephalus esset, institutus fuit in Europa ipsa Generalis Vicarius (Priori quidem Generali in Terra Sancta residenti subjectus) Simon Stockius ab anno 1215. si-  
ve potius 1221., ut opinatur Lezana, usque ad annum 1245., quo totius Ordinis Generalis Prior renuntiatus est. Hujus autem Generalis ævo, qui in Europa residebat, creatus est in Terra Sancta Generalis Vicarius Nicolaus Gallus ab anno 1250. usque ad annum 1265. quo, Stockia extinto, Generalis Prior Nicolaus ipse fuit electus. Sicque in posterum Generales Vicarii Terræ Sanctæ ii ipsi Provinciales fuere, ad totum usque Provinciæ illius interitum. *Vid. Specul. Carm. tom. 2. in Vit. S. Bertholdi.*





## VIII.

## V. R A D U L P H U S.

**N**icolai Galli in Generalatus munere Successor dignissimus extitit Radulphus, ab aliis Rodulphus, sive Ridolphus nuncupatus, natione Alemanus. *Doctrina, sapientia, prudensia, consilio, solitudine, contemplatione, jejuniis, vita sanctimonia, ceterisque virtutibus clarus*, ut eum appellat Cosmas Villiers Bibl. Carm. tom. 2. Hinc nil mirum, si in Comitiis Generalibus Parisiis habitis anno 1270. tot inter selectissimos Ordinis Patres, communi omnium voto ipse fuerit Nicolao Generali suffectus. De hujus tamen meritissimi Praefulnis gestis, ac regimine parum, aut nihil ad nos pervenit; tum quia nimis breve illud fuit ( triennium enim dumtaxat perduravit ), tum etiam, quod vix pauca quædam Auctores de illo scripta reliquerunt. Quod pro certo, exploratoque habemus, in quo sane omnes convenient Scriptores, illud est, quod ad Supremam Ordinis Praefecturam electus, ubi illum summa cum sollicitudine, ac prudentia triennium fuit moderatus, perraro modestiæ, atque humilitatis exemplo, æque ac ejus Antecessor Nicolaus egerat, dignitate, officioque suo in Capitulo Generali Burdigalæ habito anno 1273. se sua sponte abdicavit, ut Deo, sibique unice vacaret. Quod quidem ut commodius ageret, in Eremum Holnensem apud Alnewicum in Nortumbria Angliæ Provincia secessit, ubi eremiticam vitam, atque a Laicorum commercio prorsus remotam agens, laboribus tandem, & corporis afflictionibus fractus, sancto fine quievit xv. Kal. Januarii anno MCCLXXVII.

In veteri Kalendario MS., quod in nostro Mechlinensi Conventu adservatur ( de cuius auctoritate scribit noster Wastelius lib. 1. Vindician. sect. 4. art. 1. ) sub die 18. mensis

De-

Decembris de nostro Generali Rodulpho hisce verbis fit mentione : „ Rodulphi Confessoris viii. Generalis ; natione fuit Ale- „ manus , vir religiosissimus , electus in Capitulo Generali „ Parisiis celebrato anno Christi 1270. Religioni amplifican- „ dæ , & fovendæ Regulari observantiæ pro viribus studuit . „ At vitæ contemplativæ amore attractus , exemplo sui Præ- „ decessoris Nicolai , officio Generalatus se abdicavit tertio „ anno , & ad Eremiticum Conventum prope Alnewicum „ in Anglia secessit , ubi reliquum vitæ exegit , & vitæ San- „ ctæ , ac solitariæ exemplo relicto , decessit „.

*Res memoria dignæ sub Radulphi regimine .*

1270. **D**ie 7. sive potius 8. Mensis Septembris , quo B. Mariæ Virginis Nativitatis memoria ab Ecclesia recolitur , Generalibus Comitiis Lutetiæ Parisiorum habitis , Prior Ordinis Generalis Radulphus creatur . *Lezana*.

Eodem anno Carolus I. Andegavensis Neapolis Rex , ac S. Ludovici Galliarum Regis Frater , postulantibus Religiosis nostris , Regali suo Diplomate latam loci positionem pro Ecclesia , ac veteri Conventu Carmeli Majoris Neapolis ampliandis concedit . *Pro remissione ( inquit ipse ) peccatorum inclytæ memorie quondam Parentum nostrorum Dom. Ludovici Illustris Regis , & Dominae Blancae Reginæ* . Qui sane Conventus noster pulcherrimus nunc est , & omnes inter , quos nostra habet Religio , primum occupat locum , nedum ædificiorum structura , argentorumque , ac Regalium Privilegiorum copia , sed etiam ob Sanctissimæ Dei Matris Mariæ , Divinique ejus Filii Crucifixi portentosa , atque inclyta Simulacra .

Regalis concessionis Diploma nostro in Bullario tom. i. pag. 606. refertur . In quo tamen duo errores adnotandi , & corrigendi sunt . Primus est in anno Diplomati adscripto , ubi pro anno 1269. legi debet 1270. , idque non modo ab Autographo , quod in Regiis Archivis , ac Regestis adseratur , clarissime constat ; sed etiam ex verbis illis , quæ in fine subduntur : *Indictione 13. & Regni anno quinto* ; utrisque sane annum 1270. non autem 1269. apertissime denotantibus .

Alter vero error in titulo est , seu Summario , a Bullarii Collectore Regali concessionì adposito , nempe : *Diploma pro fundatione majoris*

*Con-*

*Conventus Neapolitani*, cum potius dicere debuisset : *Pro ampliatione.* Nam citato anno 1270. jam nostrum exstabat Cœnobium ; immo tale erat, ut superiori anno illius Ecclesia duorum infelicissimorum Principum digna Sepultura esse potuerit : nimirum Regis Conradini Suevi, & Friderici de Austria, quibus, Caroli Regis jussu, in vicino Foro magno caput fuit abscissum, eorumque Cadavera, curante Margarita Conradini Matre, in eamdem Ecclesiam fuerunt translata. Ob hoc itaque, aliaque argumenta a nobis relata in Opuscul. de *Vir. illustr. Carmeli major. Neap. Dissertat. præv.*, a temporibus longe sane remotioribus, quam ab anno 1270. Regalis nostri Conventus Neapolitani origo repeti debet. *Bull. Carm. tom. I.*

1273. Hoc anno Generalatus munere se abdicat Radulphus, atque ad Eremum prope Alnewicum, soli Deo vacaturus, se contulit. At cave sis, ne pro Eremo hic intelligas antrum, sive speculum quoddam inter montium prærupta positum, ubi unus ipse, atque ab hominum commercio omnino semotus viveret; sed domum, sive Conventum Fratrum in solitudine, & longe ab Urbibus extructum, juxta primævam Religionis nostræ, & Regulæ institutionem. Quæ Mansiones *Eremi*, & *Eremitoria* vocabantur. Ad hujusmodi igitur Eremos, quæ plurimæ tunc temporis in Ordine erant, post Generalatus abdicationem se contulerunt, & Radulphus, & ejus Antecessor Nicolaus Gallus, de quo supra differimus; qui ægre sane ferens (Nicolaus nempe), Fratres suos domos nostras in Eremis erectas ad Urbes, & Villas transferre, adque populares turbas transmigrare, sancto, & Eliano zelo succensus in suo libro: *Ignea sagitta* inscripto, in eos invehitur, privignos Ordinis Carmelitici, non filios illos adpellans: & acri stylo, eloquioque damna, quæ hinc Ordini, ac Religiosis acciderunt, deplorat. Ex quibus nunc pauca hic delibasse juvat.

„ Heu me, Mater, quæ me genuisti, sanctissima Religio (ita loquitur in cap. 2.), quis dabit capiti meo fontem lacrymarum, ut diu, noctuque plorans, gemens, ac suspirans, tuum contra eos excitem plantatorem, qui te, extra solitudinis eradicantes fructifera, in terram falsuginis, ac malitiæ inhabitantium in ea, miserabiliter transplanterunt? Quis me poterit consolari, Mater dulcissima? Quis est, qui se filium reputans, Mater sanctissima, super te his diebus nequeat contristari? Recordare, & suspira, & suspirans recordare, quam digna, & quam Sancta eras in statu pristino, ac in oculis omnium mirabilis, & famosa, dum Patres nostros, Eremitas Sanctissimos, in loco

„ Pa-

„ pascuæ spiritualis optime collocatos , super aquam refectionis mirabiliter  
„ educatos , nutritivo non cessabas pabulo saginare .

Ex cap. 3. „ Quamdiu in solitudine contemplationibus , orationibus,  
„ ac sanctis operibus vobis ipsis proficientes laudabiliter institistis , odor  
„ famæ sanctitatis vestræ per Civitates , & Castra , longe , lateque in Or-  
„ be diffusus , se pro certo odorantes universos , & singulos mirabiliter  
„ confortavit . Sed plures tunc temporis per odoris illius redolentiam  
„ bene ædificatos ad Eremi solitudinem , ut poenitentiam agerent , quasi  
„ suavitatis quodam funiculo attrahentes adunavit . Nunc vero inter sæ-  
„ culares sæculariter conversantes vobis , seu proximis utique non pro-  
„ ficitis .

Ex cap. 5. „ Dicite , quæ , & qualis est ista nova Religio , in Ci-  
„ vitatibus adinventa ? Immo confusius respondete , qua ibidem occupa-  
„ tione , utili existitis occupati ? Certe pro vobis , qui de veritate eru-  
„ bescitis , verius respondebo : per plateas Civitatum de mane usque ad  
„ vesperam bini , & bini discurrentes . . . . Non est hæc Religio mun-  
„ da , & immaculata apud Deum , & Patrem , in qua oportet quemli-  
„ bet immaculatum ab hoc sæculo custodiri . Audite ergo Eremitæ ab  
„ Eremo nuncupati , qui in corde Civitatis habitaculum elegistis . Audi-  
„ te , inquam , non quid ego , sed quid Propheta protulit : vidi , inquit ,  
„ iniquitatem , & contradictionem in Civitate .

Hæc , & alia præclarus ille Pater Nicolaus , peculiari Ordinis , ac  
Fratum nostrorum bono unice intentus . Attamen , inquit Daniel a V.  
Maria „ præferendum judicium Ecclesiæ , a Spiritu Sancto directæ , quæ  
„ Ordinem nostrum inter Ordines Mendicantes adscribens , voluit , ut  
„ pro salute animarum publico Ecclesiæ Ministerio vacaret , quod qui-  
„ dem in solitudinibus , atque Eremis exequi nusquam posset „ . Hinc  
Innocentius IV. Regulam primitivam moderans , ac declarans , inter a-  
lia in cap. 2. addidit : *Loca autem babere poteritis in Eremis , vel ubi  
vobis donata fuerint .*

Ceterum optandum sane esset , ut in qualibet Ordinis Provincia una  
saltem adefasset Ereimus ; quemadmodum , apud Excalceatos nostros in mo-  
re positum est , nostrosque etiam Belgicæ , & Turonensis Provinciæ Re-  
formatos , ubi orationi tantum , & contemplationi vacarent Fratres ; qui  
*finis proprius , proximus , & primarius est nostræ Regula* , ut inquit Ven.  
Pater Thomas a Jesu in tract. de Variis Regul. Carm. Studium namque  
salutis animarum aliorum finis est secundarius . Vid. Danielem Vin. Carm.  
pag. 667.





Petrus de Amiliano  
Rutenensis

Electus Gñalis in Comitijs Burdegale 6. January 1273. Praefuit  
annis 61. Decessit Colone Agrippine die 12.96. Aetatis  
80. ann. Arnold. Van Westerven Sculps.

## IX.

## PETRUS DE AEMILIANO, SIVE AMILIANO.

Petrus, natione Gallus, Provinciæ Rutenensis, ab Aemiliano (gallice *Millaud*) ejus Patria, Aemilianus, sive de Amiliano cognominatus, jam inde a prima ætate, Mundo derelicto, humiles Carmeli lanas in Aquitaniæ Prævincia induit. *Vir fuit*, ait noster Alegrius, *albo sane lapillo censendus, devotus, venerandus, pius*, & a Cosmate Villiers: *morum pietate, ac Religionis devotione præclarus appellatur*. Hinc optimo sane jure in Generalibus Comitiis Burdigalæ habitis anno 1273. Supremus Ordinis Moderator fuit renunciatus. Ad quod sane munus cum esset electus Petrus, cunctos optimi Præsulis numeros absolvit. Fratres ejus curæ commissos, nulli parcens labori, frequenter visebat: Pro communi Ordinis bono sex generalia Capitula in suo concivit Regimine: Nova contra Ordinem contentione ex mala intellecta Concilii Lugdunensis Constitutione: *Religionum diversitatem nimiam: exorta, obrectatoribus fortissime restitit, & litteris ad Eduardum Angliæ Regem, cui erat acceptissimus, missis, ipsius tutamen, ac patrocinium apud Sanctam Sedem petiit, cunctaque ex voto impetravit; adeo ut Ordinem suum ab inusta vexatione sartum, tectumque servarit*. Ab Honorio IV. Summo Ecclesiæ Pastore potestatem mutandi, sive potius pri scas Cappas albas reassumendi, palliis barratis relictis, obtinuit; atque in Generali Capitulo anno 1287. in Montepesulano celebrato, communi omnium voto mutatione illa statuta, eam in toto Ordine servandam præcepit. Tandem tanta fuit vigilantissimi hujus Præsulis sollicitudo, ut nedum Fratres, & Conventus sibi creditos sancte, recteque gubernare contenderit, sed etiam Ordini triginta Conventus in

G

Euro-

Europa noviter erectos comparaverit.

At dum Monasteria in Occidente feliciter augescunt; in Oriente a Barbarorum crudelitate pessum ibant ( sic plerumque Supremus Mundi Rector alternantibus successibus humanas res dirigit ) usque adeo , ut Aemilianus ipse maximo sui animi mærore illa penitus everfa , Fratribus barbarorum gladio interfectis , aspexerit ; inter quæ illud quoque Sacri Montis Carmeli celeberrimum , ac primum Cœnobium . Quot dolores , & angustias pientissimo huic Generali ultima hæc in Oriente Ordinis desolatio attulerit , facile intelligere est ex Trithemii Benedictini verbis , lib. de laud. Carm. eam sic deplorantis : „ O miseranda Sanctissimi Ordinis calamitas ! „ Quem non , etsi lapideus sit , præmolliat ista Carmeli de- „ solatio , quando non unius tantum Montis , sed & multo- „ rum per universam Jūdæam Religio destruēta est „ .

Tot inter rerum vicissitudines Ordinem viginti , & uno annis Petrus Aemilianus sanctissime moderatus , ingravescente jam ætate , & laboribus fractus , Burdigalæ anno 1294. Generalibus Comitiis concitis , se munere abdicavit , atque in Coloniam Agrippinam secessit ; ubi in Conventu illo privata vitam agens , tandem e vivis excessit , anno Æra Vubgaris 1296. vel ut alii scribunt MCCXCIX.

*Res*

*Res memoriae dignæ sub Æmiliani regimine.*

1273. IN Festo Epiphaniæ Domini Burdigalæ Generale Capitulum celebratur, in eoque Generalis Prior Petrus Æmilianus, creatus est. *Bostius, &c. alii.*

1274. Gregorius X. S. P. Generale Concilium Lugduni convocat ad Graecam præsertim Ecclesiam cum Latina uniuersitatem. Alios inter Patres ad hoc Concilium vocatos, Angelicus Doctor fuit D. Thomas Aquinas, qui tamen, dum Neapoli Romam versus iter habet, ut Lugdunum se conferat, gravi morbo correptus, in Abbatiali Monasterio Fossæ Novæ PP. Cisterciensium diem obiit supremum.

Jachettus Malespina in Florentinæ Historiæ continuatione a Ricordamo ejus patruo incæptæ, cap. 223. de D. Thomæ itinere, atque obitu loquens, hæc scribit : „ Nota , che quando egli s' infermò in questo cammino , egli andava per far disfare i Frati del Carmino : onde Dio mostrò questo miracolo , per la via infermò , e morì : e un Frate Minore , che andava con lui per la detta cagione contra a detti Frati del Carmino , quando fu innanzi al Papa ammutolì , e non potè parlare .”

Ludovicus Muratorius tom. VIII. Rer. Italic. quo Historiam Jachetti edidit, in sua præfatione illi præmissa, Malespinæ testimonio admisso, Sanctissimi Doctoris consilium defendere conatur, sed Carmelitici Ordinis [ cuius parum semper fuit amicus ] expensis, illum conviciis suis maxime offendens.

Muratorio adversatur doctissimus quidam Anonymus solida, atque erudita Dissertatione, cuius titulus est. „ Ludovici Muratorii dictoria in Carmelitarum Ordinem perperam lata, satis manifeste injuriæ, & falsitatis evincuntur .” In ea, Ordine Carmelitarum a Muratorii injuriis vindicato, Malespinæ testimonium falsum omnino, nullaque fide dignum ostendit. Neque nos aliter putamus, præsertim, quod nemo ex scriptoribus nostris, quantum nobis constet, de hac re mentionem fecerit; cum tamen, quod ad nostram attinet historiam, magni esset momenti, nec silentio omnino prætereunda. Dicendum itaque est, uni tantum Malespinæ non modo D. Thomæ præcordia, sed etiam Dei O. M. consilia perscrutari datum esse. Laudatam dissertationem videre est tom. 7. Controvers. P. Liberii a Jesu edit. Mediolani 1754. in append.

Inter alia Statuta, in præfato Lugdunensi Concilio publicata, celebris est Gregorii X. Constitutio, quæ incipit: *Religionum diversitatem*

*nimiam*, quæque est de novarum Religionum a S. Sede haud confirmatarum abolitione. In qua Constitutione hæc præ ceteris leguntur: „Sa-  
„ ne ad Prædicatorum, & Minorum Ordines . . . . præsentem non  
„ patimur Constitutionem extendi. Ceterum Eremitarum S. Augustini,  
„ & Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum Concilium Ge-  
„ nerale (Lateranense sub Ann. III.) præcessit, in suo statu (alii legunt  
„ in solido statu) manere concedimus, donec de ipsis fuerit aliter ordi-  
„ natum „. Vide Bull. Garm. tom. I. Quam sane Constitutionem nul-  
lum Ordini nostro detrimentum afferre, satis ostendit supra laudatus Ano-  
nymus, & ante ipsum cum aliis quainplurimis Lez. ad hunc ann.

1276. Hoc anno in Monte Pessulano Generalia Ordinis Comitia  
habentur. *Lezana.*

1279. Circa hæc tempora Cælorum Regina, dextra fertum floribus intextum, læva autem Ordinis Habitum tenens, B. Franco adparens, eundem monet, ut quamprimum induat illum, si coronam, quam sibi pia Mater spondebat, vellet accipere. Hinc Francus post varias repulsas a Senensis Conventus Fratribus acceptas, ob nimis pro-  
vectam ipsius ætatem, tandem in Conversorum numerum adscitus est. At non sine miraculo. Nam Fratribus in Capitulo pro admittendo Fran-  
co congregatis, Angelus adolescentis instar, mirantibus omnibus, Habitu-  
tum, quo Francus induatur, illuc attulit. *Greg. Lombardelli Domini-  
canus in Vit. B. Franci cap. 16. &c. 17.*

1281. Aliud Generale Capitulum, Pentecostes die, Londini in  
Anglia ab Ordine concitur. *Lezana.*

1282. Gregorianæ Constitutionis superius laudatae occasione, novas  
Ordo ab Æmulis suis illatas patitur molestias; quemadmodum enim male-  
fieriatorum hominum numerus in Orbe numquam defuit, sic raro etiam  
contra Religionem nostram persecutions defuere. Hinc in Europa Ge-  
neralis Petrus Æmilianus gravissima ejus Epistola, relata in Bullario  
nostro tom. I. pag. 606., Eduardum Angliæ Regem, Ordini addicitionum  
etiam atque etiam obsecrat, ut pro Ordine apud Martinum II. tunc  
temporis S. Pontificem, intercedat, contra nonnullos, „ qui Constitu-  
„ tionem prædictam interpretari fatigunt praviter, & extorte, sensum  
„ ipsius debitum, & intentum, Dei timore postposito, pervertentes in  
„ totius Ordinis læsionem, gravamen, & præjudicium &c. Proindeque  
Regem deprecatur, ut Pontificem roget: „ quod Constitutionem prædi-  
„ ctam sic declareret, & interpretari dignetur; quod, nota vacillationis,  
„ quæ adversus Ordinem consurgit, ex ipso omnino sublata, Ordo ipse  
„ ro-

„ robur obtineat pristinæ firmitatis „. Verba sunt Epistolæ. Hinc Rex quinque Cardinalibus scribit, ut suo nomine Pontificem ea de re obsercent, cui etiam ipse postea scribere sibi reservavit. Ita colligitur ex actis Anglicanis tom. 2., *Bull. Car. tom. I. loc. citato.*

Easdem vexationes, eademque de caussa patiuntur in Oriente, atque in Palæstina Carmelitæ. Idcirco tres Terræ Sanctæ Prælati ad eumdem Pontificem Epistolam scribunt VIII. Kal. Octobris, Acconi datam; qua primo testantur Pontifici: *Qualiter Ordo Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo fuit in Cismarinis partibus a tempore, cuius non extat Memoria, in ejusdem Terræ Sanctæ solarium institutus.* Deinde ipsi significant, ex male intellecta Gregoriana Constitutione, solitam eleemosynam illis denegari: *Cujus ipsi, inquietum, tenui particula pro suis supportandis necessitatibus retenta, reliquum autem in Fidelium, ac Terræ Sanctæ subfidium distribuunt.* Denique Papam obtestantur, ut affatam Constitutionem adeo moderet, ac declareret, *quod, nota vacillationis, quæ adversus dictum Ordinem consurgit, ex ipsa omnino sublata, idem Ordo robur prioris status resumat.*

1283. Eundem in modum pro Carmelitis scribunt die 12. M. Julii hujus anni ad Pontificem illum Equitum Hierosolymitanorum, ac Templariorum Magistri. Horum autem, ac Prælatorum litteras in veteri Speculo nostro, & apud Thomam Valdensem contra Wiclefum reperies. Vide etiam *Lez.*

1284. Mediolani, in Longobardia, Pentecostes die, Synodus Generalis Ordinis celebratur. *Lezana.*

1287. Alia Generalia Comitia in Monte Pessulano celebrantur, in quibus vi facultatis, ipsis per vivæ vocis Oraculum ab Honorio IV. die 9. Februarii 1286. attributæ, a Generali Æmilio, aliisque Patribus congregatis, post maturum consilium, & examen die 22. Julii S. Mariæ Magdalæ Sacro, celebris Capparuni mutatio decernitur; hortante etiam, perque suas litteras impellente Gervasio Giancoleto; quem primum inter Ordinis nostri Cardinales Protectores existimat Cosmas Villiers. Statutum ergo est eo in Capitulo, ut Fratres nostri, palliis, sive Cappis barratis, seu variegatis relictis, quas hac tempestate gestabant, Cappas omnino albas resumant. Qua de re infra erit dicendi locus. *Bull. Carm. tom. I.*

1289. Nicolaus IV. Regulam Carmelitanam ab Inn. IV., ac deinde ab Alex. IV. quibusdam in rebus explicatam, correctam, ac mitigationem, confirmat. *Bull. Carm. tom. I.*

1290.


1290. Hoc anno, atque etiam sequente ultima, ac lacrimabilis Conventuum, nostræque Religionis in Terra Sancta eversio accidit, quam Gulielmus Sanvicus, qui illius fuit spectator, vivis coloribus in *Chron. de multipl. Ord. cap. 8.* describit; ubi post relatam Conventuum Tripolis, Belloloci, Tyri, atque Acconis destructionem a Saracenis factam, ita subdit. „ De Civitate Accon egredientes Saraceni, & ad „ S. Montem Carmeli, qui ab ea non longe distat, ascendentes, Mo- „ nasterium Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli ibidem com- „ morantium, de quo ego nuper ad Accon perveneram (quod frequen- „ ter invaserant, sed numquam destruxerunt) tunc igne cremaverunt, „ & omnes Fratres ibidem repertos, & Salve Regina cantantes, gla- „ dio trucidarunt. Et sic Religio ista fuit de Provincia Phœnicea, & „ per consequens de tota Terra Sancta eradicata. Professores itaque „ hujus Religionis, qui in Monte Carmeli a tempore Eliæ, & Elisei „ Prophetarum continue, & incessanter in contemplatione Dei persiste- „ runt, in hac persecutione Montem illum ex toto amiserunt,. Huc- „ usque citatus Sanvicus.

Constabat olim hæc inclyta Terræ Sanctæ Provincia, quæ prima Ordinis fuit, septuaginta, ac septem Conventibus, ut tradit Lezana.

1291. III. Id. Decembris hujus anni ad Cælum evolavit B. Fran-  
eus, Laicus Carmelita, spiritu Prophetico, miraculisque, cum ante,  
tum post obitum semper præclarus. Ejusdem Festum cum officio sub  
ritu duplici, nedum Senis, ubi Corpus ejus adservatur, sed etiam in  
Universo recolitur Ordine. *Ex ejus Vita.*









*Raymundus de Insula*  
*Cistercianus*

*electus Generalis in Comitatu Burdigalæ habitus 6. Iunij 1294.  
a fuit annis 3. Decessit Toleræ die  
1297 Aetatis seu an.  
Anselm. F. Waterlanc scul.*

## X.

## RAYMUNDUS DE INSULA.

**R**Aymundus patriam Insulam habuit, ab eaque cognomentum de Insula, aut Insulis natus est. *Insula*, aut melius *Insulæ*, inquit Ferrarius Lexic. Geograph., est *Urbs magna Belgii, & Flandriæ Gallicæ Caput, hodie Galliarum Regi subiecta*. Tolosano in Coenobio Carmelitarum Instituto nomen dedit; ideoque forsan a Lezana, aliisque aucttoribus Tolosani nomine appellatur. Qui adeo in Ordine suo doctrina, & morum honestate profecit, ut fama ejus doctrinæ, ac prudentiæ permoti Patres, in Generali Burdigalæ Capitulo anno 1294. congregati, eumdem unanimis suffragiis universi Ordinis Generalem Priorem declaraverint.

Ad supremam hanc Præfecturam cum esset electus Raymundus, eximiæ virtutis, prudentiæ, atque dexteritatis, quibus erat ornatus, maxima exhibuit argumenta, nedum Ordinem sibi commissum verbo, atque exemplo mire gubernans, verum etiam ab aliorum molestiis illum validissime defendens; contra eos præsertim, qui capparum mutationem tanta cum sollemnitate novissime factam Ordini contendeant: nam adeo solidis, ac firmis rationibus apud Bonifacium VIII. Pontificem, sub quo lis erat, egit, ut non modo coloris illius in cappis mutationem rite factam declaraverit, sed etiam speciali ejus Bulla, quæ incipit: *Justis petentium desideriis, die 25. Novembris anni 1295. emanata, eamdem mutationem approbaverit, atque Apostolica Auctoritate confirmaverit, verbis illis: Quod circa hujusmodi mutationem habitus in hac parte provide factum est, ratum, & firmum habentes, id Auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis Scripti patrocinio communimus. Ab hoc etiam Pontifice alia Bulla, quæ incipit: Cum a Nobis.*

bis. Obtinuit Raymundus noster in fine sui regiminis omnium Privilegiorum, Immunitatum, atque Indulgentiarum, a Prædecessoribus Pontificibus Ordini concessarum, confirmationem.

Hisce, aliisque a Generali nostro Raymundo pro Ordine suo gloriosissime gestis, jure, meritoque Marcus Antonius Allegrius in Parad. Car. decor. de ipso sic scriptum reliquit : *Vir fuit sane Religione, & Catholica pietate conspicuus, macte animi, generosoque corde signatus, utpote a Deo pro temporis exigentia sine dubio Carmelo donatus.* Verum prudentissimum ejus regimen haud diu sane fuit ; nam Religionem triennium dumtaxat moderatus, anno MCCXCVII. munus suum sponte deposuit, atque ad suum Tolosanum Conventum, ut sibi soli vacaret, secessit ; ubi paullo post diem clausit extremum. „ Frater Raymundus de Insulis Conventus Tolosæ, vir multum maturus, & devotus; is postquam tribus annis Ordinem strenue gubernasset, renunciavit Officio, & postea mortuus est. Sepultus est Tolosæ in Conventu suo „. Ita de Raymundo Arnoldus Bostius lib. 7. Specul. Histor. cap. 34.

*Res memoria dignæ sub Raymundi regimine.*

1294. **B**urdigalæ, in Vasconia, Generalia Comitia convocantur, quibus, quum Æmilianus se munere abdicasset, Raymundus de Insulis successor renunciatus est. *Bostius.*

Inter hæc tempora Beatissima Virgo Supremi Numinis Mater insigni adparitione Ordini suo Carmelitico ostendit, quam sibi Capparum albarum mutatio placuerit, ipsam etiam alba veste indutam videndam se præbens. Visionem, post Balduinum Laertium, Bostius hisce refert verbis: „ Fuit quidam devotus Frater Ordinis Carmeli, qui B. Virginem maximo venerabatur affectu . . . . Quadam vice cum se devotioni cum aliis Fratribus dedit, & fervens interius contemplationi ad B. Virginem vacasset, stans in Choro vidit Beatissimam Dei Genitricem Mariam, Ordinis sui dilectam Patronam, suis obtutibus præsentari, gestantem suum Filium D. N. J. Christum super per brachium. Erat etiam vestibus albis induta, & aliis ornamen-

„ tis

„ tis ad modum Sororum Ordinis , excepto , quod in capite gerebat  
 „ coronam ; vidit & Angelos duos , unum a dextris , & alium a fini-  
 „ stris ejus , tenentes Pallium album , & extendentes , sub quo videba-  
 „ tur recipere viros albos , & mulieres nitidis indutas ( sub quo etiam  
 „ ipse Frater accipi videbatur ) & quasi a vento , & turbine videbatur  
 „ defendi &c. vide *Lezanam ad ann. 1288.*

1295. Facta Capparum mutatione , de qua ad ann. 1287. , Carmelitis in Civitatibus aliisque locis Cappis albis indutis vix apparentibus , varii Ordines mutationi huic obstatuerunt , præsertim , ut scribunt Bostius , ac Lezana , Ordinis Præmostratensis , sive S. Norberti , Monachi , qui ex eorum instituto pallium quoque album gestant , qui que querelas ad Sanctam usque Sedem detulerunt . Hoc tamen anno controversæ finem imponit Apostolica ejus Auctoritate S. P. Bonifacius VIII. Bulla , quæ incipit : *Justis potentiis desideriss* , qua postquam facultatis per Cardinalem Gervasium vivæ vocis Oraculo ab Honorio IV. obtentæ , ac Decreti a Carmelitis in Generali Ordinis Capitulo super hac re conditi , mentionem fecit , Capparum mutationem illam adprobat , & confirmat . *Bull. Carm. tom. I.*

Una ex rationibus a Fratribus nostris apud S. Sedem in laudata controversia cum PP. Præmostratensibus allatis , ea sane fuit , quod non esset hæc vera vestis mutatio , sed quod potius priscas albi coloris Cappas , quæ propriæ Ordinis erant , resumpsiissent . Notandum propterea hic est cum nostro D. Cyrillo Constantinopolitano , anno 639. quemdam Arabiæ Regem , *Humor* nuncupatum , scelestissimi Mahumetis discipulum , ac tertium in ejus Regno Successorem , magna Saracenorum copia in Palæstinam appulsum , universam Terram Sanctam subegisse , & maxima Christianorum strage facta , Sanctam ipsam Hierosolymorum Civitatem evertisse . Atque illis temporibus , subdit Cyrillus ; „ Saraceni  
 „ moleste ferebant , quod nostræ Religionis Professores veste alba desu-  
 „ per indui incederent ; cum eorum Satrapæ hujusmodi coloris habitu  
 „ desuper uterentur . Propter quod gestationem pallii albi dictis Profes-  
 „ soribus interdixerunt : pro quo Professores prædicti pallium Barratum  
 „ tunc unanimiter assumperunt „ . Deinde pergit Sanctus barrati pallii  
 „ formam describere . „ Quod Pallium ex septem partibus duplicis colo-  
 „ ris ab invicem distinctis , sed consutis , ipsum totaliter integrantibus ,  
 „ perpendiculariter , a collo usque ad talos dependentibus , constat ; quo-  
 „ rum tres sunt nigræ , sive griseæ , aliaz vero quatuor sunt albæ „ . Ita  
 S. Cyrillus *libr. de processu , & var. Regul. Ord. Carm. cap. 2.*

Quæ sit auctoritatis citatus S. Cyrilli liber, ipsumque verum ac genuinum esse illius opus, leviter tetigimus supra ad annum 1221. Quidquid insolenter dicat nuperus Criticus D. P. cuius futilis objectio-nes quam optime elidunt, præter Franciscum Bonæ Spei, Daniel a V. M. *Specul. Carm. tom. I. num. 2941.* & novissime Cosmas Villiers *Bibl. Carm. tom. I. pag. 358.* Etsi enim liber ille typis primum man-datus fuerit Venetiis anno tantum 1507. ; nihil fecijs jam antea per plura secula ejus auctoritate tamquam tuta, & indubitata usi fuerunt plurimi, illumque S. Cyrilli esse, Scriptores illustres tam domestici, quam exteri diserte asseruerunt; ut ex nostris sunt, Philippus Riboti anno 1370. Thomas Bradley Anglus Episcopus Dromorensis anno 1430. Arnoldus Bostius anno 1470. Joannes Palæonydorus anno 1495. ex exteris vero Jacobus Philippus Bergomensis in *Supplemento Chronico-rum*, & Joannes Trithemius libro de *Script. Ecclesiast.* An ( subdit hic noster Daniel ) iſtorum, aliorumque plurimorum, de eo S. Cyrilli li-bro, continuata trium, & ultra, seculorum serie, testimonia, merito co-bibere non debuissent D. P. calamum librum iſtum tam severe censurantem? at raro bene scribit, qui contra omnes scribit. *Specul. Carm. tom. I. pag. 780.*

Hoc igitur Barrato Pallio (cujus coloris varietas minus decens vi-sa est in Europa, & compluribus displicebat) usi sunt Carmelitæ usque ad annum 1287., quo ex Honorii facultate, ac Generalis Capituli de-creto, illo deposito, veteres Cappas omnino albas iterum acceperunt. Quod sane hoc anno a Bonifacio VIII. adprobatum, & confirmatum est. S. Cyrillus de *Proces. Ord. Carm. cap. 2.* Trithemius de *Ord. Carm. cap. 8.* Lez. Daniel a V. M. variis in locis, aliique.

In sollemni hac mutatione Capparum confirmatum omnino est S. Hildegardæ Monialis Benedictinæ (quæ sanctitate, & prophetico spi-ritu claruit sub Eugenio III., S. Bernardi ævo, cuius postulatibus Vir-ginis Opuscula in Concilio Trevirensi ab eodem Eugenio adprobata fuere) de Carmelitico Ordine vaticinium: *nempe mutato vellere paulatim incident.* Ipsa enim de novissima Christianæ fidei persecutione scri-bens; de variis Religiosis Ordinibus sub equorum specie prophetice quæ-dam prædictit, præ ceteris de Carmelitico Ordine hæc inquiens: „ Ve-nient equi variii coloris, quorum egressio ab Oriente in Occidentem: „ sed mutato vellere paulatim incident: Horum progressio ab Occi-dente in Orientem. Hi primi, & novissimi“. Quæ sane prophetica verba referunt, atque explicant Historici nostri, in primis Palæonydo-rus,

rus , Laertius , Lezana , & latissime Daniel a V. M. in *Vinea Carm.* num. 1103. Vocantur autem Carmelitæ *Equi variis coloris ob barratum pallium*, quod prius gestabant . Dicitur : *Quorum egressia ab Oriente in Occidentem*, ob transitum ab Oriente , sive Terra Sancta , unde a Saracenis expulsi sunt , in Occidentem , sive Europam ; quod quidem in præsenti Sæculo XIII. accidit . Subditur : *Masato vellere paullatim incident;* quod hac tempestate contigisse vidimus in Capparum mutatione , de barratis in albas : Additur : *Horum progressio ab Occidente in Orientem:* quod ostendunt cum Patram Discalceatorum in Persidem , aliasque Orientales Regiones institutæ Missiones , tum etiam nostrorum ad quædam Orientis loca . Dicuntur tandem : *Primi*, & *Novissimi* . Primi ob Institutì sui vetustatem . Novissimi , quod juxta revelationem S. Petro Thomæ factam ad Mundi usque interitum sint duraturi . Ita Vaticinium illud *Daniel noster rit. loc. explicat.*

Eodem anno 1293. postrema Sanctissimæ Domus Nazareth , in qua *Verbum Caro factum est*, portentosissima translatio accidit . Jam ab anno 1290. , post universalem Christianorum a Palæstina expulsionem , fuerat illa Sanctissima Domus Angelorum ministerio in Dalmatiam translatæ ; ex eoque loco anno 1294. in Picenum Italiz regionem , in cujusdam Viduae Sylvam , *Lauretæ* adpellatae , quæ deinde ipsi S. Domui , quæ illic octo stetit Menses , *Lauretanæ* nomen dedit . Hoc autem anno 1295. novo sane miraculo duo alia loca Sacrum illud Depositum mutat . Primo in vicinum Collem transvectum ; ex quo deinde ob odia , & contentiones duorum Fratrum , quorum quisque non pietatis , sed avaritiae causa suum esse contendebat , quadrimestri vix spatio exacto , ad alium proximum Collem translatum est , ubi in præsentiarum ab universo Catholico Orbe magna colitur veneratione . Ita Baptista Mantuanus , Horatius Tursellinus , aliquie , & novissime Honoratus a S. Maria *tom. 2. Animadvers. in Regul. & us. Critic. lib. 3. differt. 1. art. 2.* quo in loco contra quosdam hæreticos , qui Translationem illam respuunt , & paucos Criticos , qui eamdem in dubium revocant , Historiaz veritatem , & veterem S. Domus Lauretanæ Traditionem ipsius Critics regulis ostendit , ac probat . Hanc eandem veritatem , post Honoratum , etiam novissime pertractat , & eruditissime , ac luculenter probat Benedictus XIV. in suo insigni Opere *de Festis tom. 2.*

Eadem S. Domus diu in Palæstina sub Carmelitarum cura perficit , ut cum aliis Mantuanus , & Tursellinus autumant , atque anno 1489. iterum ipsis commissa est , ut suo loco dicemus ; ideoque operæ pre-

tium duximus de ea hoc loco mentionem facere.

1296. Circa hæc tempora noster Albertus Drepanensis cum Provincialis esset , & visitationi incumberet Provinciæ , in itinere hoc patrat prodigium , quod verbis Surii ejus Vitæ Scriptoris nobis hic referre placet . „ Cum Vir Dei versus Civitatem Agrigentinam proficisci-  
 „ retur , & pergeret juxta flumen , qui nuncupatur Platanus , quosdam  
 „ Judæos vidit circa idem flumen transire : erat autem via angusta ;  
 „ quia inter montes altos . Cumque Judæi iter agerent , & vir Dei ab  
 „ alia parte fluminis ambularet , subito aqua ultra modum crevit , &  
 „ ipsos Judæos inundatio aquæ arripuit , & ipsos natare compulit .  
 „ Judæi vero videntes se in periculo mortis positos , ad virum Dei cir-  
 „ ca flumen transeuntem , cum de ipsius fama audiissent , horribilibus  
 „ vocibus clamaverunt , dicentes : Adjuva nos Domine in virtute Chri-  
 „ sti tui . Ad quos vir Dei ait : si baptizari volueritis in nomine ipsius ,  
 „ & Christiani tota mente effici desideraveritis , vere salvi eritis . Et  
 „ illi : sic credimus , sicut predicas de Christo Nazareno , & petimus  
 „ baptismum . Tunc vir Dei super undas fluminis ad ipsos ambulavit ,  
 „ & eisdem aquis ipsos baptizavit . Cum autem sic ageretur in medio  
 „ fluminis , aquæ cedebant , & divisis aquis , vir Dei ipsos Judæos  
 „ baptizatos sine læsione aliqua eduxit , & de periculo mortis libera-  
 „ vit . Ex S. Alberti Vita.





XI

*Gerardus Serenus*

*Bononiensis*

*Electus Gnatius in Comitio Brugis habitus 2 Junij 1297. Praefuit annis 20.  
Decessit Aveniente die 17 Aprilis 1317. Aetatis sue an-*

*Appold. V. Waterhout scul.*

## GERARDUS SERENI.

**G**erardus Sereni, vulgo a Bononia appellatus, quod insignem hanc Italæ Civitatem, ubi etiam Carmelitico Ordini fuit adscitus, Patriam habuerit. E Bononia, optima indole acutoque ingenio cum esset præditus, a Superioribus Parisios, ad studiorum curriculum explendum, missus est; ubi adeo litteris profecit, ut nedium Theologicas disciplinas docuerit, verum etiam in perillustri illo Lyceo Doctoratus Lauream nactus fuerit: interque ea tempora duos illos doctissimos libros edidit. *Super lib. iv. Sententiarum Commentaria,* & *Quæstiones Ordinarias*, quas Parisiis disputavit. A Bostio propterea dictus: *primus Ordinis nostri Professor Sacrae Paginæ Universitatis Parisiensis*; *prudentiae opinione, & doctrinæ multum celebris*. Hinc, præter alia munera, & dignitates, quibus in suo Ordine fuit cumulatus, in Generalibus Comitiis Brugis, in Flandria, anno 1297. celebratis, ad Supremam Ordinis Præfecturam electus est.

Hoc in munere, ea sane prudentia, caritate, ac studio Ordinem sibi commissum moderatus fuit, ut non modo ejus Fratrum, sed exterorum quoque existimationem, atque amorem sibi conciliarit; in primis apud Sanctam Sedem, cui semper acceptissimus fuit, uti tot gratiæ, ac privilegia testantur, Ordini a duobus Summis Pontificibus Bonifacio VIII., & Clemente V. illius postulatibus concessa, atque etiam elogia, quæ eidem Pontificiis in Bullis congeruntur, ut in Bullario nostro videre est. Ab eodem Pontifice Clemente V., litteris ad eum missis, ad Concilium Viennense pro Ordine Templariorum extinguendo, (qui, ipso testante Pontifice, multorum criminum rei convicti fuerant) indicatum,

etum, Gerardus ipse fuit evocatus. In qua sane Synodo tanta fuit doctrina, ac sapientia, quam ipse ostendit ( inquit Cardinalis Berengarius Fredoli in Epistola ad Patres Capituli Generalis Londini missa ) . „ Quod ob omnimoda scientiarum fluenta, quæ de suo pectore velut de promptuario pleno fluunt, ab ipso Domino nostro ( Clemente V. ) & a Fratribus suis in reputatione non modica, & pro uno de mundi hujus litteratis elegantioribus reputatur, & ab illis quasi vasculum plenum aromatibus est dilectus.

Hinc jure, meritoque Gerardi eruditionem, ac doctrinam cum nostrates auctores, tum exteri quoque magnis extollunt laudibus, præsertim Abbas Trithemius, qui *lib. de Vir. illustr. Ord. Carm. & de script. Eccles.* de eo sic scriptum reliquit : „ Gerardus de Bononia XI. Prior Generalis, Doctor Parisiensis, in divinis Scripturis eruditissimus, ingenio sublimis, & clarus eloquio, non minus conversatione, quam scientia venerandus. Scripsit non sernendæ lectiōnis plura volumina „ . Quæ in *Bibl. Carm. tom. I.* referruntur.

Æque doctus, ac pius Gerardus noster, Ordinis decom ac bono semper, uniceque intentus, quinque Generalia Capitula in variis Europæ Provinciis concivit; atque in cunctis decreta, legesque condidit, ad Regularem disciplinam in Conventibus conservandam, adque optimum Ordinis Regimen conducentes. Ordinem suum vicennio sanctissime rexit, quo exacto, Avenione naturæ concessit, xv. Kal. Majas anno Reparatae Salutis MCCCXVII., Christi Ecclesiam gubernante Ioanne XXII.

*Res*

*Res memoria dignæ sub Gerardi regimine.*

1297. Capitulum Generale Burdigalæ celebratur , in quo suprema Ordinis Præfectura e Raymundo de Insulis in Gerardum de Bononia transfertur . *Bostius.*

1298. Bonifacius VIII. celebrem hoc anno Gregorii X. Constitutionem : Religionum nimiam , in Lugdunensi Synodo conditam , cum quibusdam mutationibus , & detractionibus , ut ipse ait , evulgat , & ubi prius in ipsa dicebatur : Ceterum Eremitarum S. Augustini , & Carmelitarum Ordines . . . in suo (sive solito) statu manere concedimus , donec de illis fuerit aliter ordinatum ; Bonifacius , sublatis verbis : donec Eccl. ponit : in solido statu volumus permanere . Sicque obtreillatoribus contrarias interpretationes in nostrum , atque Eremitarum S. Augustini Ordinem faciendi occasionem omnem præripuit . *Bull. Carm. tom. 1.*

1299. Idem Pontifex insignem Basilikam SS. Sylvestri , & Martini ad Montes Urbis Romæ Carmelitis donat ; cum quibusdam conditionibus , quibus Generalis , & Patres Ordinis se submiserant , nempe illic Theologiaz Studium , ac numerosam familiam habendi . Sic dicitur in Bulla Concessionis , quæ incipit : *Oblata Nobis , e Regesto Vaticano eruta ; quæ Bulla Lezanæ haud innotuit , ideoque de hujusmodi donatione in suis Annalibus aliter scriptum reliquit . Bull. Carm. tom. 1.*

1300. Hoc anno , quo celebre Jubilæum Bonifacius Romæ indixit , Ordo Carmelitarum Generale Capitulum Florentiaz convocat . *Bostius.*

Eodem anno , sive magis sequente , si Fazzello , aliisque Scriptoribus credendum , Messana Civitate a Roberto Calabriæ tunc Duce , Caroli II. Andegavensis Regis Neapolis Filio , graviter obsessa , Cives extrema fame laborantes , ad nostrum S. Albertum Drepanensem , ibidem tunc commorantem , recurrent , ut apud Deum , ejusque SS. Matrem obsecrationibus ac precibus suis a malis illis , aliisque pejoribus , quæ ipsis imminebant , eriperet . Id a Sancto actum est . Atque en subito tres naves onerariæ , annona onustæ , per medios hostes transeuntes , ad portum præter spem appellauit , loco , unde venerant , earumque gubernatoribus , omnino Messanensibus ignotis . Sicque per Sancti viri intercessionem , non modo Civium fami consultum est , sed etiam ab hostium obsidione Civitas liberata . *En vita S. Alberti.*

Robertus , qui Messanam obsidione premebat , in Officio S. Alberti Rex Neapolis appellatur ; cum tamen tunc temporis Rex non esset : coronam enim Regni , juxta omnes Scriptores , anno 1309. dumtaxat accepit ;

cepit ; sed per figuram Rethorices *prolepsim*, sive *anticipationis*, Rex nuncupatur; quemadmodum in Sacris etiam dicitur litteris: *Jesse genuit David Regem*, quia David Rex postea fuit.

1301. Florentiae oritur S. Andreas e nobilissima Corsinorum gente, quem parentes precibus a Deo impetrarunt, ac Beatæ Virgini spounderunt; quique Matri gravidæ, lupi instar, ex utero prodire in somniis visus est, deindeque in Templum ingressus agni formam paulatim sumere. Quod sane divinum præfigium rei eventus comprobavit. *Ex vita ejus.*

1303. Narbonæ, in Gallia, Generale Capitulum Ordinis convocatur.

1305. Sub hoc tempore in Aquitania, Ecclesiæ, & Carmeli jubar Petrus Thomas oritur. *Ex vita ejus.*

1306. Tolosæ aliud Generale Capitulum celebratur, in quoque inter cetera præcipitur, ut tum Mariæ sine labe conceptæ, tum SS. Sacramenti Festa sollemniter celebrentur. *Bostius, & Lezana.*

1307. Accidit hoc anno Messanæ S. Alberti glorioissimus obitus, variis signis, ac miraculis comitatus; inter quæ illud præsertim memoratu dignum est: „Cum corpus ejus in medio Ecclesiæ (ita in Codice „Vaticano de ejus Vita legitur) existens, Officio Missæ disponeretur, „Ils oritur, quanam Missa sit celebranda. Clerus afferit, Mortuorum, „Populus autem, SS. Confessorum. . . Tandem, dum Archiepiscopi „jussu divinum exspectatur Oraculum, o mira res! Orantibus universis, ecce duo Pueri in albis cruciatis stolis aureis, lucidissima claritate sociati, consona voce, ac tubali pariter dicentes: *Os Justi meditabitur Sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium;* & cum hæc dixissent, in momento disparuerunt. Hoc viso portento, Archiepiscopus, Rex, & omnes alii Prælati statuerunt, Missam unius Confessoris pro tunc esse prosequendam. Tumulato deinde Sancti Corpore, Rex, & omnis Populus promiserunt, immo decreto sanxerunt, per Sedem Apostolicam ipsum fore approbandum, seu canonizandum, labore, & expensis illius Regni. *Ita Codex Vaticanus.*

Alii D. Alberti obitum anno 1306. statuerunt, & quidem non sine fundamento, ut videre est in *Bibl. Carm. tom. I.* verbo *S. Albertus.*

1308. Clemens V. B. Franci cultum adprobat, ejusque festum celebrari concedit. *Lombardellus in ejus Vita.*

1309. In Januæ Conventu, Provinciæ Longobardiaz, alia Generalia Comitia ab Ordine convocantur. *Bostius.*

Eo-

Eodem anno Clemens V. Bulla, quæ incipit: *Statum Religionis, Ordini nostro concedit, ut nemo aliorum Mendicantium Ordinum, Conventus queat ædificare, nisi centum quadraginta canis à nostris Cœnobitis distantes.* *Bull. Carm. tom. I.*

1311. Viennæ in Gallia, Clemens V. Generale Concilium convocat, pro Ordine Templariorum potissimum extingendo; ad quam Syndicum litteris suis Pontificiis, quæ habentur in nostro Bullario, vocatus etiam fuit Generalis noster Gerardus, qui, si Cardinali Berengario Fredoli credendum sit, ibi magna cum laude se gessit. *Lezana.*

Sub idem tempus Eduardus II., Angliæ Rex, efficacissimas litteras ad Pontificem mittit, illius Regni Religiosis nostris valde honorificas, quibus Carmeliticum Ordinem ipsi commendat, ne ei illum in Concilio inferatur præjudicium, immo ut illum patrocinetur, ac foveat. *Bull. Carm. tom. I.*

1312. Generale Ordinis Capitulum Londini celebratur, cuius congregatis Patribus Cardinalis Berengarius scribit; ac Gerardum Generalem laudans, ipsos hortatur, ut si ille munere Generalatus se vellet abdicare, *resignationem, vel cessionem eam nullatenus admittant.* Nam (subdit ille) illud si fieret, *status, & bonari Ordinis, sicut firmiter credimus, plurimum derogaret, ac Nobis etiam propter multa, quæ inde Ordini sequi possent incommoda, displiceret.* *Lez. ad hunc ann.*

1314. Eduardus II., Angliæ Rex, Scotorum furorem repressurus, insignem, ac memorabilem accepit cladem cum suæ vitæ periculo, a quo Dei Matri ope eripitur, ut scribit Bzovius, qui subdit. „ Hic cum prioris illius infausti prælii difficultate premeretur, Divæ Parenti Mariæ Virgini religiosa sponsione vovit se in Christi, & illius honorem Aedes constructurum, ubi 24. Carmelitis, qui rei Theologicæ operam darent, idoneos sumptus suppeditaret, si ab imminentि calamitate eriperetur. Ab hac Dei benignitate, & Virginis Matri intercessione eruptus, sponsionem devotam repræsentavit, Aedesque illas votivas Oxonii construendo, voto se liberavit. *Bzovius sub hoc anno.*

1315. In Coloniæ Conventu, Provinciæ Alemanicæ, aliud Generale Capitulum convocatur. *Lezana.*

1316. Andreas Corsinus, mutatis lupinis moribus, quibus ipsum juvenilis ætas præcipitem agebat, agni formam juxta vaticinium matri factum, miraculose sumpsit; & repente de Cælo vocatus Carmeli lanas in Florentiæ Conventu induit. *Surius, & Bzovius.*

Eodem anno Clementis V. obitu per biennium & ultra vacante adhuc S. Sede, non sine magno Ecclesiæ damno, Jacobus de Ossa, unus ex Cardinalibus pro electione novi Pontificis congregatis, Dei Matrem efficacissimis precibus obsecrat, ut optimum Ecclesiæ Caput ab ejus Filio obtainere dignetur; & forsan etiam pro seipso (quod humanum est) id deprecabatur. Cum ergo flexis genibus eam exoraret, Virgo Sacratissima Carmeliticis vestibus induita, illi adparet, eique & victoriā ab adversario, & Summum Pontificatum pollicetur: ea tamen lege, ut ad Papatum electus, Regulam Carmelitis in amplissima forma confirmet, atque etiam Privilegium liberationis a Purgatorio, eisdem a Suo Filio in Cælis impetratum, in terris ipse publicaret. Ita ipsem narrit in sua Bulla, quæ exstat in *Bullario Carm. tom. I.* Eadem Visio a variis Scriptoribus traditur, cum nostratis, tum exteris, relatis a Lezana, & a Daniele a V. M. in *Vin. Carm. & Specul. Carm.*, qui eam in nocte Joannis electioni prævia accidisse verisimilius putat.

Virginis deinde promissio quoad omnia confirmata est; quandoquidem ille die 7. Augusti hujus anni ad Pontificatum evehitur, vocatusque est Joannes XXII. Fuit etiam a suo, sive suis adversariis liberatus; nam ii, aut Cardinales erant, qui cum eo de Papatu biennium contenderunt; aut Petrus Carbonarius Antipapa, Avenionem usque in vinculis perlatus; aut Ludovicus Bavarus, e cuius insidiis fuit a Virgine eruptus. Pontifex pariter ipse renuntiatus Carmelitis cuncta concessit, Virginis obsequutus celebri ejus Bulla Sabbatina nuncupata, de qua infra.

1317. Joannes XXII. Virginis iussa exequi instituit speciali Bulla, quæ incipit: *Sacer Ordo vester*: nam Ordinem Carmelitanum in amplissima forma confirmat, & præterea a *cujuscumque Diaœfanī*, & *cujustibet alterius potestate, jurisdictione, & dominio omnimode in perpetuum prorsus eximit*. In quibus sane verbis exemptionis ab Episcopi jurisdictione Privilegium consistit juxta Lezanam. *Bulla Carm. tom. I.*





XII  
*Guido Terrena*  
*Perpinianensis*

*Elicius Gratus in Comitijs Burdegalaæ habitis 11 Junij 1318. Praefuit an-*  
*nus s. A Ioanne XXII, 1321 Maioricensis Episcopus, inde 1332 Elnensis*  
*Creatus. Decasit Auenione die 2 Octobris 1342. Etatis sue an.*

*Arnold. V. Waterhorst. Sculps.*

## XII.

## VEN. GUIDO TERRENA , SIVE A PERPINIANO .

**O**Rtus est Guido Perpinianus , in Catalonia a longe nobilissima gente Terrena , ideoque modo Guido *Terrena* , modo a *Perpiniano* nuncupatur . A prima ætate Deo O. M. in Patrio Carmelitico Conventu se vovit . Inde studiorum causa Parifios missus , scientiarum curriculo laudabiliter expleto , in inclyto illo Lyceo Doctoratus Lauream nactus est . Eruditionis ac doctrinæ fama apud omnes clariſſimus , Avignonem , Summorum Pontificum tunc temporis Sedem , vocatus , Lector Sacri Palatii deputatus est , ut inquit Valdensis ; quod munus plures per annos summa cum laude exercuit . Cum Provinciæ Provinciæ Præfecturam gereret , ad Generale Capitulum , quod anno 1318. , post Generalis Gérardi obitum , Burdigalæ habitum est , se contulit , ibique plenissimis suffragiis Supremus totius Ordinis Mōderator creatus est . At munus isthuc haud sane diu exercuit ; tertio enim Generalatus anno vix completo , a Joanne XXII. , apud quem in magna erat existimatione , ad Majoricæ Episcopatum fuit electus . Ab ea Ecclesia , ob iuris quædam inter ipsum , Regemque exorta pro Ecclesiæ libertate , quam ipse valide tuebatur , ab eodem Pontifice anno 1332. ad Elnensem , in Catalonia , Episcopatum fuit translatus ; a Perpiniano ejus Patria parum distantem ; ibique inter alias res præclare gestas , complures Synodos celebravit , in quarum Constitutionibus decretum de B. Maria sine labe concepta edidit , ut Labæus in Concil. Synopsi testatur .

Elnensi Ecclesiæ decennium præfuit , ad diem usque 22. Mensis Augusti 1342. , quo pientissimus hic Antistes vitam tandem cum morte commutavit , fuitque in Ecclesia Elnensis

nostri Conventus sepultus , ut ejus marmoreum sepulcrum , Guidonis Simulacro , armisque gentilitiis ornatum , ostendit ; quamvis Lezana Avenione , & Ludovicus Jacob Parisiis vita ipsum functum existiment .

De hujus Præfulis virtute , ac doctrina magna cum laude loquuntur Scriptores , quos inter Trithemius : *virum in divinis Scripturis eruditissimum illum appellat* . Sixtus Senensis : *Sacrae Scholasticæ Theologiæ Professorem eximium* . Wernerus : *Doctorem inter præcipuos commendatum* : Odericus Raynaldus ad ann. 1331. *Censorem Fidei acerrimum* .

Varia opuscula in lucem edidit , quæ singulatim referuntur in *Bibl. Carm. tom. I.* Inter ea eminent potissimum *Directorium juris* , Callisto III. adeo acceptum , ut quandoque integras noctes in ejus lectione consumpserit , ut idem Pontifex Generali nostro Sorethio testatus est . Insuper *Summam de Hæresibus* composuit , a Bellarmino aliisque doctissimis viris sæpiissime laudatam ; et si Alphonso de Castro illa parum arrideat . Contra quem , & in Guidonis laudem Marcus Antonius Casanates sequens cecinit Hexasticon :

*Is tamen est quidquid dicat , cui nemo secundus .*

*Vita , doctrina , Religione modo ;*

*Eloquio pollens , pollens pietate sagaci ,*

*Non minus ingenio , simplicitate magis .*

*Et qui , quæ tractat spirante volumina sacro*

*Numine conflavit , maximus iste Pater .*

Æque ac doctrina , pietate , morumque integritate claruit Guido , adeo , ut a Gulielmo Einsegrineo *Sanctus* vocetur ; ab Arnoldo Bostio *Prophetico Spiritu afflatus* ; atque in veteri Mechliniensi Kalendario sub die 21. Augusti inter Ordinis Divos referatur . Ita Lezana *Annal. Carm. tom. 4.*

*Res*

*Res memoria dignæ sub Guidonis regimine.*

1318. **G**erardo Generali die 17. Maji præteriti anni defuncto, Co-mitia Generalia, usque adhuc dilata, Burdigalæ habentur, ubi sollemni Pentecostes die Guido a Perpiniano Generalis creatur. *Ita ex Papyro, seu libro Ordinis, in quo Generalia describuntur Capitula, quodque ab hoc incipit anno.*

Eduardus II. Angliæ Rex, voto, quo anno 1314. se obstrinxerat, ut diximus supra, liberatus, Oxonii Carmelitis Regium Rurale Palatium, quod ipse *Mansum Mancerii nostri* appellat, antecedenti anno dono dederat, prævio etiam Parlamenti consensu, & Regali ejus Diplomate a nostro *Bullar. tom. 1. relato pag. 609.* Hoc autem anno a Pontifice Joanne XXII. idem Rex petit, ut facultatem Carmelitis faciat, Regalem donationem acceptandi, & Conventum in loco ipsis donato construendi; cui rei benigne annuit Pontifex speciali ejus Bulla, quæ exstat in *Bull. Carm. tom. 3. pag. 21.*

Eodem anno Beatæ Virginis Patrocinii nova Carmelitæ experuntur argumenta in Nannetensi Civitate Galliæ. Hic enim dum Ordinis sui Conventum ædificare contendunt, plerique e Clero, Populoque incoepsum ædificium impedire nituntur. At sensere illico non pauci Cæli vindictam, & ex ea Supremi Numinis voluntatem. Nam in ceteris Cerdò quidam procacis ingenii, dum inde sinenter dicteriis, scommatibusque novos Advenas laceffit: subula infelix sibi manum perfodit. Utque videt inanem Chirurgorum operam ad sanitatem restituendam; supplex accedit ad Carmeliticum Sacellum, procumbit in genua, sceleris veniam a Deipara Sanctissima petit; consequitur: sanatur: palamque fit omnibus, Carmelitas Deo, Virginique Matri esse gratissimos. Nec multo post auxit Virginis de Monte Carmelo Religiosum cultum puer quidam, in puteum lapsus, extinctusque; cujus Parentes Deiparæ supplices, eadem intercedente, a Deo O. M. vitam, salutemque illi obtinuerunt. *Ita Leo a S. Joanne in Delineat. Rbedonen. Observ. cap. 16.*

1319. Duo eximia miracula ad S. Alberti honorem, atque intercessionem edidit Deus, quæ Nos iisdem Codicis Vaticani verbis hic referemus. En primum. „ A. D. 1319. in Terra Trapani quidam ludens bona sua, diabolo cooperante, omnia perdidit, & in fide desperavit. Venit ergo ad Virginem, ubi aderat & Imago B. Alberti, quam cum intuitus esset, dixit: toties te invocavi, & non exaudiisti me, te quoque, qui Sanctus Dei prædicaris, & non potuisti me

„ ad.

„ adjuvare ? Ideo nec te Sanctum amplius credo . Et tu quæ Mater  
 „ Gratiæ diceris , clausisti pietatis aures precibus meis ; & accepto gla-  
 „ dio , scidit ambas Imagines , & subito ex utraque guttæ Sanguinis  
 „ cadunt in terram . Sed ad hoc puero ibidem acclamante , ille profi-  
 „ liit foras , & ecce tonitruum cum fulgore simul descendens illum  
 „ combusssit , nec amplius visum est quidquid de eo , nisi cineres apud  
 „ fores Ecclesiæ ; propter quod illæ Imagines habentur in maximum  
 „ honorem usque in hodiernum diem „ . Idem successus ab Octavio Ca-  
 jetano Jesuita in *Histor. B. V. Drepensis* refertur .

En alterum portentum . „ Eodem anno cum quædam navis a Sa-  
 „ racenis raperetur , homines Christiani dire captivantur apud Tuni-  
 „ tium , & cum fuissent in diro carcere , invocaverunt D. Albertum . . . .  
 „ B. Albertus eis apparuit , quasi facula ardens , carcerem illustrando . . . .  
 „ dixit illis : ecce Deus misit me ad vos , sequamini me . Ad hanc  
 „ vocem fracto carcere , resolutis compedibus , secuti sunt claritatem  
 „ usque ad maritimam portam , quæ clausa utique non erat , & am-  
 „ plius claritatem non viderunt . Ipsi vero , quadam navicula accepta ,  
 „ universis fulcita necessariis , flanteque prospere vento , salubriter in  
 „ brevissimo temporis spatio Trapanam devenerunt , & Conventum ,  
 „ & Sanctum Dei Albertum devoti visitant nudi , & discalceati , in-  
 „ gentibus lacrymis , & gaudio Navem offerentes , & reliqua , quæ eis  
 „ superaverant „ . *Codex Vaticanus* . Vid. Lezanam ad hunc ann.

Ex utroque miraculo satis manifesto elicetur , jam inde a primis  
 annis post Alberti obitum Fidelium erga ipsum cultum cœpisse , Alta-  
 tribus in ejus honorem extructis , ejusque venerationi expositis undequa-  
 que Imaginibus .

Verum quidem est , Sancto vix tumulato , Regem , *O populum*  
*promisisse* (sic in Codice Vaticano legitur) , immo *O decreto sanxisse* ,  
*ipsum fore approbandum* , seu *canonizandum labore* , *O expensis ipsius*  
*Regni* . Attamen ob assidua bella , quibus fuit postea vexata Sicilia ,  
 ea de re nihil amplius actum . Sic etiam in variis Generalibus Capitu-  
 lis jam ab anno 1375. de eadem canonizatione promovenda agitur ,  
 sed numquam id executioni demandatum , ob Provinciarum forsan pau-  
 pertatem , ut existimat Lezana .

Fuit nihilominus sollemni huic canonizationi , quæ magnis subjici-  
 tur expensis , alia minus sollemni suppletum a Callisto III. anno 1457.  
*Vivæ vocis Oraculo* , atque a Sixto IV. speciali ejus Bulla edita an-  
 no 1470. quæ *Bulla Canonizationis S. Alberti* , vulgo adpellatur ; qua  
Cal-

Callisti *Vivæ vocis Oraculo* confirmato, permittit, ut ad D. Alberti honorem Altaria, atque Ecclesiæ extruantur, ipsique etiam tum in nostris, tum in alienis Templis orationes, ac preces publice fundantur. Hinc non modo in nostro Martyrologio sub die 7. Augusti Sancti memoria recolitur, sed etiam in Romano, illisque Baronii, Galesini, Maurolici, Molani, & aliorum. Immo Ordo noster diem ejus Festum perquam sollemniter celebrat cum octava, & Officio proprio; quod a Clero quoque sæculari Panormi, ejusque Diœcesis & alibi in Sicilia recitat. *Lezana.*

Eodem anno Pontifex Joannes XXII., ut Ordinis nostri paci, ac quieti consuleret, qui tunc *a nonnullis* (ut ipse ait), *qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant*, *diversis, & gravibus jacturis, injuriis, violentiis, & molestiis in diversis Mundi partibus, extra Regnum Franciæ, vexabatur*; Bulla ejus diei 26. Aprilis, quæ incipit: *Dilectos Filios, atque aliis etiam, varios Judices conservatores constituit, qui Ordinem defendant, ac tueantur, neve finant, eisdem ab aliquibus indebito molestari, vel eisdem damna, violentias, injurias, vel molestias irrogari: statuit præterea, singulis eorum aditionibus justitiam ipsis ministrari, & in eorum caussis, quæ judicium postulant, de plano, summarie, & sine strepitu procedi.*

Conservatores autem instituti sunt Mediolanensis, atque Astensis Archiepiscopi, Patavinus, Placentinus, Bononiensis, ac Ferrarensis Episcopi in Italia. Præterea Cantuariensis Archiepiscopus, atque Episcopi Londinensis, & Panthoniensis in Anglia. Demum Salisburgensis Archiepiscopus, atque Episcopi Pataviensis, & Ratisboniensis in Alemania. *Bull. Carm. tom. I.*

Sub die 4. Julii ejusdem anni alia Bulla, quæ incipit: *Ex dono cœlestis gratiæ illud Ordini vestro, & vobis datum esse conspicimus, quod ubique locorum in quibus degitis, fideles populos doctrina verbi pariter, & exempli ad salutis gratiam evocatis, idem Pontifex Carmelitæ amplissimam facultatem concedit, Conventus ubique locorum ædificandi in Alemaniæ, Bohemiæ, Daciæ, ac Norveciæ Regnis, in locis tamen insignibus. Atque hujus amplissimæ Pontificiæ Indulgentiæ eam caussam assignat. Quod Ordo vester, qui sub Virginis Gloriisæocabulo in Ultramarinis partibus sumpsit exordium, ex eo quod certe ris aliis Ordinibus tardius cœpit in Cismarinis partibus propagari, si cut præfati Ordines alii, in diversis Mundi partibus non potuit dilitari.* *Bull. Carm.*

1320. Postulante Edmundo, Eduardi Regis Angliæ filio, idem Ecclesiæ Pontifex Carmelitis in Regali ejus Palatio hospitibus potestatem facit ad triennium, duobus hebdomadæ diebus, carne, aliisque similibus eduliis vescendi, statutis in contrarium minime obstantibus; hoc est Carmelitica Regula, quæ tunc nondum super ea re fuerat mitigata. *Bull. Carm.* tom. 3. pag. 24. Erat hic Edmundus Eduardi I. filius, Eduardi II. Frater, fuitque deinde Eduardi III. Tutor.

Per id tempus Joannes de Poliaco Parisiensis Theologus, Religiones, præsertim Mendicantium, infestis oculis conspiciens, eo temeritatis processit, ut assereret, Confessiones Religiosis factas iterandas esse Parocho, neque Pontificem dare posse iis facultatem, stante cap. *Omnis utriusque sexus*, ut tempore Paschali alteri quam Ecclesiæ suæ proprio Parocho confiterentur. Hinc in judicium vocatus, Palydoniam cantare coactus est; & Summus Pontifex Joannes XXII. ejus propositiones tamquam falsas, erroneas & a Sacra doctrina devias condemnavit, ac reprobavit, Bulla, quæ incipit: *Vas electionis* 8. Kal. Augusti 1321. edita. Contra Poliacum librum scripsit noster Joannes Bacconius, ut refert Pitseus de *Scriptor. Angl.* & Odoricus sub hoc anno.





XIII  
*Joannes de Serio*  
*Tolosanus*

*in Comitiis Montis Perulani 7 Junij 1321 electus Abbis. Præfuit annis 9.  
Decessit Tolosæ die 23 Novembris 1330. Aetatis sue an.*

*Arnold. W. Waterhout Sculps.*

## XIII.

## JOANNES DE ALERIO.

**G**uidone Terrena, sive a Perpiniano, ad Majoricæ Episcopatum electo, Generalibus in Comitiis in Montis Pefulani Cœnobio habitis anno 1321. plenis suffragiis Joannes de Alerio, etsi absens, universi Ordinis Generalis Prior creatus est. Erat hic meritissimus Pater natione Gallus, patria Tolosanus, Provinciae Occitanæ, insignis Theologiæ Antecessor, atque in inclyto Parisiorum Lyceo Laureatus Doctor. Eximiæ ejus doctrinæ summa erat adjuncta pietas, ac morum honestas, ut & maximum in Ordine sibi commisso moderando studium, ac prudentia. Quapropter tria Generalia Capitula concivit, in omnibus, sanctissimis, ac salutaribus conditis statutis, tum ad Regularem observantiam augendam, tum ad majorem Dei, ejusque Virginis Matris cultum proferendum. Prudenti, ac suavissimo ejus regimine universi Ordinis amorem, ac benevolentiam sibi conciliavit; cuius rei testimonium satis luculentum exhibet Vestiarium, e communibus Provinciarum taxis eidem, etiam post muneric abdicacionem, adsignatum, ut ex actis cum Generalis Capituli Valencennensis anni 1330., tum Nemausensis anni 1333. colligitur. Fuit insuper Joanni XXII. P. M. acceptissimus, a quo proinde multa, ac varia Privilegia, gratiasque pro suo Ordine nactus est, quæque in nostro Bullario legi possunt.

Religioni novennium præfuit, quo exacto, anno Dom: 1330. Generali Capitulo in Civitate Valencennensi convocato, Generalatus munere se sponte abdicavit; deindeque insuum Tolosanum Conventum, sibi unice vacaturus, secessit; ubi duodecim post annos meritis plenus naturæ debitum persolvit ix. Kal. Decembris A. D. MCCCXLII.

K

De

De eximia Joannis Alerii, sive de Alerio doctrina, atque operibus magna cum laude loquuntur Sixtus Senensis, Antonius Possevinus, aliquique quamplurimi, cum nostri, tum exteri Scriptores, quos inter clarissimus Abbas Trithemius lib. de Scriptor. Ecclesiast., ubi de ipso sic scriptum reliquit: *Vix in divinis Scripturis studiosus, & eruditus, & non minus Religionis fervore, quam eruditione venerabilis, Ordinem Carmelitanum novem annis gubernavit. Edidit nonnulla præclara Volumina, quibus abundantem ingenii sui venam ostendit. E quibus extant: Super Sententias lib. iv. Lectura in Ecclesiasticum lib. I., & alia plurima.*

*Res memoria dignæ sub Alerii regimine:*

1321. Guido Generalis Majoricæ Episcopatum cum esset adeptus, Generale Capitulum in Monte Pessulano, vulgo *Mompelier*, quæ civitas est Linguadocæ, celebratur, in quo Joannes de Alerio illius Successor declaratur. *Ex Papyro Ordinis.*

1322. Joannes XXII. Marianæ Visionis, de qua ad annum 1316. actum est, memor, edidit hoc anno sub die 4. Martii, & Pontificatus sui anno sexto, celebrem Bullam *Sacratissimo uti Culmine*, vulgo *Sabbatinam* appellatam, ob speciale auxilium a Virgine Carmeli Confratribus, primo post obitum eorum Sabbato, promissum. *Bull. Carm. tom. I.* Quare autem ad hunc annum usque Pontifex Bullam istam publicare distulerit *vid. Daniel Vin. Carm. par. 5.*

Hujus Bullæ Autographum, juxta nostrum Bostium, Palæonydorum, aliosque, in Angliam fuit delatum, in cuius Provincia commune erat Ordinis Archivum, indeque una cum aliis monumentis, ceterisque Ordinis pretiosissimis rebus in lacrymabili Regni illius ab Ecclesia Romana defectione, quæ anno 1535. contigit, verosimiliter consumptum; nisi forte adbuc ibi lateat, ut ait Daniel a V. M.

Hæreticus Joannes Balæus in *Catal. Script. Britannicæ* fatetur (forte antequam ipse in Anglia a suo Ordine, & ab Ecclesia desciverat) illud vidisse, atque oculis perlustrasse: deque Joannis Visione loquens, solito hæreticorum stylo scribit: „ Istam apparitionem cum inauditis „ indulgentiis, & animarum Purgatorii liberationibus &c. in quadam „ Bul-

„ Bulla legi tam in Anglia , quam in Hannonia , quæ etiam Romæ anno 1530. sub Clem. VII. renovata est „ . Quod si juxta Chrysostomum , maximum veritatis argumentum est , cum quis inimicum testimonium adhibet ; testimonium profecto hujus haeretici maxima illius Bullæ probatio est . At quid haeretici testimonio indigemus ?

Joannis XXII. Bulla fuit deinde adprobata , confirmata , ac de verbo ad verbum suo diplomati inserta , quod incipit : *Tenore cuiusdam Privilégii* , ab Alexandro V. , sub die 7. Decembris 1409. edito . E cujus archetypo , ( Alfonso de Theramo Captariensis in Anglia Conventus Priori tradito , ut in communi Ordinis Archivo adservaretur ) exemplum undecim post annos exscriptum est , nempe anno 1421. in Majorica in forma authentica , & juridica a publico Notario ; quod in nostri Januensis Conventus Archivo repositum est , ex eoque deinde multa alia exscripta sunt exempla , quæ passim occurrunt , ut apud Daniellam a V. M. videre est .

Joannis , atque Alexandri Bullæ fuerunt postea a Clemente VII. duabus aliis Bullis adprobatae , & confirmatae . Item a Paulo III. Pio V. Gregorio XIII. , quorum Bullæ relatæ sunt in *Bull. Carm. tom. I.* & 2. , a Sacra Cardinalium Congregatione Inquisitionis Generalis Romæ sub Paulo V. anno 1613. , & pluries a S. Congregatione Rituum in Officio B. Mariæ de Monte Carmelo diei 16. Julii , a Cardinalibus Bellarmiano , & Torres post exactum examen adprobato .

Hinc merito ait Emanuel Rodriguez , a nostro Thoma a Jesu relatus : „ Ego non capio , quomodo quis de hoc ( privilegio Sabatino ) haesitare potest , nisi forsitan ille , qui has Bullas non viderit : etenim mihi videtur , nihil certius adinveniri posse , quam una divina Revelatio , tot Summorum Pontificum auctoritatibus munita . N. Villalobos de Orig. & Progr. Monast. pag. 175.

In ejusdem Sabbatini Privilégii testimonium addi hic posset sententia , atque judicium publicarum Academiarum , Lyceorumque , uti Salmaticensis in Hispania , Sorbonicensis Parisiorum , Borbonici in Gallia , ac Bononiensis in Italia . Ac præterea innumeræ Auctorum , cum nostratum , tum exterorum auctoritates , quoram omnium Catalogum Joannes noster de Villabos satis longum contexuit , ab iisdem Joannis XXII. temporibus inciens , uti sunt Joannes Bacconius , qui floruit anno 1346. in tract. de Ordine Carmelit. , Gulielmus Sanviliacus lib. de Patronat. Virg. , qui floruit anno 1350. , Joannes Hornebius Anglus lib. de Misericord. B. V. anno 1374. , Gulielmus Bewefu lib. de De-

*parce miraculis*, conscripto anno 1387. & alii. Qui Auctores sunt Joanni Pontifici vel Synchroni, vel Suppares. *Vid. etiam Bibl. Carm. tom. I.* pag. 720.

Ad Joannis Bullæ veritatem confirmandam, addi hic solet revelatione a S. Teresia habita, quam ipsamet in sua Vita, suorum Confessorum, & Superiorum jussu, ab eadem conscripta, hisce refert verbis *cap. 38. sub finem*: „ Quidam Ordinis nostri Religiosus, vir admodum „ pius, graviter infirmabatur; cum vero ipsa Missæ intercessione, magna „ me recollectio mentis occupavit: vidique in ea illum jam expirasse: „ & recta ad Cælum abeuntēm confexi: Mirabar magnopere, quod „ Purgatorio non adjudicaretur; sed intellexi, mire illi, quo minus „ eo abiret, Bullas Ordinis profuisse, eo quod Religiosus fuisset, qui „ suæ Professionis Regulam, & Vora quam exactissime servasset,. Per *Bullas* hic Bullæ Pontificum intelliguntur juxta Auctores, præcipue illa Joannis XXII. *Sabbatina* nuncupata. Deinde subdit ibidem *eadem* Sancta, præter nostrum Religiosum (quem V. P. Didacum de Mathia, *Abulensis Conventus* alumnum fuisse, dicit Lezana) nullum sic absque Purgatorio in Cælum ascendere vidisse, nisi Petrum de Alcantara, & quemdam Dominicanum Fratrem.

Hisce omnibus positis, jure optimo concludere cum eximio Raynaudo possumus: *Igitur vel omnes revelationes, & apparitiones, quibus scatent volumina de Vita Sanctorum, explodendæ sunt (quod nemo Catholicus ausit dicere), vel ista Joanni XXII. facta est admittenda; cum via ulla aut revelatio, aut apparitio prodatur, cui tot, & tanta adspiculenta subsidia, quo, & quanta suppetunt, pro istius, de qua agimus veritate. Scapul. Partheno-Carmel. par. 2. quest. 5. num. 67.*

Præ omnibus tamen clarissimis hisce argumentis, exstitit transfacto seculo famosus Criticus Joannes Launoyus, universorum Ordinum obrectator, qui prædicti Sabbatiini Privilegii, Joannisque XXII. Bullæ veritatem, atque existentiam in dubium revocare ausus est in suis dissertationibus, Romæ a S. Sede, & in Gallia a Rege Christianissimo proscriptis. Cui nihilominus fortiter restiterunt Joannes Cheron, Thomas Aquinas a S. Josepho, Philibertus Fezajus, Ireneus a S. Jacobo, atque eximius Theophilus Raynaudus Jesuita; & post ipsos una cum pluribus aliis Lezana in *Annal. tom. 4.* Daniel a V. M. in *Vin. Carm. & in Speculo Carm. tom. I.* par. 2. lib. 5. ubi citatam Bullam refert, explicat, illustrat, ac tuetur: late etiam Joannes Feyxous Villalobos *Differ. Theol. Dogmat. de vera Origin. & progres. Monastices, & novissimi-*

vissime Cosmas Villiers *Bibl. Carm.* tom. I. pag. 720., ad quos omnes  
Lectorem remittimus.

Sæpius laudata Bulla Sabbatina complectitur in primis magnum Privilegium, a Virgine in Cælis obtentum, atque in terris a Pontifice publicatum, e poenis Purgatorii liberationis, primo post obitum Sabbatho ab ipsa Dei Matre promissæ tam Carmeli Fratribus, qui Regulam perfecte servaverint, quam Carmeli Confratribus, qui satis quibusdam ab ipsa Virgine præscriptis faciant, hisce, quæ sequuntur verbis: *Die, quo ab isto Sæculo recedunt, ac properato gradu accelerant ad Purgatorium, Ego Mater gratiose descendam Sabbatho post eorum obitum, & quotquot inveniam in Purgatorio, liberabo, & eos in montem vitæ æternæ reducam.*

Ubi advertendum, Virginem non dixisse dumtaxat descendam, quoniam non per se descendit, Cælos relinquens, sed addit gratiose, hoc est (ut Daniel animadvertisit) per gratiam, sua videlicet intercessione a Filio obtainendo, ut Angelis Confratrum Animas e Purgatorio educant. Quemadmodum clarius explicit Sacra Cardinalium Congregatio sub Paulo V. *Suis intercessionibus, piis suffragiis, & meritis, ac speciali protectione post eorum transitum, præcipue in die Sabbati.* Hinc subdit eadem Congregatio: *Itaque Imagines (quæ a devotis de hac resolent fieri, ac depingi) cum descensione B. Virginis ad animas in Purgatorio liberandas, minime fiant, sed per intercessionem B. Virginis a tanto periculo per manus Angelorum in Cælo collocari.* Quod quidem a nostris, præsertim Concionatoribus, atque etiam a Confratribus animadvertisendum omnino erit.

Atque hoc sane est tam præclarum Sabbatinum Privilegium, a tot Summis Pontificibus confirmatum; a Sacris Congregationibus Romæ ad trutinam sæpiissime revocatum, atque adprobatum, & a tot insignioribus Scriptoribus relatum; de quo proinde Antonius Sander in *Babantia illustrata* egregie scripsit: „Privilegium Bullæ Sabbatinæ divi-„num est, non humanum, cælesti, non terrenum. Propterea hic ve-„rissime dictum intelligam, quod aliunde Arnoldus Carnotensis scripsit: „Maria Mater postulat, Filius adprobat, Pater decretat. Hoc ergo „Privilegium in Cælis datum, per ipsam Virginem Mariam ad Ter-„ras delatum, per Joannem XXII. est confirmatum, & promul-„gatum.

1323. Idem Pontifex Generali nostro, ac Provincialibus facultatem concedit, subditos ad quoscumque Episcopos mittendi, atque his illos

illos ordinandi ; *quacumque constitutione in contrarium edita non obstante.* Sed de hac re consulendum est Tridentinum , *Seff. 23. Bull. Carm. tom. I.*

1324. Barcinonæ in Catalonia Generale Capitulum celebratur ; in eoque præcipitur , quod *Salve Regina* dicatur in fine omnium horarum , & *Gloria in Excelsis* in omnibus Missis B. Virginis . *Ita Palæonydorus.*

1325. Circa hæc tempora Petrus Thomas de Aquitania , Sanctus deinde effectus , Carmeliticum Institutum in Condomiensi Conventu amplectitur . *Ex ejus vita.*

1327. Albiæ , quæ Urbs est Galliæ Narbonensis , sueto Pentecostes die alia Generalia Comitia habentur , ubi iterum Alerius confirmatur . *Ex Papy. Ord.*





B. Petrus de Castis  
<sup>XIII</sup>  
Aquitanus

Electus Gñalis in Comitio Valencenisi habiti 29. Maij 1330. Praesul annis 11. a Benedicto XIII. 1341 Episcopus Vassionensis, et a Clemente VI 1342 creatus Patriarcha Hierosolymitanus. Qui euit in Domino Vassione die 3. Augusti 1348. Etatis sua an.

Arnold. V. Wosterhout Sculps.

## XIV.

## B. PETRUS DE COESIS.

**P**Etrus a Gallis de Casis , sive de Domibus , gallice *des. Maisons* , nuncupatus , ab Italis vero de Coesis : & quidem verius , sic enim in suis Bullis Benedictus XII. & Clemens VI. eumdem compellant , ad Ecclesias Vasionensem , & Hierosolymitanam ipsum promoventes ; quemadmodum & Bzovius in historia Silvestri II. , e cuius præclarissima Familia de Coesis , Pontificum , Regum , Cardinalium , Principum , aliorumque illustrium virorum fœcundissima Matre , originem ducere ait Petrum .

Petrus ergo de Coesis Lemovici , in Aquitania , nobilibus est ortus parentibus , in ejusque patrio Cœnobio Carmelitico Instituto nomen dedit , ac sollemnia vota fecit . Deinde Lutetiam Parisiorum studiorum caufsa missus , eo profecit , ut in illius insigni Lyceo Doctoratus Lauream sibi compararit . Anno 1324. in Capitulo Generali Barcinonæ habito , Provinciæ Aquitaniæ Provincialis fuit institutus ; cujus Præfecturam quum gereret , sequenti Capitulo Albiæ celebrato anno 1327. ipse interfuit . Inde Generalibus Comitiis Valencenis , in Flandria , coactis anno 1330. , Generalatus muneri , quo se libere abdicavit Joannes de Alerio , omnium consensu suspectus est .

Ordini , curæ ejus commisso , summo zelo , ac prudentia undecim annis præfuit ; quo temporis intervallo communis Ordinis bono , atque incremento semper intentus , tria Generalia Capitula convocavit . Sed Petri pietatis ac doctrinæ fama longe lateque diffusa , Benedictus XII. ad Vasionensem Episcopatum illum evexit die 17. Decembris 1341. , annoque sequente sub die 7. Octobris a Clemente VI. Be-

ne-

nediti Successore Patriarchatu Hierosolymitano , retento Ecclæ Vasionensis regimine , decoratus est .

Has vero dignitates , & munera dum Antistes noster magna cum laude , & Ecclesiae utilitate exercet , iii. Nonas Augusti A. Reparatæ Salutis MCCCXLVIII. diem obiit supremum , cum maxima sanctitatis fama , fuitque in Cathedrali Ecclesia conditus ; ubi , locatis postea ab Episcopo Successore Josepho Maria Suarez honorifico in tumulo illius cineribus , sequens Epitaphium appositum est .

D. O. M.

*Venerabili Petro de Casa Priori Generali Ordinis Carmelitarum Patriarchæ Hierosolymitano , bujus Episcopatus Administratori , qui Obiit A. MCCCXLVIII. III. Non. Aug. , & miraculis claruit . Josephus Maria Episcopus Vasionensis .*

In arbore Genealogiæ Cœsiorum , Romæ sculpta anno 1628. , quæ apud inclytam hanc Familiam servatur , hæc extant verba : *Hæc . . . quæ sub Clemente VI. Pontifice Maximo B. Petrum de Cæsis Aquitanum Generalem Carmelitarum Antistitem , & Hierosolymorum Patriarcham , protulit .*

Beati appellationem Petro nostro tribuunt non solum Genealogia Cœsiorum , & Bzovius in vita Silvestri II. , sed etiam Kalendarium Mechliniense Carmelitarum , ac plures alii Scriptores , quos inter Antonius Possevinus in *Appar. Sacr.* qui ejus doctrinam , ac sanctitatem hisce verbis commendat : *Petrus . . . cuius doctrina , vitæ Sanctitas , atque miraculorum patratio perhibetur . Ubi etiam ejus Opera refert , quæ pariter in *Bibl. Carm.* tom. 2. recensentur .*

Res

*Res memoria dignæ sub Cæsi regimine.*

1330. **V**Alencenensi in Conventu, in Belgio, sueto Pentecostes die; Generalia Comitia habentur, in iisque, per muneris abdicationem Generalis de Alerio, Petrus de Cœsis illius Successor declaratus est; & Pater Radulphus Procurator Generalis Ordinis (& hæc Generalis Procuratoris electio prima est, quæ in Regesto Ordinis legitur) destinatur. Hisce autem Comitiis alios inter Patres eximus Doctor Joannes Bacconius, Angliæ Provincialis, interfuit. *Eæ Papyr. Ord.*

Eodem anno insigne accidit miraculum, quod hic iisdem Lezanæ verbis referre juvat: Antonius Cambianus quodam die arabat in campo „ paululum dissito extra muros Vicinovi, Oppidi pertinentis ad Illu- „ strissimos de Rovera in Pedemonte; immobiliter vero restantibus bo- „ bus, etiam omni vi frustra adhibita, agricola stupens, propriusque „ accedens, videt e terra exurgere statuam parvam, sed pulchram, Bea- „ tissimæ Virginis Mariæ Puerum Jesum in brachio dextro tenentis, ac „ genuflexus humiliter veneratus est. Ea delata fuit ad Ecclesiam „ S. Bartholomæi in dicto Oppido Vicinovi, & honorifice collocata in „ quodam Tabernaculo. Sequenti die rursus inventa fuit in eodem „ campo: & inde delata ad eamdem Ecclesiam. Tertia denique die „ non reperta in illa Ecclesia, visa fuit rursus in illo campo, non qui- „ dem in Terra, ut aliis diebus, sed elevata in aere. Audito tanto „ prodigio, Clerus cum populo processionaliter eo perrexit, omnibus „ stupentibus, & pro devotione lacrymantibus, Rector prædictæ Eccle- „ siae obtulit tabernaculum: in quod Imago ista ex aere paulatim de- „ scendens, se dimisit. Ibidem per Dominum de Rovera mox constru- „ Æta fuit Ecclesia: & aliquandiu post tradita Religiosis Ordinis nostri,. Quæ sane Ecclesia, ac Coenobium ibidem postea constructum, ad no- stram Provinciam Pedemontanam pertinent, ubi Sanctissima Imago cre- „ bris miraculis clara continua populi devotione colitur. *Lez. ad bunc ann., atque Eusebius Nerimbergius in Trophæis Marianis lib. 5. cap. 26.*

1333. Alia Generalia Comitia Ordo concivit in Nemausensi Con- ventu, Provinciæ Narbonensis, in quibus Joannes XXII. litteris Ponti- ficiis datis Patres Capitulares ad pacem, & concordiam hortatur, iisdem præterea Dei honoris, ac Regularis observantiæ studium insinuat, eo- rumque ferventissimis precibus Petri Naviculam sexcentis tunc jactatam procellis commendat. In eo Capitulo cum Generalis Procuratoris mu- nus deposuisset Radulphus, novi Procuratoris creationem ad Pontificem

Capituli Patres remittunt ; qui proinde Apostolico Brevi P. Joannem Gilbertum , usque ad S. Sedis beneplacitum , Generalem Procuratorem creavit , eumque deinde Benedictus XII. anno D. 1335. a munere amotum declaravit . *Bull. Carm. tom. 1. in Appendix , & Ord. Papirus.*

Eodem anno laudatus Pontifex Joannes Brevi suo Terræ Sanctæ Provinciali , qui tunc temporis in Cyperi dumtaxat Conventibus jurisdictionem habebat , potestatem facit , quatuor Fratres in Terram Sanctam singulis annis mittendi , ad Sacrum Domini Sepulcrum , aliaque loca sacra , sine alicujus anathematis periculo , visitandum . *Bull. Carm. ibid.*

1334. IV. Nonas Decembbris hujus anni vita functus est Joannes XXII. , cuius merito habenda hic est mentio , quippe qui Religioni nostræ addictissimus fuit , immo Ordinis Mæcenas optimus , celebri ut creditur , Virginis Carmelitanis vestibus induitæ , ante ejus Pontificatum adparitione , permotus . Hinc Bostius , ac Lezana de Joanne scripserunt : *Non fuit aliquis Prædecessorum suorum , qui tanta privilegia Ordini nostro contulerunt , sicut iste Papa ; atque in omnibus ejus Bullis verbis erga Ordinem nostrum amoris , ac benevolentiae plenissimis utitur . Plurimos itidem ex Fratribus nostris ad Ecclesiasticas Dignitates evexit , ut apud Bullar. Carm. , ac Lezanam videre est.*

1335. Benedictus XII. , post Joannem XXII. Pontifex electus , VII. Idus Januarias hujus anni Ordinis nostri Generali , Provincialibus , Prioribus , ac Fratribus encyclicam Epistolam scribit , qua suam ad Papatum promotionem primum ipsis , demissis sensibus , significat , deindeque omnes rogit , ut pro se , atque Ecclesia ad Altissimum assiduas fundant preces ; declarans præterea , quidquid Ordinis bono , atque utilitati erit , facile se facturum ; atque præcipiens , ne aliud , *præter victimum* , tabellariis subministrent : *quandoquidem* , ait Pontifex , *ad istorum violentias , ac rapinas e medio tollendas , ipsos primum jurare voluimus , nihil , etiam si sponte donatum , aut petituros , aut fore accepturos . Bull. Carm. tom. 3. pag. 32.*

Eodem anno idem Pontifex duas edidit Constitutiones : quarum altera Fratribus Mendicantibus prohibet , ne ad Monachorum Ordines , etiam Cisterciensium , sine expressa S. Sedis venia , quæ de hac Bulla diserte faciat mentionem , transeant . Altera vero Patris Joannis Buc de Ordine Carthusiano ad Carmelitanum transitum , qui ipsi tunc temporis contendebatur , approbat , atque confirmat ; Doctorum sententiæ innixus , qui ajebant : „ quod sola mendicitas , quæ magis propinquæ est virtutibus , multis de causis , & rationibus facit Ordines Mendi-

„ can.

„ cantum arctiores, & ipsorum Mendicantium Ordinum Professores re-  
„ putari perfectiores, quam alii Religiosi, redditus, & possessiones in  
„ communi habentes, existant. *Bull. Carm. tom. I.*

1336. In Bruxellensi Civitate, in Belgio posita, aliud Generale Capitulum convocatur. *En Papy. Ord.*

1337. Circa hæc tempora Petrus Thomas noster, quum propter Conventus, ubi studebat, inopiam in adeo magnis effet angustiis, ut studiorum curriculum ibidem explere nequiret, misericordiarum Matrem humili ac ferventissima prece obsecrat, ut ipsi, suoque Cœnobio auxilium præstet: eaque in oratione Virgo Petro adparens, inquit: *Fili mi, ne te sollicitum paupertatis cura detineat, quoniam te numquam deseram: alacriter studeas, Filio meo, ac mibi semper inserviens.* Sequenti mane celebrato a Petro Thoma in gratiarum actionem Missæ Sacrificio, a nobili quodam, cuius confessionem sacramentalem exceperat, sex nummi aurei dati ipsi fuerunt; sicque Virginis tutamen, Petro promissum, confirmatum est, & Conventus paupertati consultum. *Ex ejus vita.*

1338. Circa hoc tempus Andreas Corsinus Florentino Conventui præficitur: „ in qua administratione ( inquit Laurentius Surius ejus Vi- „ tæ Scriptor ) tanta vitæ sanctimonia claruit, ut narratu difficile fo- „ ret. Venturam Carmelitanum Pisanum quemdam ab hydropisis mor- „ bo curavit. Rogatus a quodam familiari, cui puer natus erat, ut „ eumdem puerum baptizaret, non recusavit: sed dum illustraretur „ aqua, & Chrismate, Andreas, cui Deus futura revelaverat, mirum „ in modum lacrymis irrigatur. A quo, cum Pater pueri lacrymarum „ causam quereret, Andreas inquit: hic puer sibi, & familiæ suæ „ excidio natus est. Pater vero præfigium hujusmodi parvi faciens, „ viri Dei verba contempfit. Puer autem crescens non fecus, ac An- „ dreas prædixerat, flagitiis, ac facinoribus coopertus cum multis con- „ tra Rempublicam juravit, qui in judicium vocatus, tanti sceleris „ poenas solvit: omnesque cognati ejus ab omni administratione Reipu- „ blicæ fuerunt abdicati. *Auct. citat.*

1339. Generalia Comitia in Conventu Lemovicensi, in Gallia, habentur, ibique confirmato Generali de Coësis, Procurator Generalis declaratur Radulphus Kelei, sive Okelli, qui postea anno 1344. Episcopus Lethglinensis, & anno 1346. Archiepiscopus Casalensis, in Hibernia, creatus est. *En Papyr. Ord. & Bull. Carm. tom. I. in Appendix.*

1342. Moritur hoc anno, die 25. Aprilis, Benedictus XII. , pri-  
mum Jacobus Fornerius appellatus , qui ex Abbe Cisterciensi fuit  
Cardinalis creatus, indeque anno 1334. Summum Ecclesiæ Caput . Fuit  
tamen hic Pontifex primo in nostra Tolosana Provincia Professus Car-  
melita , atque hinc e nostro Ordine Commendatarius Abbatia Cister-  
ciensium , Fontis Frigidi nuncupatæ , destinatus . Neque hujusmodi no-  
strorum ad aliorum Ordinum Abbatias transitus defunt exempla , quæ  
omnia Lezana , & Daniel in *Vin. Carm. num. 882.* colligit . Et qui-  
dem Benedictum XII. Ordinis nostri Religiosum aliquando fuisse , præ-  
ter nostrates Auctores , testantur etiam Renatus Choppinus , Claudius  
de Villa , & Antonius Possevinus , qui *in suo Apparatu* sic ait : „ Be-  
„ nedictus Papa hujus nominis XII. . . . Joannis Papæ XXII. ex So-  
„ rore Nepos , primo Carmelita , deinde Monachorum Cisterciensium  
„ sub regula S. Benedicti Militantium Abbas Fontis Frigidi , ac dein-  
„ ceps S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis , tituli S. Priscæ , denique Ponti-  
„ fax Maximus anno 1334. „ . Ubi sequens de ipso Epitaphium refert.

*Hic jacet Benedictus ,  
Quem Carmelus protulit ,  
Caffinus aluit ,  
Vaticanus coronavit .*

Dicitur , quem *Vaticanus coronavit* , non quod Romæ in Vaticano  
Pontificio Diademeate fuerit insignitus ( fuit enim coronatus Avenione )  
sed quod Pontificalis dignitas , qua fuit donatus , a D. Petro , qui in  
Vaticano Pontificatum gessit , aut Sepulcrum habet , defluxerit . Ita  
Petrus Lucius in *Bibl. Carm. , & Lez. ad ann. 1335.* ubi adversario-  
rum objectiones clarissime diluit .





Petrus <sup>XV</sup> Raimundi  
Grassensis

Electus Grimalis in Comitijs Lugduni habitis 19 Maij 1742. Pre-  
fuit annis 16. Decessit in Monte Pessulano die 22 Novembris 1757.  
Aetatis sue an.

Arnold. V. Wierrohout Sculps.

## XV.

## PETRUS RAYMUNDUS DE GRASSA.

**P**etrus Raymundus, natione Gallus, cognomento *de Grassa*, quod forte *Grassæ*, quæ in Gallia Narbonensis Provincia Urbs est, natus fuerit, adolescens Tarsacii in Conventu Carmelitanum Institutum complexus, ac professus est. Studiorum deinde curriculo laudabiliter expleto, in Generalibus Comitiis Bruxellis anno 1336. habitis, in Parisiorum Collegio Lector, ut in Papyro legitur Ordinis, fuit institutus; adeoque in humanis, & divinis litteris profecit, ut a Marco Antonio Casanate, & Petro Lucio Belga nuncupetur: *Theologie Sacre, & juris utriusque Princeps. Vir divina prudentia clarus, nitida Sapientiae fax, & qui Religionis suæ zelo maximos exuperavit Patres.* Hinc jure meritoque anno 1342. Provinciae suæ Narbonensis Provincialis Prior fuit renuntiatus; eodemque anno, cum Generale Capitulum Lugduni coactum esset, in locum Petri de Cœsis ad Episcopatum promoti, ipse de Grassa communi omnium voto Generalis Ordinis Prior adlectus est.

Supremam hanc dignitatem cum esset adeptus Petrus, munus sibi demandatum numeris omnibus absolvit; ideoque Conventus, ac Fratres sibi commissos, tamquam optimus Pastor, nulli parcens labori, assidue invisebat. Ordinis insuper bono, ac utilitati consulendo, quinque Generalia Capitula concivit; in cunctis leges, & statuta condens, ad optimum Ordinis regimen, ac Regularis disciplinæ incrementum conducentia. Ordinis quoque Constitutiones, ac Decreta, in variis Generalibus condita Capitulis, uno collegit volumine, atque in plures distribuit Rubricas, quas in Generalibus Comitiis, non quidem Tolosæ, ut scribunt Bo-

stius,

stius , & Palæonydorus , sed Perpiniani celebratis , publicavit : omnibusque Ordinis Fratribus scriptis illis legibus obtemperationem præcepit .

Hinc præstantissimus hic Præfus non modo de sua Religione , sed etiam de Sancta Sede optime fuit meritus , a qua varias proinde Concessiones Pontificias , ac Privilegia pro suo Ordine obtinuit , quæ omnia in Bullario nostro legi queunt . Tandem , postquam Ordinem summa cum prudenter , atque integritate fuit moderatus , debitum naturæ solvit tributum in Montis Pessulanii Cœnobio x. Kal. Decembris anno a Partu Virginis MCCCLVII. Innocentio VI. S. Pontifice .

Abbas Trithemius *lib. de Vir. illuſtr. Ord. Carm.* de illo sic scriptum reliquit : „ Petrus Raymundus de Graffa natio- „ ne Gallus , Conventus Tarsacii , Provinciæ Narbonensis , „ XV. Prior Generalis , vir doctus , & devotus . Scripsit „ multa præclara Volumina , quibus sui memoriā posteris „ commendavit ; e quibus extant subjecta : Super sententias „ *lib. iv.* Ordinis quoque sui diversa statuta in unum volu- „ men collegit , & in Rubricas sexaginta collectiones easdem „ distinxit .

*Res*

*Res memoria digne sub Raymundi regimine.*

1342. **G**enerali Petro de Coësis ad Episcopatum electo, die 19. Maii, in quem Pentecostes festum incidit, Generale Capitulum in Lugdunensi Conventu celebratur, ubi Petrus Raymundus Generalis Ordinis Prior creatur, ac Generalis Procurator Radulphus Kelei fuit denuo institutus. *Ex Papy. Ord.*

Eodem tempore, quo Fratres nostri pro Ordinis Generalis electione Lugduni convenerant, Cardinales Avenione pro novi Ecclesiæ Capitis creatione in Conclave coiverant, fuitque Clemens VI. ad Pontificatum sublevatus. Hic inter Pontifices de Ordine nostro optime meritos a Lezana recensetur; quippe qui a Confessionibus habuit Petrum nostrum Berretum, alias de Boffio, qui postea Graffensis Episcopus, & deinde Vaisonensis fuit institutus: aliosque quamplures e nostris ad Episcopales extulit dignitates; multisque concessionibus, ac Privilegiis Ordinem locupletavit Carmelitarum. *Bull. Carm. ibid.*

1343. Mediolani Generalia Comitia habentur, in quibus, Radulpho Episcopo creato, Petrus Thomas (deinde Sanctus) Generalis Ordinis Procurator electus est. Huic Capituli Patribus Pontificiis suis litteris Ordinis bonum Pontifex commendat, simulque, ut pro se, ac pro pace inter Christianos Principes servanda, tunc in bellis, ac dissidiis cum Ecclesiæ detimento agentes, Deum enixe precentur. Atque aliis Apostolicis Epistolis Generali Priori præcipit, ut in singulis Provinciis idoneos Patres destinet, qui Cruciatam contra Christiani nominis hostem prædicent. *Ex Papyr. Ord. & Bull. Carm. tom. I.*

1347. Clemens VI. amplissima Bulla, quæ incipit: *Sacer Ordo vester*, die 29. Mensis Julii edita, non modo Exemptionis ab Episcoporum jurisdictione Privilegium confirmat, Carmelitis a Joanne XXII. concessum, sed etiam declarat conceditque, ne in forum Episcoporum vocari queant, inquiens: „Nos, qui vos, & Ordinem ipsum speciali prosequimur in Domino charitate, vobis, & Successoribus vestris in perpetuum auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgimus, ut præfato Indultu (nempe Joannis XXII.) in suo robore permanente, coram quibusvis Dioecesanis, & Locorum Ordinariis ratione delicti, contractus, seu rei, de qua agitur, conveniri, vel imponeti nullatenus valeatis. *Bull. Carm. tom. I.*

Eodem anno, die post ejus Coronationem secundo, Bohemiæ Rex Carolus IV. Imperator incliti Conventus, atque Ecclesiæ Pragæ prima jecit

jecit fundamenta , eaque Carmelitis dono dedit . Ita *Wenceslaus Hagecibus Bobemus* . Pro quibus extruendis jam præcedenti anno licentiam Pontifex dederat . *Bull. ibid.*

1348. Generale Capitulum in nostro Metensi Cœnobio celebratur , ubi Hetruriæ Provincialis B. Andreas Corsinus institutus est , & Procurator Generalis Ordinis Jacobus Martini . *Ex Papy. Ord.*

Ea tempestate sævissima pestis universum Terrarum Orbem invafit , quæ integras Urbes , & Oppida labefactavit , atque hominum maximam partem interemit . Magnum tunc temporis damnum Religio-  
forum præsertim Mendicantium Ordines passi sunt ; qui spirituale auxi-  
lium morbo illo laborantibus pro suo munere præstantes , eamdem con-  
tagiosam luem ebibebant , sodalibusque suis communicabant . Et quod  
magis est , cœpit ab illo tempore Regularis observantiae rigor refrigerare , illustrioribus Patribus , peste extinctis , omnino deficientibus ; quod  
quidein malum , Superiorum , subditorumque , qui successerant , tempore  
atque inertia , reparari minime potuit . *S. Antoninus , Bzovins , ac Le-  
zana .*

1349. Fesularum , in Hetruria , Ecclesia Pastore suo viduata , Ca-  
nonici capitulo congregati B. Andream Corsinum illius Episcopum  
eligunt : qua re Sancto nuntiata ; „ timens ( teste Surio ) , ne sub tan-  
„ to onere premeretur , tertio milliario ab Urbe apud Carthusienses la-  
„ titavit . Canonici vero illum per omnem Provinciam quæri jubent .  
„ Sed ubi nequeunt illum invenire , iterum Congregatio de revocanda  
„ electione decernitur , & dum eorum vacillantia corda in ambiguo  
„ verfarentur , Spiritus Sanctus per os infantis locutus est , dicens :  
„ Elegit Deus Andream in Sacerdotem sibi : ecce enim apud Cartusianos  
„ orat , ibi enim invenietis . Hinc in Carthusia inventus ad Episcopa-  
„ tum ductus est , quem amplius recusare nequivit , sic Deo per Ange-  
„ lum sibi præcipiente „ . Ita *Surius in ejus Vita* .

Franciscus Venturinus S. Severi Episcopus , alter Sancti Vitæ Scrip-  
tor , cum Surio omnino convenit ; in creatione dumtaxat discrepat ,  
quam non a Canonicis , sed a Clemente VI. ejus Bulla factam autu-  
mat , quæ Bulla vere in nostro Bullario *tom. I. exstat* . At in ea quo-  
que re , mea quidem sententia , duo illi Scriptores possunt conciliari ,  
si dicamus Andreæ electionem primo bona fide a Canonicis factam ,  
reservationem illius Episcopatus sibi a Pontifice antea peractam igno-  
rantibus , deindeque ab eodem Pontifice confirmatam , & renovatam ;  
quod ex Bullæ contextu colligi videtur .

1351. Petrus Thomas pro Ordinis sui perpetua conservatione, atque incremento frequentes ad Deum, ejusque Sanctissimam Matrem orationes fundens, ipsa nocte Pentecostes hujus anni cum id etiam, atque etiam peteret, a Beatissima Virgine mirabile hoc responsum meruit audire: *Confidito, Petre, Religio enim Carmelitarum in finem usque Sæculi est perseveratura; Elias namque ejus Institutior jam olim etiam a Filio meo id impetravit.* Ita in Officio ejusdem Sancti lect. 5.

De celebri hac Revelatione Joannes Hildesheim testatur, qui a Lézana dicitur *in divinis Scripturis studiosus, Cruditus, Philosophus, Poeta insignis, S. Petri discipulus, Socius;* e cuius ore illam audisse idem lib. contra detract. Ordin. cap. 5. fatetur hisce, quæ sequuntur, verbis. „ Tempore felicis recordationis D. Clementis Papæ „ Sexti, fui studens in Avenione: servivique pro tunc, recolendæ memoriæ Magistro Petro Thomæ, tunc scholas Regenti, viro magnæ scientiæ, magnæ famæ, magnæ opinionis, quoad Sanctitatem vitæ. „ Cumque more solito coram ipso dormirem, in sancta nocte Pentecostes vocibus dulcibus, & miris motibus exercefactus, repente surrexi. Petii pro tunc ab eo quod secum habuisset? ipse vero noluit indicare mihi: multiplicavi preces flexis genibus; & tandem vix obtinui: præmisso tamen juramento, quod non revelarem, quamdiu foret ipse superstes, & tunc, dixit: In tristitia mentis, & ferventibus desideriis obdormivi, & desiderans a Beata Virgine Religionis meæ patrocinium, & conservationem; Ipsa mihi respondit: *Petre, ne timeas; quia durabit in finem Carmeli Religio vestra; nam & pro ea supplicavit Filio meo primus Ordinis Patronus Elias in Transfiguratione, ac impetravit.* Retulit ista mihi lacrymantibus oculis ipsius præ gaudio, ex quo & ego ad consimilem fletum provocabar. Eamdem Revelationem referunt etiam Bostius, Palæonydorus, Laertius, Aubertus Miræus, ac Gononus, eaque insuper a S. Rituum Congregatione sæpius in Sancti Officio fuit adprobata. Atque hinc dystichon illud suam trahit originem:

*Dum fluet unda maris, curretque per Æthera Phœbus  
Viver Carmelus candidus Ordo mibi.*

Iisdem temporibus Generale Capitulum Tolosæ habebatur, ubi Ordinis Generalis Procurator Arnaldus Trenka electus est. *Ex Papy. Ord.*

Eodem anno Clemens VI. quemdam Bernardum nostrum primum Episcopum in Insulis quibusdam inter Occidentem ac meridiem positis creat, quæ *Insulæ Fortunatae* dicuntur, secundissimis quidem, sed earum

incolæ tunc Jesu Christi fide cærebant. Ad illas autem Bernardum conveniente Christianorum numero, ut gentem ad Deum converteret infidelem, misit Pontifex. Qua sane conversione cœpta, eidem potestatem facit Cathedram Ecclesiam in una ex illis Insulis erigendi, eique Civitatis nomen imponendi. Cuncta hæc in Bulla habentur, quæ incipit: *Cœlestis Pater*, sub die 7. Novembris edita, inque nostro Bullario tom. 3. pag. 71. relata. Illæ autem Insulæ Fortunatæ, *Canariæ Insulae* vulgo audiunt.


1352. Philippus e Tarenti Principibus, atque a Regali Andegavensium Stirpe oriundus, per miraculosæ Parthenopeæ Virginis, cui se commendaverat, intercessionem, a captivitate apud Hungariæ Regem eruptus, Neapolim reversus satis voto suo facit, unciis auri viginti, quas promiserat, nostræ Neapolitanæ Ecclesiæ suo Diplomate annuatim assignatis. *Bull. Carm. tom. I.*

1354. Generalia Comitia Perpiniani celebrantur, quorum congregatis Patribus novus Pontifex Innocentius VI. ejus Bulla septem annos, totidemque Indulgentiarum Quarantenas concedit. *Bull. Carm. tom. 3.*

Eodem anno S. Petrus Thomas, ubi duabus Pontificiis Legationibus functus est, altera ad Regem, ac Neapolis Reginam Johannam, pro rebus Tyrrhachii Ducissæ componendis, altera vero ad Januenses, pro ipsis cum Aragoniæ Rege, ac Venetis conciliandis, ab Innocentio VI. Episcopus Paëtensis, ac Liparensis creatur. *Bull. tom. I. & 3.*

1357. Aliud Ordo Generale Capitulum Ferrariæ convocat, solito Pentecostes die, quo idem Generalis Procurator confirmatur. *En Pap. Ord.*





## XVI.

## JOANNES BALLISTARIUS:

**J**oannes Ballistarius, vulgo *Ballester* nuncupatus, natione Catalanus, atque in Oppido, qui *Campos* dicitur, natus, in Majoricæ Cœnobio Carmelitico Instituto adscitus est; atque hinc fortassis *Majoricensis* a quibusdam vocatur. In Actis Capitularum Generalium annorum 1351., & 1354. primum Sacræ Scripturæ, deinde Sententiarum Lector Lutetiae Parisiorum legitur destinatus, in cuius inclyto Lyceo fuit postea *Baccalaureatus* gradu decoratus.

Anno D. 1358., extincto Generali Petro Raymundo, Generalibus Comitiis Burdigalæ habitis pro novi Generalis Prioris electione, Joannes ipse tot inter lectissimos Patres dignus habitus est, qui tanto muneri præponeretur, quod die 8. Septembris, Beatissimæ Virginis Nativitati Sacro, contigit. Ad Supremam illam Præfecturam electus Joannes, communi Ordinis utilitati unice intentus, inter alias res ab ipso gloriose gestas, quatuor Generalia Capitula celebravit, in quibus omnibus sanctissima statuta ad regularem disciplinam conservandam, ac scientiarum studia promovenda condita sunt. Cura sibi a Patribus Generalis Capituli Trevirensis anni 1362. demandata, novas Ordinis Constitutiones compilavit, quibus non modo statuta ab ejus Prædecessore collecta adnexuit, sed & nova alia, quæ priora magis explicarent, adjunxit. Quæ Constitutiones in duas partes divisæ typis demandatae sunt anno 1369., ut Generalis Canalius in præfatione ad novissimas Constitutiones testatur.

Ea sane erat prudentia, ac studium, quibus Ordinem regebat vigilantissimus hic Præsul, ut ejus regiminis tempore magna in existimatione illum fuisse autument Scriptores

nōstri , non modo apud Episcopos , ac Prælatos , sed etiam apud Principes , ac Pontifices ; ut tot potissimum Gratiae , ac Privilegia , Ordini ab ipsis concessa testantur , quæ in nostro Bullario videre est .

Religionem Joannes sexdecim annis moderatus est , quibus exactis , diem clausit supremum in Majoricæ Conventu , Ecclesiam gubernante Gregorio XI. Pridie Kal. Octobris A. D. MCCCLXXIV. ubi ejus Corpus sequenti cum Epitaphio conditum est .

D. O. M.

Hic jacet Reverendissimus Magister  
In Sacra Theologia  
Generalis Ordinis B. Virginis Mariæ  
De Carmelo  
Frater Joannes Balistarius  
Obiit ultima die Mensis Septembris  
Anno MCCCLXXIV.

Sed Epitaphium hoc pluribus post ejus obitum annis appositum ibi fuisse dicendum est ; quippe Reverendissimi titulus Ordinis Generalibus Prioribus in Capitulo Generali Bononiæ anni 1411. fuit primum concessus .

Complurimi Scriptores Balistarii doctrinam , atque Opera commandant , quos inter Trithemius lib. de Vir. illistr. Ord. Carm. qui sic de ipso testatur : „ Joannes &c. Vir in „ divinis Scripturis eruditissimus , & sacerdotalis Philosophiaæ „ scrutator acutus , ingenio præstans , & clarus eloquio . „ Scripsit quædam præclara Volumina , quibus nomen suum „ posteris destinavit . E quibus extant . Super sententias lib. 4. „ Constitutiones Ordinis sui lib. 1. De novissimis temporibus „ ad Papam lib. 1. & alia quædam .

Po-

Postremus hic liber , qui fuit Pontifici Gregorio XI. inscriptus , apud alios hunc præfert titulum : *De Bello fortis Militantis Ecclesie , & de Antichristo ipsam impugnante.*

*Res memoria dignæ sub Ballistarii regimine.*

1258. **P**etro Raymundo Generali extincto , novum Ordinis Capitulum pro Successore creando oportuit convocari ; idque Burdigalæ in Gallia habitum est , ubi Beatissimæ Virginis Nativitatis die Joannes Ballistarius Generalis Prior renuntiatus est , Arnaldo Trenka Generali Procuratore confirmato . *Ex Papy. Ord.*

1360. Oritur hoc anno B. Nunnus Alvarez Pereyra Dux , & Portugallæ Comes stabilis , indeque Carmelita , ut suo loco dicemus . *Ex Mariana.*

1362. Sueto Pentecostes die Generale Capitulum Treviri in Alemania celebratur , quo Joannes Trisse Ordinis Procurator eligitur , atque tunc primum Socius Generalis nominatus est . Variæ insuper declarationes , atque Ordinis priscis Constitutionibus additamenta fiunt , ut & nova conduntur Statuta , quæ magna ex parte novissimis nostris Constitutionibus inserta sunt . *Ex Papy. Ord.*

Eodem anno Urbanus V. Summus Pontifex creatus , secundo post ejus coronationem die Generali , ac Fratribus Ordinis scribit , suam ad Pontificatum electionem eisdem significans . *Bull. Carm. tom. I.*

1364. D. Albertus insigne miraculum operatus est erga Fridericum III. Petri II. Filium , ac Friderici II. Siciliæ Regis Nepotem ; quod hisce verbis Vaticanus Codex memoriarum prodidit . „ A. D. 1364. „ D. Rex Fridericus Regis Petri Filius Regni Siciliæ , infirmitate mor- „ tali gravatur , ita quod a Medicis mortuus est deputatus ; Consan- „ guinei „ ( forte fuit Soror ejus Euphemia Messanensis Monasterii S. Clare Abbatissa , quæque illi post Patris mortem gubernatrix data erat ) „ ipsum voverunt Ordini ( Carmelitano ) ; videlicet , quod habi- „ tum ferret tribus annis , si Deus eum liberaret meritis B. Alberti . „ Super eum imponunt dicti Sancti Reliquias ; aquam tactam dictis „ Reliquiis tradiderunt ei potandam ; quam cum potasset , cognoverunt „ medicinalem suisse suæ salutis ; & sic secunda die liberatus , de lecto „ profiliit : votum confirmat , & habitum pertulit aliquibus diebus , „ secundum Ordinem dispensatus .

Legitur in alio Codice : „ dispensavit autem Ordo cum eo ( quia „ Ma. „

„ Magnus esset , & coronandus in Regem ), ut ante tempus promissum habitum dimitteret „ . Et Vincentius Barbarus in vita ejusdem Sancti ait : nec nisi diplomate Pontificio eum ante diem reliquit , quo Rex Panormi post biennium coronatus est . Eadem habet Petrus Saracenus in Monologio Carm.

1366. Die 6. Januarii , qui Epiphaniæ festus est , D. Petri Thomæ , Patriarchæ tunc Constantinopolitani , & Apostolici Legati, gloriofissimus accidit obitus in Famagustæ Civitate , quæ Cypri Regni caput est , quo una cum Rege secesserat post pugnam cum Turcis Alexandriæ pugnatam , ibique , infidelium sagittis lethaliter vulneratus , obdormivit in Domino . Hinc sub Martyris nomine die 14. Februarii in universo Carmelitico Ordine Festum ejus recolitur .

Martyris titulum Petro Thomæ attribuunt Philippus Mazzerius , individuus ejus Socius , Joannes Hildesheim Sancti Discipulus , Silvester Marulus , Odericus Raynaldus Baronii Continuator , aliquie , quibus & Sacrae Rituum Congregationis auctoritas addi potest , quæ iterum ; atque iterum Sancti Officium , quod ab Ordine Carmelitico , tamquam Martyris , recitatur , adprobavit . Sed vide sis Danielem in Vin. Carm. pag. 80. ubi late de ea re agit .

Sacrae Theologiæ Studium in Bononiensem Universitatem hic Sanctus primo invexit , atque hujus Sacrae Facultatis Collegium instituit , ut ex veteri illius Lycei libro colligitur , & Benedictus XIV. in sua Allocutione ad Patres Capituli nostri Generalis anni 1744. testatur ; quæ habetur in Bull. tom. 4.

Eodem anno Generalia Comitia in Montis Albani Conventu habita sunt , in quibus Generalis Procurator Franciscus Bacconius Catalanus vir clarissimus , institutus est ; ibique etiam duo Socii Generales eliguntur : id quod in cunctis aliis Capitulis actum deinde fuit . Ex Papy. Ord.

1369. Aliud Generale Capitulum in Montis Pessulani Cœnobio , Pentecostes die , celebratur , ubi primum Vocales Provinciarum , Definitorum nomine adpellantur , atque Ordinis Procurator Bartholomæus Pejoroni declaratur . Præterea Generalis curæ committitur Corpus S. Elisei comparandi ; potestate illi etiam facta , si opus esset , Provincias pro expensis taxandi . Sed de hujus rei exitu nihil certius statui potest . S. Elisei corpus , ut scribunt Hieronymus de Rubeis , Asulanus , & noster Saracenus , creditur extare , atque adorari in S. Apollinaris Ravennate Ecclesia , etsi unum Elisei caput Ravennam translatum esse Joannes Gil.

Gillemanus in suo Agiologio afferat , quod probabilius videtur . *Ex Papy. Ord. & Auct. cit.*

1372. In Aquensi Cœnobio , sive de Aquis mortuis , in Gallia , alia Generalia Comitia conciuntur , ubi idem Pejoronius Generalis Procurator confirmatus est . *Ex Papy. Ord.*

1373. B. Andreas Corsinus Florentinus , ex nobilissima Corsinorum Familia ortus , Fesulanus Episcopus , VIII. Idus Januarii hujus anni , die a Beatissima Virgine ei prædicta , ad cælestia Regna convolavit . Ante , & post obitum miraculis clarus ; ab Urbano VIII. Sanctorum numero adscriptus est anno D. 1629. Cujus sollempne festum sub ritu dupli majori 2. class. cum octava Clemens XII. ejus consanguineus ab universo Carmelitarum Ordine novissime celebrari jussit . *Ex ejus vita , Bull. Carm. tom. 4. ac Ferdinandus Ughellus Cisterciensis in Italia Sacra tom. 3. ubi de Fesulanis Episcopis agens , hæc de nostro Sancto sepulcralia refert carmina :*

*Montis Carmeli de Religione vetusta ,  
Raptus ad Ecclesiam , Fesulanamque Mytram .*

*Progenie celebris , virtute celebrior omni ,*

*Hoc de Corsinis marmore subtegitur .*

*Andreas Christi famulus de jure vocatus*

*Numinis aeterni totus in obsequio .*

*Virtutis cultor , pater , auxiliator egenis ,*

*Exemplo vita mirus , & eloquio .*

*Qui qualis fuerit miracula multa fatentur ;*

*Quæ Deus ostendit corporis ad tumulum .*

1374. Gravissima hoc anno excitatur in Anglia a Joanne Stokio , sive Stoky Dominicanu contra Ordinis nostri vetustatem , confirmationem , ac titulum controversia ; cui verbo & scripto validissime restitit Joannes Hornebius noster , Cantabrigensis Doctor . Pro ea autem dirimenda ad Cantabrigensem Universitatem res delata est . Ubi cauſa ad trutinam revocata , & partibus auditis , mature perpensa , ab eximis illius Lycei Doctoribus , ac Magistris sequens edita est Sententia : „ Nos &c. Auditis rationibus , & allegationibus , visisque Privilegiis , „ leſtis , & examinatis , una cum Chronicis , & Scripturis antiquis , „ Ordinem Fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli in jure communi , „ ac speciali confirmatum , tituloque Gloriosæ Virginis Mariæ Dei Ge- „ nitricis fore specialiter insignitum ; & Fratres dicti Ordinis , pro ut „ nobis apparuit per Chronicas , & alias Scripturas antiquas , imitato- „ res ,

„ res , & Successores esse Sanctorum Prophetarum Eliæ , & Elisei , pro-  
„ nunciamus , decernimus , & declaramus &c. die 23. Februarii an-  
„ no 1374. *Lez. Annal. tom. 4.*

Sub idem quoque tempus Cestriæ , quæ ejusdem Britanniæ Urbs est , procacissimi quidam Sæculares injuriis , ac conviciis Carmelitas impetebant , palam afferentes , ipsos non jam B. Virginis Mariæ Dei Matris Fratres esse , sed Mariæ cujusdam Ægyptiacæ , eumque illorum verum titulum esse . At Dei Sanctissima Mater , atque Ordinis Carmelitici singularis Patrona , statim obtrectatorum injurias ulciscitur ; siquidem complures ex iis Cæli manifesto supplicio improviso , ac subito peribant . Quamobrem pro Deo O. M. , ejusque divina Matre placandas sollemnes omnium Ecclesiasticorum Supplicationes indictæ sunt , interque alios ordine etiam suo Carmelitani Fratres procedebant . Sed hinc dum per ligneum B. Virginis Simulacrum , quod in magna fane erat veneratione , transeunt , eamque inclinato capite Angelica Salutatione *Ave Maria* venerantur , magnum en subito miraculum . Virginis Imago caput & ipsa flectens , Carmelitas resalutat , atque ad ipsos dexteræ digito converso , ter alta inquit voce : *Ecce bi sunt Fratres mei* . Latius de miro hoc dixerunt successu Petrus Portelius , Lezana lib. de Patronatu Virginis cap. 3. , ac Daniel Vin. Carm. pag. 269. , ubi & hos subiicit versus :

*Icone dum coram , repræsentante Mariam ,  
Dicens Angelicam Carmeli turba Salutem  
Cantas Ave ; faustamque bimili ceruice Salutem  
Reddit , Imago manum ter dirigit , atque loqulam :  
Ecce mei Fratres , inquit O.*





XVII  
*Bernardus Olerius*  
*Manresanus*

*a Gregorio XI institutus Vicarius Gnatii. Poy' in  
Comitiis 10 Junij 1375 electus Gnatii. Praefuit annis 5. men-  
sibus 5. Decessit Minorice die*

*1390 Etatis sue an-*

*Arnold. V. Westerhout sculps.*

## XVII.

## BERNARDUS OLERIUS.

**J**oanne Ballistario e vivis sublato, Bernardus Olerius eidem successit. Erat autem dignissimus hic Pater domo Catalanus, ac Minorissæ, sive Manessæ, Vicensis Dicecensis, natus. In Patrio Conventu, si Nicolao Antonio in *Bibl. Hisp.* credendum sit, sin aliis, Majoricensi in Cœnobio Carmelitarum Institutum amplexus est. Humanis, ac divinis disciplinis cum esset præditus, illas primo Parisiis, deinde Avenione docuit, tandem Romana in Curia, ubi Magister Regens, Generali Capitulo in Monte Albano anno 1366. celebrato, fuit deputatus. Parisiis gradu dumtaxat Baccalaureatus suscepso, Magistri, ac Doctoris Laurea, facultate ipsi ab Urbano V. per Breve communicata, a Ballistario Generali fuit insignitus. Quamplurima in suo Ordine exercuit munera, sed in primis in Generali Trevirensi Capitulo anni 1362. Socius Generalis Prioris fuit electus: in alio Montis Pessulani anni 1369. Provinciæ Provincialis: insuper Aquensi Capitulo anni 1372. ut Generalis Definitor interfuit; atque anno 1374. Generali Ballistario demortuo, a Gregorio XI. Generalis totius Ordinis Vicarius fuit institutus. Quæ omnia munera tanta cum laude obivit, ut Generalibus Comitiis Podii, sive Anicii, anno 1375. convocatis, unanimi omnium consensu Generalis Ordinis Prior fuerit renuntiatus.

Gregorio XI. Bernardus noster acceptissimus fuit, a quo, præter varias Pontificias gratias suo Ordini comparatas, personale Altaris portatilis Privilegium pro se obtinuit. Ab eodem præterea Pontifice Regulas, & Constitutiones pro Hospitalis Avenionensis recto regimine condendi cura Bernardo fuit demandata. At non eamdem apud Gregorii Suc-

N

ces-

cessorem expertus est benevolentiam : et si enim in Generali Capitulo Brugis in Flandria concito anno 1379. Ollerii regimen ab omnibus fuerit probatum , atque ipse in munere confirmatus ; nihilominus ab Urbano VI. sequente anno 1380. a Generalatus munere fuit depositus , Michaele Ayguano in ipsius locum Generali Vicario instituto . Ea sane de caufsa , quod tempore funestissimi Schismatis , Ecclesiam tunc vexantis , Bernardus e Galliis , ubi morabatur , ab Urbano Pontifice Romam evocatus , noluerit , sive potius obedire nequiventer ; sicque partes Antipapæ Clementis VII. , cui tunc Gallia , Hispania , & Catalonia adhærebant , & ipse sequi debuerit .

Perststit nihilominus Bernardus in Galliæ Provinciarum regimine , aliarumque omnium , ubi Clemens , ut Pontifex , habebatur ; cum interim ceteras alias ordinis Provincias regeret Ayguanus . Atque en , Ecclesiæ instar , Religio nostra duobus recta Præfulibus . Præfuit itaque deinde Bernardus schismaticis Provinciis ad annum usque 1384. , quo Officium resignavit , fuitque in ejus locum Raymundus Vaquerius suffectus . Tandem in Conventu Majoricensi vita functus est anno Reparatæ Salutis , juxta Petrum Lucium , mcccxc. Ordinem ut legitimus Generalis Prior annis quinque , & mensibus septem moderatus est .

Bernardum Ollerum Marcus Antonius Allegrius a Schifmate excusat , quod partes Antipapæ bona fide fuerit secutus ; immo ejus doctrinam , ac pietatem magnopere laudat hisce , quæ sequuntur , verbis : *Vir in divinis Scripturis eruditissimus , elaborator assiduus , apprimeque versatus : Religiosæ pietatis , sinceræque fidei , & zeli integerrimus fuit . Bernardi doctrinam scripta quoque sua testantur ; libri nimirum de Antiquitate Ordinis , & de Concepcione B. Virginis Mariæ , de quibus Trithemius Abbas loquitur .*

*Res*

*Res memoria dignæ sub Olleris regimine.*

1375. **B**allistario Generali vita jam functo, Generale Capitulum in Podiensi Civitate concitur, ubi Pentecostes die Bernardus Ollerius Generalis Prior creatus est, & Bartholomæus Peyroni Procurator Ordinis confirmatus, qui deinde Elnensis Episcopus, in Catalonia, ex qua oriundus erat, creatus est, non quidem a vero Ecclesiæ Capite, sed vel a Clemente VII. vel a Benedicto XIII. Pseudo-Pontificibus, quorum sequebatur partes. Inter alia decreta hisce in Comitiis condita, illud & fuit, quod in cunctis Conventibus commemoratio Divæ Annæ fiat, immediate post illam B. Virginis Mariæ; insuper Patri Generali datur potestas Provincias taxandi pro comparando loco, ubi corpus S. Elisei conditum est, & pro Alberti, & S. Legati (hoc est Petri Thomæ) Canonizatione. *Ex Pap. Ord.*

Hujus Capituli Patribus Apostolicis litteris suis Gregorius XI. commendat, ut Deum pro pace inter Christianos, atque Ecclesiæ libertate obsecrant; quasdam insuper indulgentias concedens tam Vocalibus, quam iis, qui Capituli Ecclesiam visitaverint. *Bull. Carm. tom. 3.*

Ad eundem hunc annum obitum complures nostri Beati Francisci de Senis referunt, quidquid alii autument. Hic ingravescente jam ætate, a Deo ad Religionem vocatus, nostro Carmeli Ordini in Patrio Senarum Conventu nomen dedit. „Habitu suscepto (Lezanæ verbis utar) & studiis per aliquot annos peractis, Sacerdos effectus, ferventissimus evasit Concionator. Hinc, Deo inspirante, Lombardiam, & Cremonam venit, ubi tam in S. Bartholomæi Carmelitarum Templo, quam in publicis plateis, ac locis plerisque Civitatis divino Zelo Eliæ imitator accensus, acrius in vitia, blasphemiam præcipue, invehebatur. Quare scelerati quidam contra ipsum irati, eum occidere decreverunt; quod saxis missis, dum quadam die prædicationi attenderet, exequi non dubitarunt. Carmelitæ autem corpus tollentes honorifice in eodem suo S. Bartholomæi Coenobio die II. Aprilis sepulturæ mandarunt, ubi in magna veneratione habitum, multis miraculis resplenduit,. Quæ omnia idem Lezana a variis collegit Auctorialibus, qui illius vitam scripsérunt, quos inter Carthagena, Gonusa, Ferrarius in suo Martyrologio, & Ludovicus Jacobellus in libro *de Sanctis, & Beatis Senensibus*. An vero Beato Francisco titulus Martyris (quem aliqui ei attribuunt) competit, propter ea, quæ de eodem supra diximus, affirmare non audemus, Vaticana responsa in eo desi-

derantes, inquit *Lezana ad hunc annum.*

1377. Floruit ea tempestate B. Theodoricus Alemanus, nostri Ordinis alumnus, de quo noster Joannes Grossus, coævus Scriptor, in suo *Ordinis Viridario de Sanctis Ordinis agens*, hæc prodidit memoriæ: *Quartus decimus fuit B. Theodoricus de Alemania, per quem Deus tam in vita, quam in morte multa fecit miracula, quæ in Conventu Venetiarum babentur, ubi ejus corpus requiescit.* Miracula referunt idem Grossus, Coria, Metius, aliique Nostrates, qui de ipso loquuntur, quos inter Palæonydorus, *biflor. Carmel. lib. 3. cap. 12.* „ Porro (inquit ipse) Sanctus Theodoricus Alemanus Ordinis nostri, summa „ Sancti Spiritus gratia præclarus, miraculorum gloria insignis, carnis „ domitor mirabilis, postquam super nudo loricam ferream quotidie „ fuisset induitus, præsente Urbis Romanæ Senatore, puellam a Demo- „ ne liberavit; inde in Civitate Senensi surdo auditum restituit. In „ Civitate Florentina insuper contractum ex toto sanavit. Tandem in „ Conventu Venetiarum diem clausit extreum. Ibi ad ejus sepulcrum „ visum mulier cæca recepit. Alia similiter illuminata est Cappam il- „ lius oculis admovens, . Hæc ille. De eodem Beato mentio quoque fit a Carthagena, & a Joanne Molano in addit. ad *Martyr. Usuardi.* *Vid. Lez. ad hunc ann.*

1378. Accidit hoc anno Romæ vi. Kal. Aprilis Gregorii XI. obitus, quo jam inde a præcedente anno pervenerat, ibique Sedem Pontificiam restituerat, quæ per annos septuaginta, & unum Avenione manserat. Hinc coadunati in Conclavi Cardinales novum eligunt Pontificem Bartholomæum Prignanum, Archiepiscopum Bariensem, sub nomine Urbani VI., & quidem libere creatum, adprobatum, atque ab omnibus Cardinalibus recognitum. Cum autem postea severius forte, quam par esset, nimio zelo ductus cum ipsis ageret Urbanus, Cardinales Ultramontani illum deserunt, causatique creationem illius, vi a populo Romano illata, & non libere factam, se Fundos conferunt, ibique alium Pontificem, Clementem VII. adpellatum, creant. Atque en Dei Ecclesiam horribili Schismate scissam, quod annis quinquaginta duravit: fuitque non modo Ecclesiæ ipsi, verum etiam Religionibus, ac nostræ præsertim perniciosissimum. Hispania, Gallia, atque Catalonia Antipapa Clementis; Alemania, Anglia, Hungaria, atque Italia Pontificis Urbani partibus faventibus. Ex *bifl. Ecclesiast.*

1379. Antipapa Clemens VII. vix Pontifex creatus, epistolam satis longam, Fundis datam Kal. Martii, Generali nostro scribit, eaque affe-

afferens , ipsum verum esse Pontificem , Urbanum vero *Antichristum* , atque *Apostaticum* , illi præcipit , ut omni severitate ac rigore contra Fratres procedat , qui Urbanum sequentur , ac recognoscent ; immo ut hos coerceat , officiis quibuscumque privet , atque etiam a proximi futuri Capituli Generalis gremio arceat . *Bull. Carm. tom. I. in appendice.*

Eodem anno , sedatis jam molestiis , atque Ordinis detractionibus contra ejus Titulum , tam in Anglia , Cantabrigiæ Universitatis Decreto , quam Cestriæ , Virginis Miraculo , de quibus superius actum est , adit Ordo per Vice-Procuratorem Generalem Nicolaum de Luca Summum Pontificem Urbanum pro perpetuo remedio ; qui proinde non modo Ordini speciosum titulum *Fratrum Beatissimæ Virginis Mariae de monte Carmelo* confirmat , sed concedit amplius vivæ vocis Oraculo : *Omnibus Christifidelibus , qui Ordinem ipsum , & Fratres Beatissimæ Mariæ Genitricis Dei de Monte Carmeli vocaverint , nominaverint , seu appellaverint , si in gratia extiterint , indulgentiam trium annorum , & rot quadragenarum ; prout testatus est Cardinalis Bartholomæus Mezavaca , Ordinis Protector , Epistola diei 25. Aprilis ejusdem anni . Bullar. Carm. tom. I.*

Die 29. mensis Maji ejusdem anni Brugis in Flandria Generalia Comitia habentur , ubi communi omnium plausu Bernardus Olierius in Generalatus munere confirmatur , ipsique Generalem Procuratorem in Romana Curia instituendi committitur facultas . *Ex Papy. Ord.*

Alios inter gravissimos Patres , qui huic interfuerunt Capitulo , extitit Bernardus a Roma , Parisiorum Doctor , & tunc Provinciæ Romanæ Provincialis , creatus deinde Sutrensis Episcopus , immo & postea , si nedum Auctoribus nostris , sed & Conrado Gesnero , atque Antonio Possevino fidem præstamus , inter S. R. E. Cardinales adscitus . Præfati enim Auctores , Gesnerus in *Biblioteca littera B.* & Possevinus in *Apparatu sacro littera B.* in Appendix hæc de Bernardo habent . *Bernardus de Roma , Italus , Carmelita , Episcopus Sutrensis , ac Sanctæ Romanae Ecclesiæ Cardinalis : scripsit Lecturam Sententiarum libros 4. Sermones ad Clerum Romanum librum 1.* Quod autem alii in Cardinalium Catalogis Bernardi nostri mentionem non fecerint ; nil mirum ; latere enim eos potuit , sicut etiam plures alii latent , qui quotidie e tenebris eruti , Cardinalitia dignitate fulsisse comperiuntur . Ita ferme Lezana *Annal. tom. 4.* sub hoc anno , & Daniel a V. M. *Specul. Carm. tom. 2. pag. 915.* , qui & illum obiisse autumat sub initium , aut ante medium anni 1406.


Etsi

Etsi Bernardus Olerius eo in Capitulo Generalis fuerit confirmatus , atque etiam a Patribus omnibus laudem integerrimi viri , scelerisque puri reportaverit ; anno tamen sequente ab Urbano VI. munere Generalatus fuit privatus , ac depositus , ut superius dictum est . Et ratio fuit , quod Avenionem profectus , Clementis VII. Antipapæ partes sequeretur , atque ad Urbem vocatus noluerit , sive magis ( vi forte in Gallia coactus ) Romæ adesse nequiverit . Ea fane erat illorum temporum conditio !

Bernardus itaque Avenione commorans Galliarum , Hispaniarum , & Cataloniæ Provincias , quæ Antipapæ Clementis partibus favebant , moderari pergit ; immo Provinciae istæ , etsi a legitimo Ordinis , atque Ecclesiæ Capite divisæ , Capitula deinde habuere , & toto Schismatis tempore Provinciales , ac Generales suos elegerunt . Hinc Bernardus , etiamsi anno 1380. depositus , laudatas Provincias rexit ad annum usque 1384. ; quo , Capitulo Avenione celebrato , ipse munus resignavit , ejusque loco Raymundus Vaquerius substitutus est . Anno D. 1389. alio habito Perpiniani Capitulo , Raymundi Successor Joannes Grossus fuit renuntiatus , qui easdem Provincias Clementi addictas gubernavit ad annum usque 1411. , quo ex Joannis XXIII. mandato ( quem major Ecclesiæ pars pro vero Pontifice , ut reapse erat , agnoscebat ) , Generali totius Ordinis Capitulo Bononiæ coacto , Joannes Grossus unanimiter Generalis Prior creatus est , ut suo loco dicemus . Hinc Raymundus Vaquerius in hac nostra Generalium Chronotaxi jure non est relatus . Quemadmodum enim istius funestissimi Schismatis tempore , nec Clemens VII. nec Benedictus XIII. a Pseudo-Cardinalibus creati , in Summorum Ecclesiæ Pontificum serie recensentur ; ita & Vaquerius a sequacibus illorum , atque illegitime congregatis , electus , a Priorum Generalium Ordinis albo jure meritoque repellitur . Secus dicendum de Michaeli Ayguano , & Joanne de Raude a veris Christi Vicariis Generalibus Ordinis Vicariis primum creatis , indeque a legitimis Religiosis Capitulis , Generalibus Prioribus institutis .

## XVIII.





## XVIII.

## MICHAEL AYGUANUS.

**M**ichael natione Italus, patria Bononiensis, familia Ayguanus, ideoque modo de Bononia, modo Ayguanus adpellatus, & perfæpe etiam *Incognitus* ob insigne ejus Opus super Psalmos, quod diu sine Auctoris nomine fuit editum. A prima ætate in patrio Conventu Carmeli lanas induit; & cum esset *disertus eloquio* (ut ait Lezana) in *divinis Scripturis studiosus*, & *eruditus*, in Generali Ferrariensi Capitulo anni 1354. Parisiensis Lector fuit institutus, atque eodem in munere sequentibus Capitulis, nimirum Burdigalensi anni 1358., & Trevirensi anni 1362. iterum confirmatus; eaque tempestate Commentaria super *iv. Sententiarum libros conscripsit*, atque in celebri Pariforum Lyceo Lauream doctoralem sibi comparavit.

Bononiensis suæ Provinciæ cum esset renuntiatus Provincialis, Generalibus Capitulis, tum Podiensi anni 1375., tum Brugensi anni 1379. interfuit; inter quæ tempora a Generalatus munere Olerio deposito, ab eodem Urbano VI. fuit Michael Generalis totius Ordinis Vicarius institutus, speciali ejus Brevi diei 19. Aprilis 1380. Sequente deinde anno 1381. Generalibus Comitiis Veronæ habitis, communibus Patrum suffragiis Generalis Prior fuit renuntiatus. Eo in munere cum esset constitutus, præter Italiz Provincias, illas quoque Angliæ, & Germaniæ visitavit, & anno 1385. aliud Generale Capitulum Bambergæ convocavit, ubi & in munere confirmatus fuit. Sed anno 1386. cum Italiam reversus Januam ad Urbanum Pontificem invisendum se contulisset, ab eo Generalatus munere privatus est. Qua de cauſa id contingit, adhuc latet; etſi quidam cauſam fuisse autument,

vel

vel quod alicui Cardinali , Pontifici infenso , adhæserit , vel quod suo cuidam discipulo , Bambergensis Ecclesiæ Archidiacono , amicitia fuerit conjunctus .

Quidquid tamen sit , certum omnino est ab omni munere exoneratum Ayguanum in patrium Bononiæ Conventum se recepisse , ubi suis absolvendis Operibus totum animum applicuit . Novem nihilominus post annos Bonifacius IX. virtute , ac meritis ipsius permotus , Apostolicis litteris diei 25. Julii 1395. Michaelem Bononiensis Provinciæ Generalem , ac perpetuum Vicarium creavit , cum plena facultate illam gubernandi , reformandi &c.

Tandem in eodem suo Bononiæ Conventu e vivis excessit xvi. Kal. Decembris a Virgineo Partu MCD. atque ætatis suæ LXXX. Quod sane ex veteri Epitaphio , tumulo ipsius in Ecclesia nostra S. Martini Bononiensis apposito , atque ad præfens in Claustrum translato , colligitur . Epitaphium autem hujusmodi est .

### D. O. M.

Michael Doctor hic est , Ayguana Bononias illum  
Stirps dat , Carmeli , quem tulit Ordo , Caput .  
In David ejus ovat calamus , stupor estque Latinis  
Et Gallis virtus , ingeniumque senis .  
Bis septingentos annos , patet esse Novembrem ,  
Atque bis octenos explicuisse dies .

Hinc patet non anno 1416. obiisse , ut putat Ludovicus Jacob , neque 1411. , ut scripsit Biscarettus , sed anno 1400.

Michaelem nostrum summis laudibus extollunt Autores , quos inter Vernerius in *Fasc. Temp.* illum *Totius Christianitatis luminare* appellat , & Sixtus Senensis : *Theologum* , *Philosophum* , & *Canonistam Summum* . Quamplurima edidit opera , quæ

quaæ in *Bibl. Carm. tom. 2.* referuntur, & præ ceteris maximo habentur in pretio illius super *Psalmos Commentaria*, diu sub nomine Auctoris Incogniti publicata, in editione deinde Veneta anni 1600. Auctori suo jure restituta. Quibus Clemens VIII. Bullam suam addidit diei 20. Decembris 1601., qua cunctis Typographis prohibet, ne illa in posterum imprimere audeant, nisi sub proprio Michaelis Ayguani de Bononia nomine, ut in *Bull. Carm. tom. 2. pag. 313.*

*Res memoria dignæ sub Ayguani regimine.*

1380. **B**ernardo Olerio ab officio deposito, idem Urbanus VI. speciali Brevi suo hujus anni Michaelem Ayguanum Generalem Ordinis Vicarium instituit; alioque Brevi cunctis præcipit Carmelitis, ut pro legitimo eorum Superiore illum recognoscant, & habeant, eique debitam præstent obedientiam. *Bull. Carm. tom. 1.*

Die 25. Februarii hujus anni B. Avertani gloriosissimus obitus contigit. Hic natione Gallus, patria Lemovicensis, a Deo per Angelum ad Carmeli Religionem vocatus, cum habitum sollemniter indueret, visibili præsentia, ac benedictione Cælorum Reginæ fuit honoratus. Sed dum cum ejus Socio B. Romæo e Gallia Romanam se confert, ad Sacra Loca visitanda, Lucam infirmus pervenit, & ob pestilentiaz luem tunc in Italiaz finibus grassantem, sibi a Custodibus ingressu in Urbem denegato, ad Xenodochium S. Petri Majoris extra portas se recepit; ubi aliquandiu cum morbo luctatus, tandem a Christo cum Beatissima Virgine, magna Angelorum stipante caterva visitatus, felicis vitæ cursum feliciori sane fine consumpsit. Cujus Sancti Corpus variis signis, ac portentis clarum, Luncenses, qui vivum excipere recusarant, Lucæque Episcopus, statim post mortem magna cum pompa in Parochiale D. Petri Ecclesiam, deindeque in Cathedram transtulerunt.

Mortuo S. Avertano, in morbum etiam incidit fidelis ejus Socius Romæus, ab aliis Henricus, sive Henricus Romæus nuncupatus, octoque post dies ad Cælum evolavit, ut in æterna quoque gloria Avertano jungeretur comiti. Insignis & Romæus pietate, ac miraculis fuit, ideoque a Scriptoribus *Beati* nomine compellatur. Romæi corpus in eamdem Ecclesiam translatum, in eodem quoque sepulcro conditum est, ubi etiamdum sequentia leguntur Carmina:

O

Car.

*Carmeli quondam, nunc Avertanus Olympi  
Cultor, in hac moriens ossa reliquit humo Gc.  
Romæumque dedit comitem, quo jungeret urnæ  
Unus honor, quibus est ætheris una domus,  
Et quia perpetuæ regnant cum Principe vita,  
Luca sub ipsorum numina tutæ valet.*

Utriusque Vitam Cæsar Franciottus Congregationis Matris Dei conscripsit in Hist. SS. Lucæ, aliique Auctores a Lezana, atque a Daniele Specul. Carm. par. 2. relati. D. Avertani Festum officio sub duplice Ritu ab universo Ordine die 25. Februarii recolitur.

Eodem anno 1380. B. Angelus Mazzinghius noster in Florentina Urbe oritur. *Ex ejus vita.*

1381. Veronæ solito Pentecostes die Generale Capitulum celebratur, cujus adunatis Patribus Urbanus VI. Epistolam scribit, eosque hortatur, ut Generalem eligant *Virum ætate maturum, Religione conspicuum, scientia præditum, ac bone famæ, & opinionis, & alias prævidum, & circumspectum, prout Officii onus requirit*, eosdem a quocumque promisso, aut nexu liberans tam voce, quam scripto, etiam jurejurando confirmato, quod irritum, ac nullum declarat. Insuper aliis Apostolicis litteris Generali Vicario potestatem facit, Provinciarum schismaticarum suffragia aliis supplendi Vocalibus, uti accidit. Hoc in Capitulo idem Generalis Vicarius Michael Ayguanus communi omnium consensu Generalis Prior electus est; qui auctoritate sibi a Capitulo tributa Generalem Ordinis Procuratorem Nicolaum de Luca instituit, quem etiam Pontifex Capitulo commendaverat. Inter cetera autem statuta, in eodem Capitulo condita, illud & fuit, quod unusquisque Fratrum nostrorum obedientiam ac fidelitatem Romanæ Ecclesiæ, ac Summo Pontifici Urbano jurare debuisset, quod jam ab omnibus Capitularibus ibidem adstantibus actum est. *Ex Papy. Ord., & Bull. Carm. tom. I.*

Eodem anno luctuosus agricolarum, sive rusticorum hominum tumultus in Anglia Regno accidit, in eoque Cantuariensis Archiepiscopus occisus est, & clarissimus Oxoniensis Doctor Richardus Lavinghamus noster, Regis Richardi II. a confessionibus, eidemque Prælato acceptissimus. Præterea Cantabrigiæ seditiosa Plebs insano furore Collegia, ac Gymnasia evertit, atque Ecclesiam S. Mariæ, Ædesque Carmelitarum ingressa, chartas omnes, Bullas, Regias patentales litteras, scripta, ceteraque monumenta inde vi extracta igni, flammisque tradidit, ut scribit

bit Bzovius. Hinc mirum haud sane est, antiqua quædam Ordinis monumenta ad præsens non existere, cum in illa seditione fuerint deperdita. *Lexana Annal. tom. 4.*

1382. Vomebat ea tempestate Viclefus Hæreticus falsa sua dogmata, ac doctrinas, in primis contra Mendicantium Ordines, eique multi ex nostratis Scriptoribus fortissime restiterunt; præ ceteris vero inclitus doctor Petrus Stockus, seu Stokes Anglicus, qui hoc anno Regia munitus auctoritate, & Archiepiscopi Cantuariensis diplomate instructus, Oxonii publico subjecit examini, ac sollemini disputatione clarissimisque argumentis Hæretici illius confutavit errores. Quamvis Viclefus a Petro superatus convictusque, nonnulla deinde contra victorem suum scripsit, quæ tamen suppresso præ pudore vero ejus nomine, canis albi, ob album Religionis pallium, vocabulo compellavit. *Pitescus de illust. Scriptr. Angliae.*

1383. Hoc præsertim tempore nostri S. Angeli vaticinium confirmatum est; siquidem dum, commotis undique Christianorum rebus, alternis bellis, ac discordiis divisi erant Principes, & quod magis est, luctuoso in Ecclesia Schismate grassante, alii Urbani VI., ut par erat, alii Antipapæ Clementis addicti erant partibus; Turcæ interim Civitates armis eripiebant, Provincias comparabant, finesque Imperii sui super Christianos proferebant. Quod nimurum Sanctus prædixerat, qui postquam Turcici Imperii futuram extensionem a Domino audivit, tempus etiam, quo hæc omnia erant ventura, eidem Deus revelavit, inquiens: *Istud erit, quando Ecclesia erit sapissime divisa, & unusquisque alteri adversabitur, & quando duo, vel tres Summi Pontifices effici voluerint, & quando Ecclesia erit a multis Tyrannis expoliata &c.* Quæ omnia tam hoc, quam proximis annis accidisse, historias legenti luculententer patebit. *Ex Vita S. Angelii.*

1384. Suscepit hoc anno Richardus II. Angliæ Rex quatuor Mendicantium Religionum patrocinium, ac tutamen, contra quas potissimum insurrexerant Viclefus, ejusque Sectatores: „ dicentes (sunt verba Regii diplomatis) quod ipsi sunt male fundati, & facientes finistras, & malas interpretationes Privilegiorum, & Gratiarum, quæ eis concessæ, & factæ fuerunt per Beatos Apostolos Sacræ recordationis, & Reges Angliæ, moventes populum in aperto, & in secretis contra eos ad destruendas Domos dictorum Fratrum, & dilacerando aliquando habitus eorum super eos, & aliquos eorum verberando, & maletractando &c. „. Ea propter, ut ipse ait, Regiis litteris

diei 4. Novembris cunctis Regni Ministris præcipit, ac mandat, ut si hujusmodi criminosos, ac sceleratos homines repererint, eos puniant, ac secundum leges severissime coerceant. *Ex actis publ. Regni Angliae tom. 7. quæ babentur in Bull. Carmelitano tom. I. pag. 614.*

Eodem anno idem Rex Angliae Richardus, quum appetitus esset insidiis Patrui sui Ducis Lancastriæ, ipsum de repente opprimere, Regnumque occupare molientis, eas Regi detegit Religiosus Carmelita, nomine Joannes Latymer, Oxoniensis, in Theologia Baccalaureus; sed morte crudelissima ei indicium stetit, a Joanne Holland Regis Consobrino ipsi injustissime illata: qui deinde ad omnem tollendam injustæ mortis suspicionem, corpus ejus exanime crati vimineæ super impositum, velut si de proditione esset convictus, per Civitatem trahi curavit. Verum ejus innocentia miraculo comprobata est; nam crates, in qua corpus ejus erat, refloruit, ac folia produxit; quinimo, quemdam cæcum ad eandem cratem lumen amissum recepisse, dicitur. *Bzovius, Spondanus, &c cum aliis Bretius sub hoc anno, qui rei narrationem sic claudit: adeo periculosa est potentium, quantumvis sceleratorum, accusatio.*

1385. Bambergæ, quæ Civitas est superioris Germaniæ, Generalis Ordinis Synodus celebratur, in qua Generali Ayguano in munere confirmato, eidem Generalem Procuratorem, atque omnes alios in Curia Romana Officiales eligendi facultas datur. Inter cetera vero in eo Capitulo statuta, vi sanctæ Obedientiæ præcipitur, ut post prandium in Ecclesiam eant Fratres, ad gratiarum actionem explendam. *Ex Papy. Ord.*

1386. Peracto Bambergæ Capitulo, Ayguanus in Italiam reversus, Januam ad Pontificem Urbanum invisendum se contulit; ubi ea severitate justitiam ministrabat Pontifex, ut quinque Cardinales, qui contra ejus vitam conjuraverant, culeo insutos in mare projici jusserit, ut tradunt historici. Quem sane Pontificium rigorem noster etiam Generalis Ayguanus expertus est; nam in illa eadem Civitate ab Urbano munere suo fuit privatus, caussa tamen adhuc ignota, ut superius in ejus Vita dictum est. *Lezana Annal. Ord. tom. 4.*





*Ioannes de Raude*  
*XIX*  
*Mediolanensis*

*ab Urbano VI institutus Vicarius Generalis Brixiae in Comitijs 26  
Mayi 1387 electus Generalis. Praesul annis 18 mensibus 5. Decessit  
Mediolani die 21 Iunbris 1404. Aetatis sue an.*

*Arnold. V. Westerhout Sculp.*

## XIX.

## JOANNES DE RAUDE.

**J**oannes de Raude , natione Italus , Mediolani ex nobili Raudensium Comitum , vulgo del *Rbo* , familia natus est , proindeque de *Mediolano* nuncupatus . Carmelitanum Institutum in patrio amplexus Cœnobio , Lutetiam Parisiorum ad explendum studiorum curriculum missus est , ibique Sacram primum Scripturam , deindeque Theologiam docuit . Quibus omnibus omni cum laude peractis , Baccalaurei gradu in Sacra illa Universitate fuit insignitus . Interea in suam Langobardiæ Provinciam revocatus , ejusdem Provincialis Prior renunciatus est ; eaque dignitate decoratus , ut & Generalis Provinciæ Definitoris , tribus Generalibus interfuit Capitulis , nimirum Brugensi anni 1379. Veronensi anni 1381. , & Bambergensi anni 1385.

Anno D. 1386. Ayguano Generali a suo munere absoluto , Urbanus VI. P. M. totius Ordinis Generalem Vicarium Joannem creavit , & sequente anno Generalibus Comitiis Brixiae convocatis , Universi Ordinis Generalis Prior electus est , vii. Kal. Junias MCCCLXXXVII. Quo in munere in tribus Generalibus Capitulis ab eodem indictis fuit confirmatus , nempe Francofurti in Alemania anno 1393. Placentiæ in Langobardia anno 1396. , tertioque Sylvarum in Hetruria.

Cunctas boni Pastoris partes explevit Joannes . Grem gem sibi commissum verbo , & exemplo exactissime ducebat ; et si ægra semper valetudine , fractisque viribus esset , nedum Italiæ , sed & Angliæ quoque Provincias , ac Conventus visitavit , utque bono , decorique Religionis consuleret , nulli umquam pepercit labori . Hinc de illo Biscarettus in *Palmit. Vin. Carm.* ait : *In omnibus Capitulis , & suis Visitatio-*

*rationibus benigne semper se gessit, optima condendo decreta, virtutem promovendo, Collegia instituendo, & alia opportuna faciendo. Qua de re memoria illius in eternum non peribit.*

Fuit itaque Præsul hic noster de universo Carmelitico Ordine optime meritus, sed potissimum de patrio Mediolanensi Coenobio, quippe quod inter cetera e loco extra mœnia, ubi antiquitus erat, in Urbem transferri curavit, potestate sibi facta a Gregorio IX. Summo Ecclesiæ Antistite. Quin & Ecclesiæ noviter erectæ amplissimas ab eodem Pontifice obtinuit gratias per Bullam anno 1401. editam, qua Pontifex fidelibus illam in B. Virginis Annunciationis, & Visitationis Festis visitantibus, easdem indulgentias concessit, quas, Ecclesias S. Mariz Angelorum, sive Portiunculæ Affiliorum die 2. Julii, & S. Marci Venetiarum die Ascensionis visitantes, consequuntur. Et, quod magis est, Generali, aut Provinciali, sive ejusdem Conventus pro tempore Priori facultatem tribuit, sex sui Ordinis idoneos Sacerdotes in Templo illo destinandi, licentia Ordinarii minime requisita, cum potestate fideles octenis illis diebus, qui eisdem dies Festos præcedunt, ab omnibus criminibus, & culpis absolvendi (nisi forsitan alia forent, propter quæ Sedes Apostolica sit merito consulenda) Bulla extat in *Bull. Carm. tom. I.*

Tandem, postquam Ordinem decem, & octo annis, ac mensibus quinque moderatus est, senio, laboribusque confessus, in eo, quem diximus, Mediolanensi Conventu diem obiit supremum xi. Kal. Octobris A. D. MCDIV. Bonifacii IX. ultimo Pontificatus anno.

Res

*Res memoria dignæ sub Raudensis regimine.*

1387. **A**bsoluto jam superiori anno a munere suo Ayguano Generali , ejusque loco Generali Vicario Joanne de Raude ab Urbano Pontifice constituto , Brixie hoc anno Generale Capitulum celebratur , in quo idem Joannes Generalis Prior creatur , atque Ordinis Generalis Procurator Antonius de Janua pro primo anno, proque tribus sequentibus Dominicus Cremonensis declaratus est . Inter cetera vero Decreta in eo condita Capitulo , denuo præcipitur, quotidie in Matutino , ac Vespere S. Annæ Commemorationem fieri cum Antiphona : *Anna Matrona* , in Matutino; in Vespere autem : *Anna Pørens* , cum Oratione : *Deus qui B. Annam* . Insuper Siciliæ Provinciali Bartholomæo Sciacca mandatur , ut a Principibus , Prælatis , ac Siciliæ Ministris litteras ad Papam supplicatorias pro S. Alberti Canonizatione obtinere curret . *Ez Papy. Ord.*

Eodem anno Urbanus VI. S. P. Apostolicum Legatum in Hispaniam mittit eximum doctorem nostrum Joannem Disse Anglicum , cui alia etiam hujusmodi Legationes ab ejus Successore fuerunt commissæ , ut Joannes Pitseus testatur , qui de Disse loquens , ait : „ A. D. 1387. „ ab Urbano Papa VI. , & deinde ab ejus Successore Papa Bonifacio IX. „ creatus , & confirmatus est de Latere Legatus ad Regnum Angliae , „ Hispaniæ , Granatæ , Castellæ , Portugalliaæ , Legionis , Aragoniæ , Ca- „ taloniæ , Navarræ , & ad partes Vasconiaæ , atque ad alias Provincias , „ ut Crucem Christi contra Infideles , Hæreticos , & Schismaticos præ- „ dicaret . *Pitseus de Script. Angliae.* ”

1390. Florebat ea tempestate Bernardus Aureoli Carmelita , de Ambafia nuncupatus , quæ Civitas Galliæ patria ipsius erat ; *Vir sane admiranda Sanctitatis , & eruditioñis eximia* , juxta Philippum a SS. Trinitate . Fuit idem post alia multa munera , quæ in Ordine gessit , Tolosanæ Provinciæ moderator ; deinde , teste Possevino , Sacri Apostolici Palatii Lector , ac demum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus ; num tamen a vero Romano Pontifice , an ab Antipapa , nihil certius statui potest . Ceterum in dubium revocari nequit , Cardinalem fuisse ; cum id , præter Nostrates , Conradus Gesner , Castaneus de la Roche-Pojay , Antonius Aubery , Hyppolitus Maraccius , aliquique citati a *Bibl. Carm. som. I. passim* testentur .

1393. Generalia Comitia Francofurti habentur , quibus soli Provinciales , ac Definitores , qui veri Pontificis Bonifacii IX. partibus fa-

ve-

vebant, interfuerere; in eoque Capitulo tam Generalis, quam Procurator Generalis Dominicus a Cremona in muneribus suis confirmati sunt. Complura insuper laudabilia Statuta quoad studia, & Graduandos condita sunt: præterea tria B. Virginis Festa cum officiis suis in Ordine acceptantur: illud nimirum Visitationis, ab Urbano VI. in Ecclesia recenter institutum, alterum Præsentationis, ac tertium S. Mariæ ad Nives. Ex Actis hujus Capituli clare elicitur, quanta sollemnitate in Ordinis Ecclesiis, ubi Curia Romana residebat, Festum Conceptionis B. Mariæ Virginis celebraretur, cui quidem Cardinales, atque alii Ecclesiæ Prælati assistebant. Inter Acta enim hujus Capituli afferuntur expensæ pro hac Festivitate ab Ordine singulis annis erogatæ, hisce verbis: *Pro Feste Conceptionis Beatæ Mariæ pro sex annis in prandio Prælato, qui facit sermonem, & pro illo, qui celebrat Missam, & pro potu famularum duorum Cardinalium, dando quinque florenos in anno, ascendit summa in florenos triginta.*

At mos ea sollemnitate celebrandi Festum Conceptionis Deiparæ in Conventibus nostris, ubi Romana residebat Curia, antiquissimus sane est, si Joanni Bacconio nostro, & Arnoldo Bostio fidem damus; primus namque, qui tempore Joannis XXII. florebat, & anno 1346. obiit, in vi. Sententiarum distin. 2. quæst. 4. art. 1. hæc, de Conceptionis Feste loquens, habet: „ Publica, & diuturna consuetudine celebratum est hoc Festum in Curia Romana, etiam cum Venerabili Congregatione Dominorum Cardinalium; cum sollemni Missa, & Sermone singulis annis in Domo Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo: & hæc duraverunt tempore multorum Romanorum Pontificum usque ad præsens tempus,. Bostius vero libro de Patronatu Beatissimæ Virginis cap. 13. sic scribit. „ A tempore, cuius initium hominum memoriam longe præcedit, Reverendissimi Domini Cardinales, & tota fere Romana Curia, ubicumque resederit, si in eo loco sit Carmelitarum, peculiariorum Mariæ Fratrum, & Filiorum, Cœnobium, solemniter convenient: fit ad Clerum sermo Mysterii Sanctæ, & singulariter admirandæ Conceptionis Mariæ, Cœtus Carmeli Parentis, atque Patronæ commendativus, & laudativus: celebratur quoque Missa festiiore ritu, communiter per aliquem Antistitem, & ut devotio confluentum reddatur augmentationior, Sanctissimus Pater Apostolicus convenientibus dat amplas Indulgentias,. Verum nedum cultus sollemnitate Immaculatam Dei Genitricis Conceptionem venerantur Carmelitæ, sed etiam calamo, & scriptis totis

viri-

viribus illuistrarunt , atque tutati sunt semper ; ut videre est apud Lezanam tom. 4. sub ann. 1306.

1394. Quemadmodum extincto anno 1389. vero Pontifice Urbano VI. fuit loco illius Bonifacius IX. electus , ita defuncto Antipapa Clemente VII. , fuit hoc anno a Pseudo-Cardinalibus in ipsius locum Petrus de Luna subrogatus , sub nomine Benedicti XIII. , cui nostræ schismaticaæ Provinciæ adhuc faverunt .

1395. Erat ea tempestate in more positum , ut Pontifices Sanctæ Sedis Capellanos Fratres crearent , atque adeo frequenter , ut in solo tomo tertio nostri Bullarii ex Vaticano Archivo triginta octo hujusmodi Capellani referantur. Sed hi Capellani , suis abutentes privilegiis , Superioribus obedire renuebant , ab actis Regularibus immunes ducebantur , atque etiam extra Conventus morari contendeant . Hinc , ut tanto consuleret malo , quod in Anglia præsertim vigebat , Pontifex Bonifacius IX. Bullam hoc anno edidit , qua cuicunque Privilegio , aut Gratiæ in eorum Patentalibus litteris concessæ derogans , jubet , eos Capellanos cunctis actis communibus adstringi , atque eorum Superioribus morem gerere , uti ceteros Fratres omnes . Richardus II. Angliæ Rex præcipit , hanc Bullam Regali suo diplomate insertam , non modo in suo Regno servari , sed imperat præterea cunctis Officialibus , ac Regni Ministris , ne impediant , immo , quatenus opus , manum , atque auxilium pro omnimoda Bullæ executione præstent Superioribus . Ex actis publ. Regni Angliæ tom. 7. , & Bull. Carm. tom. 1. in Append.

1396. Alia Generalia Comitia in Placentiæ Conventu Longobardiaæ Provinciæ habentur , ubi idem confirmatur Generalis , & Ordinis Procurator Joannes Cichalensis eligitur . Ex Papy. Ord.

Eodem anno Bonifacius IX. vivæ vocis Oraculo per Cardinalem Radulphum Ordinis Protectorem cunctis nostris Fratribus Anglicæ Provinciæ veniam concedit , omnibus diebus ab Ecclesia haud vetitis , carnem edendi . Miratur Lezana noster , cur Pontifex in tam ampla concessione caussam minime exprimat . Sed forte ipse nondum legerat , hujusmodi dispensationes jampridem in Anglia cœpisse ; siquidem anno 1320. Joannes XXII. , postulante Eadmundo Eduardi I. Regis Angliæ Filio , Religiosis nostris , cunctisque aliorum Ordinum Fratribus carnem comedendi in Regali ejus Palatio potestatem fecit , et si duobus dumtaxat hebdomadæ diebus , atque ad biennium ; & Clemens VI. anno 1342. eamdem indulgentiam sine ulla limitatione Carmelitanis concessit , qui hospites in Joannis Grey domum , nobilis Anglici , ac de

P

Ordin-

Ordine nostro optime meritū, pervenissent, ut ex *Bull. Carm. tom. I.* & 3. colligere est.

1399. Generalis Ordinis Synodus in Sylvorum Cœnobio, Hetrusca Provinciæ, convocatur; ubi tam Generali Priore, quam Generali Procuratore confirmato, præter alias Ordinationes, Philippo de Sciacca Siciliæ Provinciali, posteaque Paestensi Episcopo committitur, ut Capituli, ac Religionis nomine Pontificem pro S. Alberti Canonizatione obsecrat; itemque præcipitur, ut die 14. Junii cuiuslibet anni Festum fiat S. Elisei sub ritu duplicitis majoris, & Officium recitetur de communi unius Confessoris, quo usque officium proprium componatur. Eodemque modo Officium quotannis fiat die 9. Martii de S. Cyrillo Sacri Montis Carmeli Doctore, & Confessore. *Ex Papy. Ord.*

Eodem anno Posnaniæ, quæ Poloniæ majoris Civitas est, insigne illud miraculum accidit trium Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti Particularum, quæ in nostro ejusdem Urbis Cœnobio maxima populi veneratione coluntur. Miraculum autem hoc pacto contigit; quod particulae illæ a perfidis quibusdam Hebræis vulneratae copiosissimum Sanguinem emiserint: ab iisdem in palude sepultaæ, in aerem se sustulerint: in Parochiale Ecclesiam processionaliter transvectæ, sequenti mane priori in loco repertaæ fuerint. Ea de caussa extractis ibidem Ecclesia, ac Cœnobio, eodem hoc anno Carmelitis donantur, ut ex Bulla Bonifacii IX. colligitur, data die 21. Octobris sequentis anni, qua Pontifícia auctoritate ejusdem Ecclesiæ, ac Conventus erectionem, sola Ordinarii licentia antea factam, approbat & confirmat. Quæ postea sacra Loca Uladislaus Poloniæ Rex non solum ampliavit, sed etiam regali munificentia anno 1414. donis, ac redditibus locupletavit, nostroque Ordini confirmavit. Miraculum, quod memoravimus, a *Bzovio*, ac *Spondano latius describiur.*

1400. Sub idem tempus duo Scotiæ famosissimi Impostores, quorum unus Eliam Prophetam e terrestri Paradiso egressum se undique jactabat, per Italiam pervagantes, impudentem Orbis destructionem ex terræmotu quamprimum eventuram prædicebant; sed suæ impudentiæ poenas citissime luerunt. *Bzovius*, *Spondanus*.

1404. Generali de Raude demortuo, mense Octobris ejusdem anni Vicarius Generalis Ordinis Matthæus de Bononia creatur, ut infra dicemus.





## XX.

## M A T T Æ U S D E B O N O N I A.

**M**atthæus, a Bononia nuncupatus, quod insignem hanc Italiae Urbem patriam habuerit, apprime doctus, & gravissimus Familiæ nostræ Pater fuit, teste Lezana. Dignus sane, ut in locum demortui Generalis Joannis de Raude sufficeretur. Antequam vero ad supremam Ordinis Præfecturam fuisset electus, plurimis muneribus, atque honoribus fuerat insignitus. In Generali enim Capitulo, Brugis celebrato, Parisiorum Lector pro quarto anno destinatus est; ubi studiorum suorum curriculo expleto, Doctoratus Lauream sibi comparavit. Generalibus Comitiis Bambergæ habitis anno 1385., Tolosanæ Provinciæ Provincialis fuit institutus, qua in dignitate in sequente Brixiensi Capitulo anni 1387. fuit confirmatus. Præterea Francfordiensi Capitulo anno 1393. celebrato, Bononiensis Provinciæ Præfектus renuntiatus est; alioque deinde Capitulo, in Sylvarum Cœnobio habito anno 1399., ejusdem Provinciæ Provincialis iterum creatur; non tamen Fratrum suffragiis, sed Apostolica auctoritate, ac peculiati Brevi Bonifacii IX. diei 1. Aprilis ejusdem anni. Hæc omnia munera tanta cum laude gessit Matthæus, ut, vita functo Raudensi Generali, mense Octobris 1404. Generalem Ordinis Vicarium ipsum constituerit Summus Pontifex Innocentius VII.; annoque sequente 1405. Generali Capitulo Bononiæ concito, unaniimi omnium Gremialium consensu Generalis Prior fuerit electus.

Ad supremam igitur totius Ordinis Præfecturam electus Matthæus noster, non totum sane Ordinem regebat, sed ilias dumtaxat Provincias, quæ, vigente adhuc Schismate, vero Ecclesiæ Capiti parebant (schismaticis interim Provinciis

Joannem Grossi suum Generalem agnoscentibus). In illarum autem regimine ad annum usque 1411. perduravit; eo enim anno Joannes XXIII. post Alexandri V. obitum Pontifex electus, exoptans ex Ordine nostro, qui tunc temporis æque ac Ecclesia, duplici adhuc regebatur Capite, monstruosum tollere Schisma, præcepit, ut Bononiæ Generalia haberentur Comitia, quibus Provinciales, ac Patres utrarumque partium interessent, ac resignato ab utroque Generali munere, novus Generalis, totiusque Ordinis eligeretur Præfectus. Et quidem cuncta ex voto successerunt; etenim Dominica secunda post Pascha, die 26. Aprilis, venerabilis ille Coetus Joannem Grossi supremum totius Ordinis Moderatorem unanimiter creavit. Matthæum vero de Bononia, una cum ejus Socio, a jurisdictione cujuscumque Superioris, Generali Priori inferioris, immunem declaravit. Qui sane privata conditione contentus, Pisis tandem naturæ concessit anno Reparatæ Salutis MCDXIV. eodem Joanne XXIII. Christi Ecclesiam gubernante.

De Matthæo, ejusque Operibus in lucem editis nostrates Auctores loquuntur, quos inter Marcus Antonius Allegrius Casanates in *Parad. Carm. Decor.* pag. 326., ubi sequens adnexuit Epitaphium:

*Debueram Prior esse, fui: me vincere, vici,  
Tollere Schisma, tuli: cedere, deposui.*

*Res memoria dignæ sub Bononiensis regimine.*

1405. **B**ononiæ hoc anno Generalibus habitis Comitiis, idem Generalis Vicarius Matthæus de Bononia Generalis Prior creator, atque Andreas de Luca Ordinis Procurator. Varia statuta, laude satis digna, eo in Capitulo edita sunt; utputa circa Regularem observantiam, studia, & graduandos; atque etiam præceptum illud renovatur de jurejurando ab unoquoque nostrorum Fratrum fidelitatis, atque obedientiæ S. Romanæ Ecclesiæ præstanto, Summoque Pontifici Inno-

cen-

centio VII. tunc Regnanti ; quod sane ab omnibus Patribus , qui Capitulo aderant , actum est . *Ex Papy. Ord.*

1408. Lucæ commorante Gregorio XII. S. P. , qui Innocentio VII. successerat , dum quarta Quadragesimæ Dominica , ut mos est , Sacerdos Carmelita ( qui probabilius Generalis Procurator Andreas de Luca erat ), in Pontificio Sacello concionem habebat , nimio hic zelo in transversum actus , adstanti Pontifici voti , ac juramenti ab ipso ante electionem praestiti , inobseruantiam exprobavit , quod scilicet Ecclesiæ unionem , a Schismate magis magisque divisæ , ac laceratae , ut promiserat , minime curaverit . Quo sane factum est , ut Cardinalis Camerarii jussu in carceres conjectus , a concionandi munere ille fuerit suspensus . Ex eoque successu ita in posterum cum Concionatoribus actum est , ut nemo coram Pontifice ad prædicandum admittatur , nisi prius sermonis ad Magistrum Sacri Palatii afferat exemplum , qui non modo illud legit , ac ponderat , sed etiam in manibus & præ oculis habet , dum idem Concionator illum recitat . *Theodoricus Niem , Bzovius , Lezana.*


1409. Pisis Generalis Ecclesiæ Synodus celebratur , ut Schisma , quo triginta ab hinc annis erat laniata , e medio tolleretur : cumque pro unione ineunda alium modum præter hunc , qui sequitur , non invenerint , utrarumque partium Cardinales ibidem congregati a Sede Pontificia cum Antipapam Benedictum , tum verum Pontificem Gregorium XII. deponunt , novumque creant Papam Petrum Philargum , Mediolanensem Archiepiscopum , Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci , Alexandrum V. nuncupatum . Huic Synodo interfuerunt , præter Cardinales , Episcopos , Archiepiscopos , & Cœnobiorum Præfectos , Theologi , atque Europæ Principum Legati biscentum octoginta duo ; quos inter etiam extitit eximius Doctor noster Thomas Waldensis Anglicus , a Britannico Rege missus Legatus , qui teste Pitseo lib. de illuſtr. Angl. Script. in iſto Concilio peroravit , disputavit , de pace , & concordia ineunda conciones babuit , & multum ad unionem Ecclesiasticam conciliandam laboravit , multum etiam effecit . Atque ea forte de cauſa hujus Concilii Acta in nostro Pisarum Conventu reposita fuere , ut ex decima tertia Sessione constat , & Bzovius quoque refert .

Exeunte hoc anno 1409. novus Pontifex Alexander V. , qui in Anglia educatus , Sacro Mariano Scapulari facile erat addictus , Bullam , quæ incipit : *Tenore cujusdam Privilegii* , sub die 7. Decembris edidit , qua Bullam *Sabatinam* nuncupatam Joannis XXII. approbat , confirmatque , immo ipsam de verbo ad verbum in sua Bulla inserit , atque ab archie-

archetypō exscriptam esse , ait , ab ipsomet viso , & accuratissime examinato . Hujus Bullæ Alexandrinæ , undecim post annos , nempe die 2. Januarii 1421. , editum est Majoricæ exemplum a publico Notario in legitima , ac valida forma , autographo illius ab Alphonso de Theramo in Angliam exportato . Sed de hac re latius actum est supra ad annum 1322.

Nec vero contra hujus Bullæ Alexandrinæ veritatem dubium movet Critici Joannis Launonii objectio , quod nempe Bulla ipsa data dicitur *Roma* , apud S. Marianum Majorem , ubi nunquam Alexander fuit . ut ipse supponit . Etenim respondent Nostrates , *Roma* vocabulum non hic materialiter pro Urbe Roma , sed pro Curia Romana accipi , juxta vulgarissimum axioma : *Ubi Papa , ibi Roma* . Vel errorem Amanuensis esse , ut plerumque accidit , qui pro Bononia ( ubi certum est , S. Mariæ Majoris Ecclesiam etiam adesse ) exscripsit *Roma* . At nihil est necesse eo uti perfugio ; etenim dici verissime potest , Alexandrum per aliquod temporis spatum Romæ commoratum esse , ut contra Lau-  
nojum luculenter ostendit præclarissimus vir Theophilus Raynaudus lib.  
*de Scapulari Partbeno-Carmelitico par. 2.* ubi diserte ait : „ Fuit Alexan-  
der Romæ , ubi etiam admisit Huffi citationem , & contra eum re-  
scripsit , ut refert Joannes Coclæus vir candidissimus , & malus fin-  
gendi artifex . Cum tamen Alexander hæsisset aliquantis per Romæ ,  
accepto Ladislai , tunc Neapolim tenentis , consilio , de instauratione  
copiarum , & regressu ad Romam denuo occupandam , festinato Ro-  
ma recessit , & Bononiæ abiit , ubi fato functus est „ . Atque in  
ejus rei testimonium aliud Alexandri refert Diploma , datum Romæ  
apud SS. XII. Apostolos Kal. Decembris , aliosque plures enumerat  
Auctores , idipsum afferentes ; quibus addit Daniel noster a V. M. in  
*Vin. Carm. num. 543.* Joannem Germonem , Auctorem Alexandri V.  
coœvum , qui eadem videtur affirmare in tractatu de Examinatione Do-  
ctrinarum 2. part. in fine tertiaz Considerationis . *Bull. Carm. rom. 1.*  
Citatæ Auctores .





XXI

*Johannes Rossi  
Solosanus*

*Electus Gnatius in Comitiu Bononiae habitis 26 Aprilis 1509. Praefuit  
annis 21. Decessit Apamie die 1430. Etatis eius annis 60.  
Amold. W. Waterhout Sculps.*

## XXI.

## JOANNES GROSSUS.

**J**oannes Grossus, sive Grossi, natione Gallus, patria Tolosanus, Conventus Appamiarum alumnus, ac Sacrae Theologiae Doctor insignis. Clementis VII. Schismate flagante, quod una cum Ecclesia Ordinem quoque scindebat Carmeliticum; quemadmodum ab Italicis, Anglicis, ac Germanicis Provinciis, quae vero Pontifici Urbano VI. favebant, Generalia habebantur Comitia, in iisque Generales Piores creabantur, ita pariter ab Hispanicis, ac Francicis Provinciis, quae Antipapæ partibus erant addictæ, agebatur. Hinc a postremis hisce Provinciis Generali Capitulo Perpiniani convocato anno 1389., quod post Schisma fuit secundum, Joannes Grossus Generalis Prior renuntiatus est, qui easdem Provincias, a suo vero Capite divisas, per duos, & viginti annos, atque ad annum usque 1411. gubernavit.

Hoc autem postremo anno, Joannis XXIII. jussu, ad Ordinem a Schismate divisum iterum conciliandum, Comitiis totius Ordinis Bononiæ coactis anno 1411. non vero 1409., ut dixerunt aliqui, in iisque utriusque partis Generali, Matthæo nempe de Bononia, ac Joanne Grosso munus suum sponte resignante, a Patribus omnibus illuc coadunatis idem Grossus Universi Ordinis Generalis Prior fuit destinatus. Eximius hic Pater tribus Generalibus Conciliis interfuit, nempe Pisano celebrato anno 1409., Romano in Basilica S. Petri habito anno 1413., ac demum Constantiensi anno 1414. Insuper pro Ordinis sibi crediti bono regimine quatuor Generalia Capitula celebravit, unum nempe in Balneolarum Cœnobio Narbonensis Provinciæ anno 1416., aliud in Montis Pessulanii Cœnobio anno 1420., Tertium in Appamensi Conventu

ventu Tolosanae Provinciae anno 1425., ac postremum in Nannetenensi Monasterio Turonensis Provinciae anno 1430. In hoc autem Capitulo senio jam confectus, & fractus laboribus, Generalatus munere se sponte abdicavit, atque inde uniuscib[us] vacaturus in suum Appamiarum Conventum secessit, ubi e vita discessit anno a Virgineo Partu MCDXXXVII.

Religionem rexit Joannes annis 41, pari semper studio, pietate, ac prudentia, nempe annis 22. Provincias dumtaxat Pseudo-Pontifici addictas, atque annis decem & novem universum Ordinem Carmelitarum. Hinc in ea quoque re corrigenda est Caroli Caporalis Chronotaxis.

Doctrinam ejus, atque opera complures laudant Scriptores, tam domestici, quam exteri, a Cosmate Villiers in sua Bibliotheca tom. I. citati; quos inter Abbas Trithemius lib. de Vir. illustr. Ord. Carm. ubi ipsum compellat: „ Doctorem „ divinarum Scripturarum insignem, & sæcularis Philosophiæ „ non ignarum, ingenio clarum, & promptum eloquio „ Scripsit nonnulla Opuscula, de quibus subiecta feruntur: „ Opusculum de Ordinis Institutione, & profectu, quod præ- „ notavit Viridarium lib. III. Sermones quoque, & variæ in „ Scripturam Quæstiones.

*Res memoria dignæ sub Grossi regimine.*

1411. **J**oannes XXIII. (quem ea tempestate magna Ecclesiæ pars, ut verum Pontificem agnoscebat, repudiatis Benedicto XIII. & Gregorio XII. in Concilio Pifano depositis), hoc anno Ordinem nostrum, inter duo scissum Capita, Matthæum nimirum de Bononia, & Joannem Grossum, nititur reconciliare: ideoque præcipit ab utrisque partibus Generale Capitulum Bononiæ celebrari, in quo, duobus illis Generalibus suo munere se abdicantibus, novus totius Ordinis Præfus crearetur; ut revera factum est secunda Dominica post Pascha, eodem Joanne Grosso Generali totius Ordinis Priore renuntiato; atque Exgenerali Matthæo exemptione a cuiusvis Generali inferioris jurisdictione con-

concessa . Procurator autem Generalis Andreas Nicolaus de Luca fuit declaratus , qui idem est ac Andreas de Luca , de quo actum est anno 1408. quique sub Alexandro V. deinde in suis muniberibus redintegratus , fuit etiam Atheniensis Archiepiscopus electus , et si postea non consecratus . Præ ceteris autem eo in Capitulo statutis , primo præscriptum alterius Capituli circa SS. Elisei , ac Cyrilli festum renovatur . Secundo statuitur , festum Beati Alberti die S. Donati celebradum esse cum Officio Confessoris non Pontificis , donec officium proprium jam compositum publicetur . Tertio tandem octavæ sollemnes in Festo Mariæ sine labe conceptæ decernuntur .

In eodem Capitulo *Reverendissimi* adpellatio , sive titulus Generali Priori primum tribuitur . *Ex Papy. Ord.*

1412. Hieronymus de Praga ( pervicacissimus , ac recidivus Hæreticus , ideoque in Generali postea Constantiensi Concilio una cum ejus Socio Joanne Hus ad flamas damnatus ) , ingressus ea tempestate nostrum Pragæ Conventum , atque Ecclesiam a Carolo IV. Imperatore extructam , diabolico raptus furore Sacras humi dejicit Reliquias , in Fratres invehitur , atque armata manu quemdam Religiosum nostrum Concionatorem , una cum duobus aliis Fratribus in carcerem ducit , quod ille inter concionandum Wiclefi errores damnaverit ; contra quem Patrem varias deinde adhibuit minas , ac cruciatus , ut ea quæ contra Wiclefum prædicaverat , revocaret : quod cum obtinere non potuisset , in flumen illum jussit projici ; ubi certe fuisset peritus , nisi quidam ejus pius amicus eumdem a naufragio opportune eripuisset . Cuncta ex Processu contra Hæreticum illum in Constantiensi Concilio constructo patent ; atque ex Jacobi Episcopi Laudensis sermone , in *eff. 21.* ejusdem Synodi die 30. Maii anni 1416. habito , ubi ante sententiaz publicationem , inter cetera ejus crima , ab eo Præsule exprobatum Hæretico in hæc verba fuit : „ Quot solemnies Clerici detrusi ? Quot violenter expulsi , & exilio relegati ? Quot spoliati ? Quot verberibus coesi ? Quot desolatz Ecclesiæ ? Quot Altaria profanata ? Quot Monasteria destructa ? Et si volebas , Hieronyme , persecui malos Clericos , cur bonos afflixisti ? Quid in Sanctorum virorum de Praga Carmelitarum innocentia , quorum Prædicatorem cepisti , & Monasterium expoliasti , culpas reperisti ? *Bzovius tom. I. Annal. sub anno 1415.* , & 1416.

1413. B. Nunnus Alvarez Lusitaniz Comestabilis ( de quo suo loco ) Ecclesia , ac Cœnobio nostri Ordinis Ulyssipone constructis , a

S. Pontifice Joanne XXIII. veniam postulat, eidem Conventui bonorum stabilium dotem assignandi (ea enim possidere vetitum tunc erat Mendicantibus) cum anno reditu coronarum auri tercentum, quæ illius Regni sunt nummus. Cui sane petitioni, *Nunni pieratis, ac meritorum intuitu, et si forsan a juris communis tramite exorbitare videtur, idem Pontifex Bulla hoc anno edita annuit, Constitutionibus Apostolicis, & Ordinis contrariis non obstantibus.* *Bull. Carm. tom. I.*

Eadem tempestate stricta coepit Observantia, ac Reformatio in Sylvarum Conventu, in Hetruria, quæ prima fuit in Ordine Carmelitarum; cujus Auctores, ac Duces Pater Jacobus Albertus, & B. Angelus Mazzinghius extiterunt. E qua postea Observantia, Congregatio Mantuana originem duxit. *Lezana.*

1414. Incipit hoc anno Constantiensis Ecumenica Synodus ad annum usque 1418. continuata; in qua, ut schismati consuleretur, quod tum maxime lacerabat Ecclesiam, deposito Joanne XXIII., iterumque Antipapa Benedicto XIII. rejecto, & Gregorio XII. Papatu se abdicante, Martinus V. Ecclesiae Pontifex renuntiatus est.

Concilio huic ex nostris interfuerere Robertus Mascallus, Episcopus Herephordiensis, Henrici V. Angliae Regis Legatus, Thomas Waldensis ejusdem Regis Nuntius, atque Orator, ac noster Reverendissimus Generalis Joannes Grossus. *Lezana.*

1416. Dum in Urbe Constantia Generale Concilium adhuc habetur, potestate ab eodem Concilio Generali Priori facta, Generale Ordinis Capitulum in Gallia celebratur, in Balneolarum Narbonensis Provinciæ Conventu, sueto Pentecostes die; ubi Joanne Grosso Generali confirmato, Bernardus Vaquerius Generalis Ordinis Procurator eligitur. *Ex Papyr. Ord.*

1419. Martinus V. Bulla, quæ incipit: *Solet annuere, cuncta Privilégia, immunitates, ac libertates a Prædecessoribus suis Ordini nostro concessas, pariterque libertates omnes, atque exemptiones a Regibus, ac Secularibus eidem Ordini attributas confirmat.* *Bull. Carm. tom. I.*

Eodem anno Hæretici Hussitæ ob Capitum fuorum necem, qui in Constantiæ Concilio ad flamas fuerant damnati, diabolico furore perciti, Pragæ Ecclesiæ, ac Monasteria hoc anno evertunt, omnesque Sacerdotes, ac Monachos sibi occurrentes occidunt. Quod sane scelus nostri præsertim experti sunt; nam Religiosis omnibus necatis, Cœnobii nostri nec mœnibus quidem parcunt. Quapropter hoc Monasterium a Fratribus nostris derelictum, multos post annos a Ridulpho Imperatore

*Or-*

Ordinis Franciscani Religiosis fuit concessum ; ubi ineunte saeculo decimo septimo res memoria satis digna accidit . In eo enim Conventus Joanne Chrysostomo , Firmaz Episcopo , atque ejusdem Ordinis Religioso commorante , ad suæ Cellulæ fores multorum voces ab ipso auditæ sunt , ajentium : *Discedite hinc , discedite , quia venient heretici , ac vos accident , ut nobiscum egerunt* . Eadem verba alii Conventus Fratres intellexerunt , qui & defunctorum Carmelitarum spectra viaisse testati sunt . Praga deinde Italiam versus profectus Chrysostomus , paucis interjectis diebus , in itinere ipso ad ipsum nuncius pervenit , cuncta , ut illi prædixerant , accidisse . Quandoquidem Praga a Matthia Archiduce Austriz , qui pro Bohemiæ Regno contendebat , obsessa , Hæretici , qui intra Civitatem erant , contra Catholicos commoti , omnium , qui sibi obversantur , stragem committunt , quos inter laudari Conventus Franciscani Fratres primas tulerunt , juxta vaticinium a Carmelitis illic trucidatis factum . Tristissimum hunc successum Præfatus Pater Chrysostomus de visu , & cum juramento depositus Madriti die 15. Decembris 1629. , ut refert P. Joseph a S. Theresia in *Floribus Carm.* & post eum P. Joannes ab Annuntiatione in *Promptuario Carm. Dialog. X.*

Eodemmet anno Joannes V. Armoricanus Dux a suis perduellibus subditis in carcerem conjectus , dum ipse in diem crudelem expectat necem , Carmeli Virginem humili obsecratione exorat , eique vovet , si tutus evaderet , se tantum auri Sacrae ipsius Ædi donaturum , quantum ponderis corpus haberet suum . Joannis votis Mater Misericordiarum annuit , eumdem mirum in modum e carcere & vinculis eripiens ; ipseque ad Nannatensem Urbem cum fartus tectus pervenisset , in B. Virginis Altari , quod in nostra extat Ecclesia , aurum promissum solvit . *Leo a S. Joanne in delineatione Provincia Turonensis.*

1420. Accidit hoc anno Carmelitæ nostri B. Stanislai Bidigostiae Posnaniensis Diœcesis , in Polonia , gloriösus ad Cælum transitus ; *qui omni genere virtutum , & miraculorum gloria conspicuus* , a Lezana dicitur . Idem in Prussiam ad prædicandum missus , cum innumeros infideles ad fidem Christi converteret , a sclesto quodam homine , suadentibus Idolorum Sacerdotibus , dum solitarius orabat , aggreditur , atque in odium Christi fidei gladio transfoditur . Sed patrati sceleris poenas subito luit homicida : siquidem illico disparuit , sive a dæmone raptus , sive a terræ hiatu absorptus , & Idolorum Sacerdotes omnino cæci facti sunt . Sancti Viri corpus a Christicolis exceptum maximo cum honore , & pietate Bidigostiaz Cives in Cœnobio sui Ordinis die 2. Maji hujus

nni sepelierunt. Ita referunt Varsevicius, Varsaviæ Canonicus, in Catalogo SS. Regni Poloniæ Patronorum, Romæ edito, adprobatoque, ac Martinus Baronius in Sancti Viri Vita, a Biscaretto nostro citati. Et noster Philippus Metius de illo in Tractatu de SS. Ordinis scribit: „Sanctus Stanislaus Polonus virtutum, ac Sanctitatis laude inter præcipua Regni Poloniæ luminaria conspicuus habetur, qui pro fide, nomine, & gloria Christi ab immanissimis, & inhumanissimis Scythis Christi inimicis crudelissime interfectus est. *Auctores citati.*

Die Pentecostes ejusdem anni alia Generalia Comitia in Conventu Montis Pessulanii habentur, ubi tum Generalis Prior, tum Procurator Ordinis confirmantur, præteriorum Capitulorum statuta renovantur, aliaque de novo publicantur: inter ea, in cunctis Ordinis Ecclesiis B. Albertum cum radiis pingendum præcipitur. *Ex Papy. Ord.*

1421. B. Nunnus Lusitanianus Comestabilis, ob tot reportatas victorias satis inclytus, Carmeliticum habitum hoc anno induit Conversi, sive Semifratri, quo cum ad annum usque 1431. sanctissime vixit ut suo loco dicemus. *Ex ejus vita.*

1425. Solito Pentecostes die in Appamiarum Conventu Tolosanæ Provinciæ Generalis Ordinis Synodus celebratur, ubi Prior, ac Generalis Procurator iterum in suis confirmantur Muneribus. *Ex Papy. Ord.*

1426. Eximus noster Thomas Valdensis Romam mittit primum, ac secundum egregii sui Operis tomum, cui titulus: *Doctrinale Antiquitatis Fidei Catholicæ*: eoque Martino V. inscribit, qui postquam illos a doctissimis viris ad trutinam jussit revocari, Thomæ respondit, opus suum valde commendans, eumque ad tertium tomum perficiendum hortatus est. *Bull. Carm. tom. I.*

1427. Oritur hoc anno magna Carmeli Herois B. Francisci de Amboise, Britannia Ducissa. *Ex ejus vita.*

1428. Regini, in Æmilia, alia illustris Carmeli Virgo Beata Joanna Scopelli Mundi lucem aspergit. *Ex ejus vita.*





XXII  
*Bartholomeus Roccalli*  
*Tolosanus*

*Electus Ginalis in Comitijo Nancetis habitis 4 Iunij 1430. Praefuit  
annis 3. Ab Eugenio IV 1433. creatus Episcopus Massiliensis.  
Decessit ibidem die 18 Iunij 1445. Etatis sue an.*

*Arnold. V. Waterhout Sculps.*

## XXII.

## BARTHOLOMÆUS ROCCOLI.

**G**rosso successit Bartholomæus Rocco, sive Roqualius; ut ab aliis nuncupatur, natione Gallus, patria Tolosanus, ex inclita Rocacolii Comitum familia ortus, atque Instituto Carmelita: eximius quidem Sacrae Theologiæ Magister ac Doctor, atque in omnium scientiarum genere, cum humanarum, tum divinarum, versatissimus. Hinc pluribus dignitatibus, atque honoribus fuit in suo Ordine decoratus, quos inter Tolosanæ suæ Provinciæ Præfecturam geslit; deindeque Joanne Grosso Generalatus munere in Generali Capitulo A. 1430. se sponte abdicante, eidem unanimi omnium consensu plausuque fuit ipse Bartholomæus substitutus. At supremæ hujus Præfecturæ vix tertio expleto anno, ad Massiliensis Ecclesiæ Insulas ab Eugenio IV. electus est iv. Nonas Septembris 1433., ut ex hujus Pontificis Consistorialibus actis patet, ubi legitur: „F. Bartholomæus de Tolosa Generalis Ordinis Carmelitarum electus est Episcopus Massiliensis sub Metropoli Arelatensi 4. Nonas Septembris 1433.” Illius tamen Ecclesiæ possessionem haud feliciter cepit: etenim cum decrevisset Basileense Concilium (ab Eugenii obedientia tunc temporis separatum) Ecclesiarum, aliarumque dignitatum electivarum provisiones non jam a Romano Pontifice, sed ex. Juris communis præscripto fieri; accidit, ut Synodus ipsa Ludovicum de Glandeves Massiliæ Episcopum declaraverit. Atque en magna orta contentio Bartholomæum inter, ac Ludovicum de Ecclesiæ illius possessione; etenim Ludovi ci partes Baro de Faucon ejus Pater, Synodus Basileensis, ac Joanna II. Neapolis Regina, & Provinciæ Comitissa, suscepserunt; Bartholomæi vero, Diœcesis Clerus, Pontificius

Le-

Legatus , qui etiam interdicto contumacia Loca coegit , atque ipsemet Pontifex Eugenius , qui præter monitoriam Epistolam Ministris , atque illius Dominii Rectoribus missam , Renato etiam Andegavensi , qui Joannæ in Neapolis Regno , atque in Provinciæ Comitatu successerat , scripsit , hortans omnes , ut Bartholomæum verum Massiliæ Episcopum contra Ludovicum , qui Episcopus Vencensis erat , protegerent , ac tuerentur . Denique , commota Massiliæ plebe , atque ad seditionem usque versa pro Bartholomæi partibus tuendis , fuit hic , qui Avenionem jam secesserat , ad suam revocatus Ecclesiam , atque Urbem ingressus non solum a Clero , sed etiam ab universo Populo magna cum lætitia , plausuque fuit exceptus , atque in sui Episcopatus possessionem immis-sus . Quem sane magna cum pietate , ac prudentia duodecim rexit annis , quibus laudabiliter expletis , xv. Kal. Augusti anno MCCCCXLV. vitam cum morte commutavit , Eugenio IV. Summo Pontifice , fuitque in Cathedrali Ecclesia tumulatus , ejusque sepulcro Allegrius noster Casanates hoc apposuit Epi-taphium :

D.            O.            M.

Ante oculos saxum Doctorem deprimit ingens ,  
 Cujus ad interitum sacra Minerva gemit .  
 Siste gradum , Lector : fulvo dabis oscula faxo ,  
 Roccolii Corpus hæc tenet urna Patris  
 Massilia heu ! plora , mæstisque incede lacertis ,  
 Hic perit in toto quod volat Orbe decus .

Res

*Res memoria dignæ sub Roqualii regimine.*

1430. IN Nannetensi Conventu Turonensis Provinciae Generalia Comitia habita sunt hoc anno ; ubi Joannes Grossus cum se a munere abdicasset , Bartholomæus Roccoli Generalis Prior elegitur , atque Ordinis Procurator Natalis de Venetia declaratus est. *Ex Papy. Ord.* Eodem anno Rothomagi , in Gallia , diem obiit supremum Ven. Thomas , ab ejus Patria , Waldensis appellatus , natione Anglicus , qui a Possevino : *sui temporis bæresum expugnator , ac deinceps exortarum eversor ,* dicitur , & a Pitæzo : *omni genere divinarum , humanarumque disciplinarum insigniter instructus græcæ etiam , ac hebraicæ linguae valde peritus .* Henrici V. Angliæ Regis a Confessionibus , atque ab intimis Consiliis fuit , ejusdem Principis in Pisano , ac Constantiensi Conciliis Legatus , atque Orator , apudque Uladislaum Poloniæ Regem Nuntius . A Volaterrano , Gerebrando , Ægidio Fabro , Juliano Hafart , ac Bzovio inter Beatos recensetur ; atque a Possevino , & ab Einsegrinæo *Sanctus* compellatur. *Lezana ad bunc ann.*

1431. Basilieæ Generale Concilium inchoatur , a Martino V. indictum , atque ab Eugenio IV. ibidem confirmatum , sed justis postea de caussis Ferrariam revocatum , ac Bafileensibus Patribus minime obtemperantibus , illegitimum factum est , & tandem Schismaticum .

Huic Synodo , quæ annos circiter decem , & octo perduravit , ex Nostratibus variis temporibus interfuere Simon de Rezir , Alemaniæ superioris Provincialis , Natalis de Venetia , Generalis Procurator , Thomas Avis , Franciæ Provincialis , Joannes Barach , Petrus de Nova Ecclesia , Germaniæ inferioris Provincialis , Hieronymus de Castellano , Longobardiæ Provincialis , Joannes Favuer Germanicus , Joannes Longton Anglus , & denique Joannes Faci Ordinis Generalis . *Lezana .*

Eodem anno , vel potius sequente , ut alii malunt , Beatus Nun-nus , sive Nonius , qui ex Comestabili Lusitaniz , magnoque Principe , humilis Laicus , seu Semifrater nostri Carmelitici Ordinis factus est , post novem sanctissimæ vitæ annos , die XII. Maji ad Dominum migravit . Cujus funera a Joanne I. Lusitaniz Rege maxima pompa , & cum Procerum , omniumque Ordinum interventu , in nostra Ulyssiponensi Ecclesia celebrata sunt ; ibique fuit sepultus , sequenti adposita Inscriptione :

*Ille Comes-Stabilis Braganti nominis Author  
Nunnus adest , Dux maximus hic , Monachusque beatus :*

*Qui*

*Qui Regnum ascevit vivens, sortitus in ævum  
Cælum cum Superis: nam post numerofa tropæa  
Contempserit pompas, humiliisque ex Principe factus,  
Hoc templum posuit, coluit, censemque dicavit.*

A Scriptoribus, Populoque Lusitano Nonius Beati vulgo nomine nuncupatur, ut videre est apud Lezanam, & Danielem a V. M. *Specul. Carm. tom. 2. par. 1.* Præterea anno 1674. Lusitani Antistites in Comitiis illius Regni congregati ad Clementem X. supplicem libellum misserunt, quo Nonii virtutes, miracula, & cultum testantes, illum deprecantur, ut litteras remissoriales dignetur concedere, ut virtutes, miracula, ceteraque bujus clarissimi Viri opera examini tradantur, ut Sanctorum numero adscribi valeat. Sed quid postea factum sit, nescimus. Idem *Daniel tom. 2. part. 2. num. 380.*

1432. Eugenius IV. die 15. Februarii hujus anni, non autem 1431., ut quidam scripserunt, Bulla, quæ incipit: *Romani Pontificis Providentia*, Carmelitanam Regulam in tribus mitigat capitibus, nempe a carnis abstinentia, jejunio, & Clausura, hac ratione motus, ut ipse ait; „quod nonnulli ipsius Ordinis Professores propter arctitudinem, atque rigorositatem Regulæ, tam ex fragilitate humana, quam ex debilitate corporea nequeentes eamdem Regulam observare, dispensandum suæ salutis incurront. Quamplures etiam asperitatem hujusmodi pertimescentes, ab ingressu ejusdem Ordinis retrahuntur“. Quare mature perpensa, Apostolica auctoritate indulget Pontifex, tribus hebdomadæ diebus Carmelitas carnis vesci posse, præterquam in Adventu, & Quadragesima, aliisque diebus ab Ecclesia vetitis; item quotidianum jejinium ab Exaltatione S. Crucis usque ad Pascha ad tres dumtaxat in qualibet hebdomada dies redigit; concedit tandem in horis convenientibus circa Clasuræ ambitum libere posse deambulare. Et ne hujusmodi mitigatio, atque indulgentia Ordinis relaxatio alicui videatur, plenariam Indulgentiam in extremo mortis articulo cuivis concedit, qui Regulam ita mitigatam exaltissime servaverit.

Pro qua sane Indulgentia dumtaxat consequenda (nec vero pro gratia mitigationis Regulæ fruenda), ut existimat Lezana, necessarium est jejinium singulis sextis Feriis integri anni, ab Eugenio in fine ipsius Bullæ præscriptum. Eo magis, quod in ejusdem Bullæ confirmatione, a Sixto IV. facta, nec verbum quidem de annuo jejunio fit; & insuper eadem Indulgentia absolute postea a Paulo V. Carmelitis fuit concessa. *Bull. Carm. tom. 1.*

1433. Hoc anno idem Eugenius IV. Generalem Roqualium ad Massiliensem Episcopatum promovet diplomate suo diei 2. Septembris, ut in Aëtis Consistorialibus hujus Pontificis legitur : *F. Bartholomaeus de Tolosa, Generalis Ordinis Carmelitarum, electus est Episcopus Massiliensis sub Metropoli Arelatensi 4. Nonas Septembris 1433.* Bartholomæo ad Episcopatum evecto, statim idem Pontifex die 5. ejusdem Mensis Natalem de Venetia, tunc temporis Ordinis Procuratorem, Generalem Vicarium ad novum usque Generale Capitulum constituit, alio Diplomate e Vaticani Regesto per Monsignanum nostrum in *Bull. Carm. tom. 1. pag. 186.* relato, in quo Pontifex ante Natalis institutionem præmittit : „Cum officium Generalis Prioris dicti Ordinis, ex eo, „quod Nos pridem dilectum Filium Bartholomæum, tunc ipsius Ordini-„nis Generalem Priorem, ad Ecclesiam Massiliensem, tunc vacantem, „duximus promovendum, vacaverit, & vacet ad præsens. Nos &c. „. Sequitur hic Natalis destinatio ad Generalis Vicarii munus. *Bull. Carm. tom. 1.*

Ex quibus sane manifesto patet, Bartholomæum Roqualium ad diem usque 2. Septembris ejusdem anni 1433. Ordinem gubernasse. Quæ omnia si perlegisset accuratissimus Annalium nostrorum Scriptor Lezana, certe Generalis hujus officium ad breve dumtaxat unius anni spatium minime reduxisset, ratus sub aliorum fide, ad Massiliæ Episcopatum anno 1431. evectum esse, multoque minus ab eodem hoc anno Joannis Facii regimen fecisset incipere. Scimus ceteroquin ipsum (nec sane immerito) opinionem suam in Bulla stabilivisse Mitigationis nostræ Regulæ, ab Eugenio IV. die 15. Februarii 1432. emanata, ad preces, ut ipse ait, eidem oblatas: *Ex parte dilectorum Filiorum Joannis Facii Magistri Generalis, Provincialium, & Claustralium Priorum, & univerorum Fratrum Virginis Mariae de Monte Carmeli.* Sed huic objicere possumus aliam Eugenii Bullam, die 18. ejusdem mensis, & anni editam, qua ipse Conventionem quamdam inter Tolosæ Universitatis Mendicantes initam confirmans, ait, non jam Joannis Facii Generalis postulatibus id facere, *Sed dilectorum Filiorum Bartholomæi Magistri Generalis, & Fratrum Conventus Tolosani Ordinis B. Mariae de Monte Carmeli;* ut in eodem *Bull. Carm.* Quod si igitur die 18. Februarii anni 1432. Roqualius Generalis erat, non poterat sane die 15. ejusdem mensis, & anni Facius esse Generalis, & mitigationem Regulæ ab Eugenio postulare.

Sed ut Lezanæ rationi respondeam, qui Bullam mitigationis Re-

R

gulæ

gulæ legisse. ait in ipso Vaticano Regesto cum verbis illis : *ex parte Joannis Faci Magistri Generalis*, dicam, errorem hunc esse in Regesto, ortum fortasse vel ex supplicatione Pontifici porrecta, vel Amantensis culpa, qui Bullam in Regesto descripsit, quique pro *Bartholomæi*, scripsit *Joannis Faci*, sive, ut probabilius est, loco *Procuratoris*, vel *Commissarii Generalis*, *Magistri Generalis* scripsit. Et quidem Lucius Belga in *Compend. Histor.* & Didacus Coria in *Cron. Carm.* autumant, Bartholomæum Generalem per Joannem Faci Generalem Procuratorem Bullam illam obtinuisse. Sed quoniam tunc temporis Generalis Ordinis Procurator Natalis de Venetia certissime erat; ideo existimamus, Facium specialem Procuratorem tunc fuisse, sive pro mitigationis negotio Commissarium, aut Agentem Ordinis Generalem, a præcedenti Capitulo destinatum, ubi credendum cum Lezana est, illud discussum, ac serio fuisse perpensum, utpote maxime momentosum, atque ad univer-  
fam Religionem pertinens, et si in Actis Capitularibus de eo nulla fiat mentio.





XXIII  
*Natalis — Bencesius*  
*Venetus*

*ab Eugenio IV. s. Imbris 1433 institutus Vicarius Græcis. Praefuit men-  
sibus 5. Ab eodem. 1436 creatus Episcopus Novensis. Decessit  
1461. Aetatis sue an.*

*Bnold Van Westerhout sculps.*

## XXIII.

## NATALIS BENCESIUS.

**N**atalis Bencesius, alias de Venetiis compellatus, quod egregiam hanc Urbem patriam habuerit, Sacrae Theologiae, quam ipse diu Romae docuit, Magister ac Doctor præstantissimus fuit. Generalibus Comitiis, in Nannetensi Conventu habitis anno 1430., Generalis Ordinis Procurator electus est, eoque charactere insignitus cum aliis sui Ordinis Patribus Basileensi interfuit Concilio. Ab Eugenio IV. Brevi die 18. Martii 1432. pro Carmelitis confirmationem Constitutionis Martini V. *Viam Ambitiosæ*, obtinuit, qua interdicitur, & nullus declaratur Mendicantium Fratrum ad quemvis Monachorum Ordinem transitus, sub quovis prætextu, indultu, ac licentia; in eoque Brevi mandat Eugenius Coloniensi, Toletano, ac Parisiorum Archiepiscopo, & Patavino etiam Episcopo, ut, Natale Generali Procuratore efflagitante, hujusmodi Fratres, ad alios Ordines jam translatos contra Constitutionem illam, ad suum Ordinem revocent, etiam per Censuras eosdem compellendo.

Deinde anno D. 1433. ad Massiliensem Episcopatum Roqualeo Generali sublato, idem Pontifex Eugenius IV. Apostolico Brevi diei 5. Septembris ejusdem anni Natalem totius Ordinis Generalem Vicarium instituit, *cum potestate, arbitrio, & autoritate Generalis Prioris Ordinis pro tempore existentis, motu proprio, non ad ejus, aut alterius super hoc oblate petitionis instantiam, ex certa Scientia &c. subditque insuper ad illam Institutionem devenisse, motum unice, & confisum de ejus personæ industria, in rebus bene gerendis experientia, nec non fidei probitate, sinceritate devotionis, Religionis zelo, Scientie claritate, & vitae munditia, reliquisque virtutum dotibus,*

*bus, quibus personam ipsam Dominus insignivit.*

Et quidem in ea Natalis tam honorifica promotione minime deceptus est Pontifex: siquidem, quamdiu ipse Generalis Vicarii munus exercuit, Ordinem sibi creditum summa prudentia, zelo, & caritate rexit; & Generalia Comitia die 16. Maii 1434. Ravenspurgi in superiori Germania convocavit, ubi sub ejus auspiciis Joannes Facius Generalis Prior renuntiatus est, atque iterum ipse Generalis Ordinis Procurator, Provinciæque Romanæ Provincialis fuit creatus?

Cum vero de Natali, ejusque meritis magnam Eugenius Pontifex existimationem haberet, haud sane diu fuit, quominus ad celsiores dignitates illum eveheret; die namque 1. Januarii 1436. ad Nonensem, sive Novensem, in Dalmatia, Episcopatum eumdem promovit. Quam sane Ecclesiam annis viginti sex moderatus, VII. Idus Januarii ann. Reparatæ Salutis MCCCCCLXII. Venetiis naturæ debitum persolvit, fuitque in nostra Ecclesia tumulatus.

De eo honestissimam mentionem facit Daniel a Virginie Maria Spec. Carm. tom. 2. num. 3322. & novissime Cosmas Villiers Bibl. Carm. tom. 2. pag. 958. ubi ipsum compellat: *Spectatae virtutis, & eruditio[n]is recondite fama celebrem.*

A nostratis Scriptoribus in Generalium Ordinis Chronologia vulgo omittitur Natalis Bencesius, forte ob temporis brevitatem, quo Religionem rexit, & Generalis Vicarii nomine dumtaxat nuncupatur. Nobis autem Natalem sub silentio præterire nequaquam visum est, quandoquidem hic octo mensium spatio, et si Vicarii nomine, totum Ordinem gubernavit, cum plenaria potestate, arbitrio, & autoritate Generalis Prioris Ordinis pro tempore existentis a S. Sede ei collata, ut in ejus Institutionis Bulla dicitur. Præterea in hoc nostro Volumine nedum de Generalibus Prioribus agere statuimus, sed & de cunctis Generalibus Vicariis, qui absoluta cum potestate universum rexerunt Ordinem, ne alias mutila, & interrupta nostra videatur Chronotaxis.





XXIII  
*Ioannes Tacius*  
*Auenionensis*

*Rauenspurgi in Comitijs 6. Maij 1434 electus Gnalis Praefuit annis 16.  
a Nicolao V. 1450 creatus Episcopus Regiensis. Decassit ibidem die  
22 Xmbrii 1464. Etatis sua an.*

## XXIV.

## JOANNES FACI.

**J**oannes Facius natione Gallus, atque Avenionensis Cœnobii alumnus, ubi non modo Theologiæ Regentis, sed etiam Prioris gessit munus. In Nannetenſi Generali Capitulo anni 1430. Provinciæ Provincialis Prior creatus est, atque in Generalibus deinde Comitiis Ravenspurgi habitis anno 1434. unanimis omnium suffragiis xvii. Kal. Junias totius Ordinis Generalis Prior fuit declaratus.

Suprema hæc dignitate cum fuerit insignitus, pro Ordine sibi commisso conservando, augendo, atque illustrando totus fuit Joannes. Provincias, & Conventus visitavit, sed præsertim anno 1436. Monasteria omnia Flandriæ, atque Hollandiæ percurrit, & anno 1442. universam Angliæ Provinciam visit, Henrici VI. Regis licentia, ac patrocinio munitus, qui eidem peculiares litteras hoc anno dedit in nostro Bullario *tom. I. pag. 619.* relatas. Tria quoque Generalia Capitula concivit; primum in Astensi Conventu Provinciæ tunc Longobardiæ anno 1440., alterum in Cabilonensi Cœnobio, Narbonenſi Provinciæ anno 1444., ac postremum Romæ anno 1447., in Apostolico S. Mariæ Majoris Palatio, speciali Pontificis concessione celebratum.

Basileensi Concilio, una cum Generali Procuratore Natali de Venetiis, aliisque Religionis Theologis interfuit, ubi celebrem illam conventionem, & concordiam inter ipsum, atque alios Ordinum Mendicantium Generales iniit, ac subscripsit. E Basilea ad Ferrariam translato ab Eugenio IV. Concilio, a Pontifice ad hanc Urbem vocatur etiam Joannes, specialibus Apostolicis litteris anno 1437. ad ipsum datis, quibus, hujusmodi translationis allatis cauſis, eidem  
præ-

præcipit, ut alios etiam duodecim Magistros, suique Ordinis Theologos secum ducens ad eandem Synodus se conferat. Eaque tempestate haud parum Joannes ipse pro Ecclesiæ pace, proque illius Capiti obedientia concilianda laboravit.

Hinc non solum ob summam ejus pietatem, ac doctrinam, quibus erat præditus, sed & potissimum ob merita, quæ sibi apud S. Sedem comparaverat, S. P. Nicolaus V. die 16. Martii 1450. ad Regini Episcopalem Ecclesiam in Gallia sub Aquensi Archiepiscopatu, evexit Facium. De qua fane Ecclesia optime fuit meritus; nam inter alia in eamdem collata beneficia, quædam illi applicuit bona, quæ ipse ante adeptum Episcopatum possidebat, speciali Callisti III. dispensatione per Breve diei 15. Maii 1456.

Tandem Carmeliticum Ordinem pari semper studio, ac prudentia sexdecim annis, & Reginensem Ecclesiam annis quatuordecim moderatus, e vita discessit xi. Kal. Januarii A. D. MCCCCLXIV., Paulo II. Summo Ecclesiæ Pastore, fuitque in Cathedrali Ecclesia sepultus.

Joannis Facii latum contexuit Elogium Simon Bartellius Presbyter, ac Theologus Reginensis, in *Cronol. Episcop. Reginensium*, ubi illum in primis ob egregia pietatis, ac doctrinæ merita commendatissimum appellat. *Vid. Lez. Ann. tom. 4. pag. 905.*

*Res*

*Res memoria dignæ sub Facii regimine.*

1434. **S**Ueto Pentecostes die in Ravenspurgensi Conventu Provinciæ Alemaniæ superioris, sub Generalis Vicarii Natalis de Venetiis auspiciis, Generalia Comitia habentur, ubi omnium plausu Joannes Faci Generalis Prior creatur, iterumque idem Natalis Generalis Procurator nominatus est. *Ex Papy. Ord.*

1435. Hoc anno quatuor Ordinum Mendicantium Generales, qui Basileæ Generali Concilio interfuerant, nempe Dominicanus, Franciscanus, Augustinianus, & Carmelitanus, qui tunc Joannes Facius erat: „Animadvertisentes (ut in Conventionis Instrumento legitur) ex concordia, pace, & charitate inter Regulares, Dei gloriam, & Christianæ plebis ædificationem procedere, ex eorum autem dissidiis nonnisi scandala, Religionum dispendia, & contemptum emanare; idcirco habitum multorum Provincialium, & aliorum Sacrae Theologiæ Magistrorum (qui etiam ex diversis ipsorum Ordinum Provinciis ratione Concilii illuc convenerant) sano, & maturo consilio, concordia mutua, & pacis sempiternæ foedus inierunt, & illum in finem utiles Sanctiones, seu Ordinationes communi autoritate, & consensu condiderunt. Hujuscce Conventionis leges, ac pacta inserta reperies in citato instrumento, ab eisdem Generalibus die 2. Aprilis Basileæ subscripto, atque a Lezana ad hunc annum ex integro relato, ut & in *Bull. Carm. tom. 3.*

1437. Eugenius IV. litteris ejus Apostolicis diei 23. Novembris Generali nostro Facio sub S. Obedientiæ præcepto demandat, ut statim ad Generale Concilium se conferat, Ferrariam translatum, atque indicatum pro caussis in Convocatoriis expressis, quarum exemplaria eidem adnexuit; præcepitque etiam, ut duodecim sui Ordinis Magistros secum ducat, quod & aliis Epistolis mandasse dicit. *Bull. Carm. tom. 2. pag. 2.*

Synodus tamen sequente anno ob pestem Ferraria Florentiam translata est; ibique etiam Nostrates interfuerunt, quos inter Gualterus Hunt, Angli Regni Orator, de quo scripsit Pitseus: „Tanta erat (nec immrito) apud omnes de ejus Sanctitate, & eruditione singulari opinio, ut in flore ætatis constitutus, communi totius Regni decreto, & nomine Ferrariam primum, deinde Florentiam ad Synodum Generalem . . . . Orator destinatur. In qua quatuordecim Mensium spatio congressis fere quotidianis contra Græcorum errores . . . . „stre.

„ strenue , nervoseque disputavit cum magno præsentium plausu &c.  
*Lib. de Illustr. Script. Angliae.*

1438. Die 18. Augusti hujus anni obdormivit in Domino B. Angelus Augustinus Mazzinghius , patria Florentinus , ac nostri Ordinis Professor , vitæ sanctimonia , ac miraculis clarissimus . Cujus Corpus in nostra Florentina Ecclesia magna veneratione colitur ; atque ejus immemorabilis cultus hisce nostris temporibus a S. P. Clemente XIII. sollempni decreto fuit approbatus , & confirmatus . *Ea ejus vita , O. Bull. Carm. tom. 4.*

1439. Die 17. Octobris hujus anni insigne accidit miraculum SS. Crucifixi Imaginis , quæ in Regali Ecclesia Conventus Carmeli Majoris Neapolis colitur ; ita venerabilis , teste Lezana , ut *vix alia in toto Christiano Orbe venerabilior cernatur* . Quæ sane Imago , ut pilæ ictum effugeret , quæ ab Exercitu Alphonsi Aragonensis jacta , Petri sui Fratris jussu , ad ipsam recta erat perventura , Caput prodigiosissime inclinavit : „ Cum Petrus ( ita successum describit Henricus Spondanus ) contra „ Turrim Ecclesiæ Carmelitarum , quæ a militibus custodiebatur , tor- „ mentum omnium maximum explodi jussisset , pila immensi ponderis , „ muro perforato , casu ad Imaginem ligneam , quæ in transversali „ trabe medio Templi pendebat , recta pervenerit , ejusque caput com- „ minuisset , nisi ex ingenti prodigio illud inclinasset , ne percuteretur , „ corona tamen spinea sublata , & capillis verticis refecatis „ . Idem mirabilis successus non modo ab Historicis Neapolitanis memoria prodi- tis est , sed etiam a Bzovio , Briet in *Hist. Eccles.* aliisque compluri- mis , a nobis relatis in ejusdem Sacratissimi Simulacri Historia , quam anno 1769. quibusdam cum notis in lucem edidimus , cuique Lectorem omnino remittimus .

1440. Cum Florentina Civitas ob Ducis Mediolanensis exercitum , in ipsam , atque in Eugenium IV. ibidem commorantem missum , valde effet perterrita , Sanctissimi Episcopi Andreæ Corsini sepulcrum adiit , illius intercessionem , ac patrocinium impetratura . Inter ceteros adolescens quidam erat , majori fervore Sanctum deprecatus ; cui Andreas ibidem apparuit , aitque : „ Adolescens , propera ad viros , Præfectos „ belli , meaque hæc verba referas : Deus , qui Israel de medio Pha- „ raonis eripuit , ipse confringet adversarios vestros : ne timeatis cum „ hoste congregari ; nam Deus dissipabit vires illorum ; itaque audacter „ quinta die a proximo Festo S. Joannis Baptistæ , quod intra dies octo „ celebrabitur , cum hoste congregdimini , quia de illis victoriam repor-

„ ta-

„ tabitis „. Paruit Adolescens , & cuncta ex voto successerunt , ut Sanctus promiserat ; nam Florentinus Exercitus , etsi viribus inferior , hostem omnino fudit , fugavitque . Victoria Sancto tributa est , atque jam inde ab eo tempore publicus illius cultus incœpit . *Ex ejus vita , atque ex actis ejus Canonizationis sub Paulo V.*

Eodem anno in Astensi Conventu , Longobardiae tunc Provincie , Generale Capitulum celebratur , ibique confirmato Generali Priore , Johannes Signini Generalis Procurator eligitur . *Ex Papyr. Ord.*

1442. Strictior Observantia in Sylvarum Conventu , duce nostro B. Angelo Mazzinghio , jam ab anno 1413. incœpta , ab Eugenio IV. Bulla hujus anni , quæ incipit : *Fama laudabilis* , in Congregationem erigitur , a Provincialium jurisdictione separatam , & soli Generali Priori subjectam , ut & Generali Vicario ab eadem eligendo , qui eam immediate regeret . Tribus tum Conventibus dumtaxat erat composita , nempe Sylvarum , Gerundæ , & Mantuae ; a quo postremo Cœnobio , uti præcipuo , ac magis conspicuo , Mantuanæ Congregationis accepit nomen . Primus Generalis Vicarius , ab eadem sequente anno electus , Stephanus Tolosanus fuit ; antea enim Superiores illius *Præsidentes* vocabantur ; ideoque noster Lezana ab hoc anno Mantuanam nostram Congregationem originem suam ducere arbitratur ; quæ deinde tot insignes protulit viros cum pietate , tum doctrina , ut videre est apud Carolum Vaghium in suis Commentariis , editis anno 1725. , ubi catalogum cum Præsidentium , tum Generalium Congregationis Vicariorum , qui ad sua usque tempora floruerunt , contexuit . *Bull. Carm. tom. I. , & Auctores citati.*

1444. In Cabilonensi Cœnobio , Provincie Narbonensis , Generale Capitulum celebratur ; in eoque , præter alia , revocantur omnia ac singula statuta , in præcedentibus Capitulis cum Generalibus , tum Provincialibus edita , quæ nimur aut erant adversa , aut in Ordinis Constitutionibus a S. Sede confirmatis haud continebantur , præter illa , quæ ad divinum pertinent cultum . *Ex Papy. Ord.*

1447. Eodem anno , quo , mortuo Eugenio IV. , Cardinales Romanæ congregati successorem in D. Petri Sede Nicolaum V. crearunt , nostri Ordinis Fratres in Palatio Apostolico S. Mariæ Majoris eadem in Urbe Generale Capitulum celebrant ; ubi Facio Generali Priore iterum confirmato , Generalem Procuratorem Jacobum Pellegatum instituunt , Bononiensis Provincie Provinciale , *Omní Scientiarum genere ornatissimum , eximiae eruditionis , atque eloquentiae in sermonibus ad populum habentes.*

*babendis, a Biscareto adpellatum. Ex Papyr. Ord.*

1450. Hoc anno Religiosus quidam nostri Carmeli Majoris Neapolis, cuius nomen latet, opinione sanctitatis, & litteris clarus, atque spiritu propheticō donatus, ut rei deinde monstravit eventus, Alfonso, Neapolis Regi, magni Ferdinandi in Hispania ortum prænunciavit.  
 „ Neapoli ( sic narrat Lucius Marinæus lib. 19. de reb. Hispan. ) die  
 „ quo natus est puer ( Ferdinandus ) Vir quidam Religiosus Ordinis  
 „ Carmelitarum, homo litteris, & moribus insignis, ad Alphonsum  
 „ Regem in Castellum Novum veniens; hodie ( inquit ), Rex, in Hispa-  
 „ nia Citeriori puer tui generis natus est, qui maximus olim inter Chri-  
 „ stianos Principes nominabitur; quippe qui res magnas multas, & San-  
 „ ctas domi, forisque geret . . . Cujus verbis, & Vaticinio Rex,  
 „ quoniam vir Sanctus a multis, qui mores ejus, & vitam noverant,  
 „ habebatur, & multa, quæ antea prædixerat, verissima reperiebat,  
 „ magnam fidem adhibuit, quam non multo post, cum de Joannæ  
 „ Reginæ partu nuncium accepisset, affectus lætitia confirmavit,. Ea-  
 dem fere scribit Mariana de Reb. Hispan. lib. 25. *aliique plures.*

Ejusdem anni XVII. Kal. Aprilis, Generali Priore Joanne Facio ad Insulas Rheyensis Ecclesiæ assumpto, Joannes Soreth Generalis Ordinis Vicarius a Nicolao V. instituitur. *Bull. Carm. tom. I.*





XXV  
*B. Joannes Soreth*  
*Normannus*

*a Nicolao I. institutus Vicarius Ginalis. Auenione in Comitijs  
p. a Novembris 1451 electus Ginalis. Praefuit annis 20. Quieuit in  
Domino Andegauia die 25 July 1471. Etatis sue an. 51.*

*Arnold V. Westerhout Scul.*

## XXV.

## B. JOANNES SORETH.

Joannes Sorethius, natione Normannus, patria Cadomensis, ubi anno Domini 1394. natus est, in patro Cœnobio Carmelitico Ordini nomen dedit. Hinc Parisios studiorum caufsa missus, adeo litteris profecit, ut Doctoris Lauream in inclyto illo Lyceo anno 1441. magna cum laude fuerit consecutus. Ad suam Franciæ Provinciam deinde reversus, ejusdem Provincialis semel atque iterum electus est; quo munere cum secundo fungeretur, & ob Facii ad Episcopatum assumptionem supremae Ordinis Præfectura vacaret, Generalis Ordinis Vicarius a Pontifice Nicolao V. ad futurum usque Generale Capitulum institutus est; eoque postea Avenione convocato die 1. Novembris anno 1451. totius Ordinis Generalis Prior omnium cum plausu fuit renuntiatus.

Quæ fuerint vigilantissimi hujus Præfulis doctrina, pietas, ac zelus, sat erit profecto eximii Abbatis Trithemii testimonium proferre, coævi Auctoris, qui *lib. de Script. Ecclesiast.* hæc de illo scripta reliquit: „ Joannes Soreth natione Normannus, Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli Prior Generalis, vir in divinis scripturis doctissimus, & sæcularis Philosophiæ non ignarus . . . . Singulariter Religiosus, & Sanctus, Carmelitici Ordinis decus, splendor, & Reformato, qualem nostra raro viderunt sæcula, rarius cernent ventura, totus Deo deditus, totus orationi, & lectioni intentus, contemptor mundi, amator, norma, & speculum monasticæ conversationis, Angelicæ puritatis imitator, virtutum custos, vitiorum acerrimus hostis.

Et quidem, ubi Sorethius noster, tot tantisque virtutibus prædictus, ad hanc Ordinis Præfecturam electus est, ma-

gnum in primis studium , quo pro Dei gloria , atque Ordinis decore flagrabat , ostendit suum . Regularem disciplinam statim restaurandam suscepit , in iis maxime Provinciis , quæ ob præterita Schismata haud parum erant deformatae : Conventuum visitationem iniit , *sine falloclo , sine pera* progrediens : haud minus verbis , sanctisque statutis , quam exemplo malos usus refecans ; & virtutem , pietatem , ac regularem observantiam in Cœnobiis , ac subditis stabiliens ; ideoque a Scriptoribus Ordinis Reformato nuncupatur , ut de hujus Generalis ævo Baptista Mantuanus loquens , merito cecinerit :

*Religio , & pietas Patrum restaurata resurgit.*

Ceterum infiniti fuerunt labores , ac molestiæ , quas ipse in difficillimo hoc negotio exantlavit ; cuncta tamen ab ipso , mira quadam prudentia , invictissimaque patientia superata sunt.

Hinc Summis Pontificibus Nicolao V. Pio II. Paulo II. præ omnibus Callisto III. percarus fuit , qui post Episcopatum ab ipso recusatum , ad Cardinalitiam dignitatem Sorethium jam erat promoturus , nisi humillimus Dei servus , qui Mundi honores nihili pendebat , Pontificis pedibus horam integrum ( ut ait Vitæ ejus Scriptor ) advolutus , non prius a lacrimis , ac precibus temperavit , quam opere tanto fieret immunis .

Tandem annis , ac laboribus plenus , cum Galliæ Cœnobia visitaret , Andegavi gravi morbo correptus , dulcissima Bernardi verba repetens : *O bone Jesu , esto mihi Jesus , animam exhalavit VIII. Kal. Augusti MCCCCCLXXI. ætatis vero suæ anno septuagesimo septimo , eodemque die , quo S. P. Paulus II. e vita discessit .*

Quidam amantissimi nostri Præfulis mortem veneno in dapi bus propinato attribuerunt ; quod sane si verum esset , mortem ejus miraculis claram martyrii speciem ferre , inquit Lezana ; & quidem complura miracula post obitum illius ad Servi sui gloriam manifestandam edidit Deus , ut videre est in

in Sorethii vita apud Danielem *Spec. Carm. tom. 2. par. 2.* quo sane factum est, ut modo *Sanctus*, modo *Beatus* a Scriptoribus compelletur; ejusque cultum jam inde a suo obitu eidem exhibitum, posteaque haud interruptum, immemorabilem esse, ac decreto Urbani VIII. minime adversantem probant cum Lezana, tum Daniel. Sed hujus rei judicium jam *Sanctæ Sedis* esto.

Sorethium occubuisse anno ætatis suæ, non 51. sed 77. ut nos diximus, probat noster Villiers *Bibl. Carm. tom. 2. ex ejus Epitaphio a Codice MS. Mechliniensi* relato.

*Res memoria dignæ sub Sorethii regimine.*

1451. **F**acio Generali ad Rhenensem Episcopatum electo, Avenione Generalia Comitia convocantur, ibique Joannes Soreth, jam V. Generalis Apostolicus, Generalis Prior eligitur, & Paullus de Visconte Siculus Generalis Ordinis Procurator declaratus est; vir sane præstantissimus, quippe qui Nicolai V. & Pauli II. a Confessionibus fuit, Siciliæ, ac Romæ Provincialis, Carmeli majoris Neapolis Prior, & Commissarius Generalis, cuius etiam filius in veteri quadam ejus Icone inscribitur, ac tandem Ordinis in tota Italia Generalis Vicarius; e qua dignitate primum ad Mazarensem Episcopatum, deindeque ad Panormi Archiepiscopatum fuit sublevatus. *En Papy. Ord. G' Lezana.*

1452. Nicolaus V. Sororibus Tertiæ nostri Ordinis, *Pinzocbere* Italice nuncupatis, eadem concedit Privilegia, quibus & Sorores Ordinum Prædicatorum, & Augustinianorum gaudent. *Bull. Carm. tom. 1.*

Idem Pontifex amplissimam potestatem Sorethio Generali tribuit, omnes, & quoscumque Religiosos suos, tunc temporis Ecclesiastica Beneficia, cum cura quoque coadjuncta; & Commendas possidentes, ad Claustra revocandi, illosque eidem beneficiis etiam a S. Sede obtentis spoliandi, exceptis dumtaxat Episcopis, & Pœnitentiariis. *Bull. ibid.*

1453. Annus hic Orientali Græcorum Imperio infelicissimus fuit, atque universæ Christocolarum genti, ob inclytæ Constantinopolitanæ Urbis jacturam, a Turcis ea tempestate captæ, in eorum perfidiæ pœnam, dum contra concordiam in Concilio Florentino cum Latinis initam, ad vomitum statim redeentes, ab Ecclesia Romana iterum descivæ.

verunt . In sævissima illius Urbis , omniumque Ecclesiarum , sacrarumque rerum depopulatione , Gregorius quidam Calocheretus , qui illarum Custos erat , Sacrum Episcopi Spiridionis , olim Elianè Instituti cultoris , corpus tectum sarcumque servavit , illudque Corcyram transtulit ; ubi ad hodiernum usque diem magna veneratione colitur . *Ex Histor. Corcyren. Andreæ Marmora , Venetiis edita ann. 1672.*

1456. Parisiis Generalia Comitia habentur , ubi plura salutaria conduntur statuta , ad regularem disciplinam vel maxime pertinentia , quæ ijs temporibus ob bella , pestes , & schismata jam obsolescebat , quamque Generalis Sorethius totis viribus stabilire conabatur ; præsertim in Germaniæ , ac Galliæ Provinciis , & Cœnobiis , quæ forte Monastica Observantia magis indigebant . Horum postea statutorum pars a Pontifice Callisto , Sorethio postulante , fuit confirmata . *Ex Papy. Ord. C. Bull. Carm. tom. I.*

1457. Populorum erga Beatum nostrum Albertum veneratione in dies magis magisque increbescente , atque etiam miraculorum fama , quæ D. O. M. ob Sancti intercessionem operabatur , Generalis nostri postulatibus , Pontifex Callistus III. *Vivæ vocis Oraculo* Alberti cultum confirmat , Fidelibusque permittit , ut publice ipsum venerari pergant , etiamsi ab Ecclesia adhuc non fuerit canonizatus . Cujus sanæ Pontificiæ concessionis , Pontificis etiam consensu , Gulielmus tituli S. Martini ad Montes Cardinalis , & Ordinis Protector , qui concessioni aderat , publicum testimonium reddidit , suis litteris , signo munitis , atque hoc anno datis , ut in *Bull. Carm. tom. I.*

1458. Quatuor Mendicantium Ordinum Generales , Romæ hoc anno Conventionem adprobant , & confirmant , quam inter se Basileæ inierunt anno 1435 eamque . propriis signis , ac subscriptionibus munint . Pro Generali nostro , tunc ab Urbe absente , ejusdem mandato , concordiam illam subscriptit Paulus Visconte , Ordinis Procurator , atque Italiae Generalis Vicarius . *Bull. Carm. tom. 3. pag. 151.*

1459. Orta est inter nonnullos e Religiosis nostris dubitatio , num tribus diebus in qualibet hebdomada ab esu carnium dispensatis ab Eugenio IV. S. P. , effet quoque a jejunio dispensatum ; ex quo in Bulla Eugenii hoc non fuerit declaratum , etsi in petitione ipsi facta diserte fuerit expressum . Idcirco Generalis noster a novo Pontifice Pio II. declaracionem postulat , qui alia ejus Bulla hujus anni arbitrio Generalium pro tempore jejunii illius dispensationem remittit , personarum , locorum , & temporum qualitate attenta . *Bull. Carm. tom. I.*

Præ-

Præterea idem Pontifex Ordini nostro potestatē hoc anno facit, S. Angeli officium recitandi. *Lezana*.

1462. Aliud Generale Capitulum Bruxellis in Belgio celebratur, ubi inter alia statuta sub poena excommunicationis præcipitur, ut nemo pro Conventuum statu mutando litteras a Prælatis, Principibus, ac Magnatibus expostulet. Quod sane statutum ob Mantuanam Congregationem forte editum est, quæ novissime eum in modum tribus suis prioribus duos alias adjunxerat Conventus, illos nimurum Lucæ, & Ferrariæ. Atque insuper Pius II. præcedenti anno suo Brevi præceperat, Conventus a P. Generali reformatos non posse Cœnobiis Observantium uniri sine expressa Pontificis licentia. *Bull. Carm. tom. I. Ex Papy. Ord.*

Hoc anno in lucem de novo prodiit nostri Ordinis Breviarium opera F. Ivonis Joele Britonis, Generalis Sorethii jussu. In cuius Kalendario hi nostri Ordinis Sancti descripti erant, S. *Cyrillus* die 6. Martii, S. *Angelus* die 5. Maii, S. *Andreas Episcopus* die 4. Junii, S. *Elianus* die 14. Junii, & S. *Albertus* die 7. Augusti. Quod sane non sine S. Sedis auctoritate factum existimari debet, ut ex memorati Generalis integritate, ac doctrina noster Lezana arguit *Annal. tom. 4.*

1467. B. Francisca Amboise, sive Ambasia, Britanniæ Ducissa Vi-  
dua, Novitiatu expleto, die 25. Martii, ac SS. Annunciationis Festo  
solemnem religiosam Professionem emittit, in Monasterio trium Ma-  
riarum, sive Bonidoni nuncupato, in nostri Generalis Sorethii manibus,  
maxima adstante Religiosorum omnium Ordinum illius Provinciæ tur-  
ba, atque etiam Episcopo Venetensi, Clero, ac Magistratu. Leo a  
S. Joanne in *Delineat. Observ. Rbedonensis*.

1469. Alia Generalis Synodus Auteliaci in Gallia celebratur, ubi  
Ordinis Generalis Procurator Christophorus Martignonus a Brixia desti-  
natur; fiuntque præ cetetis sequentes ordinationes: 1. ut officium di-  
vinum *tractim recitetur*, *devote*, *cum proportione*, *Ex mensura bona*,  
*ac pausa*: 2. ut in omnium Provinciarum Conventibus uniformitas ser-  
vetur *in vestibus*, *cantu*, *Ex modo cantandi*, *Ex accentuandi*: 3. iterum  
Provincialibus subsidium pro B. Andreæ Corsini canonizatione præcipitur.  
*Ex Papy. Ord.*

1471. Maximo cum omnium mærore amisit hoc anno Religio  
sanctissimum ejus, ac studiosissimum Pastorem Joannem Soreth, jam in  
Andegavensi extinctum Cœnobio, morte non jam naturali ( si Ubalte-  
ro suo & in vita, & in itineribus amantissimo Socio credendum sit ),  
sed violenta, eidem ab hominum malitia in Nannetensi Civitate illa-

ta,

ta, quo pro illius Conventus reformatione se contulerat : „ Ibi enim  
 „ (narrat ille in ejus Vita) cum in Conventu . . . . federet ad men-  
 „ tam venenum illi , sociisque duobus in moris fructibus , tunc primo  
 „ maturis , datum est , a suisne , an a famulatu domestico , aut aliena  
 „ invidia præsens pestis comparata fuit , haudquaquam compertum „ .  
 A Nannatensi Conventu , veneno valde labefactatus , in Andegavense Cœ-  
 nobium vix pervenit , ubi die 25. Julii animam suavissime in Creato-  
 ris sui manibus exhalans , per omne ævum illo fruiturus , ad Cælum  
 convolavit , quemadmodum non modo res ab ipso in vita gestæ , sed  
 & miracula post mortem edita testantur . Hinc de ipso Mantuanus il-  
 lius temporis Scriptor cecinit :

*Tu modo magne Pater faveas , quem certe fatentur  
 Æthereos inter positum Miracula Cives . . . .  
 Quem Deus æternis Divorum accumbere mensis  
 Jussit , C<sup>r</sup> immenso Cæli dignatur honore ,  
 Funde preces , pia verba move , ferventius ora ,  
 Magna Dei nostris faveant ut Numina rebus .*

Extincto Sorethio , Sixtus IV. eodem anno Generalem Ordinis Vicarium Christophorum Martignonum instituit , tunc Generalem Procuratorem , potestate eidem concessa Generale Capitulum in proxima Pentecostes die convocandi : & quoniam Petrus Lalu , Provinciæ Provincialis , in qua ex anteacti Capituli præscripto , quod pone sequebatur Capitulum erat celebrandum , id Christophoro poterat contendere , ut revera postea contendit ; idcirco Pontifex addidit in suum Breve : „ Non obstantibus Constitutionibus Ordinis illa præsertim , qua  
 „ cavetur , quod Provincialis ille , in cuius Provincia futurum Capitu-  
 „ lum Generale celebrari debet , sit Vicarius Generalis ad congregan-  
 „ dum Capitulum antedictum , cui pro hoc vice motu proprio deroga-  
 „ mus. Bull. Carm. tom. I.





## XXVI.

## CHRISTOPHORUS MARTIGNONUS.

**C**hristophorus Martignonus Italus, Brixiae, quæ Civitas nunc Venetiarum paret Reipublicæ, natus est. *Vir egregius, & in omni virtutum, & scientiarum genere feliciter versatus, deque suo Ordine optime meritus &c.* apud Lezanam nostrum audit. In Aurelianensi Generali Capitulo, anno 1469. celebrato, cui ipse ut Terræ Sanctæ Provinciæ Definitor, & Provincialis interfuit, Generalis Procurator creatus est. Extincta deinde Sorethio Generali anno 1471., Sixtus IV. Brevis ejus Apostolico diei 13. Novembris ejusdem anni Generalem Ordinis Vicarium instituit. Atque aliis Apostolicis litteris diei 27. Januarii, ubi ait: „Nobis ob singularem „doctrinam, Religionis zelum, & alias multiplices virtutes, quibus praeditus esse dignoscitur, acceptum, & charum „; excluso Petro de Lalu Provinciae Provinciali, qui Generalis Vicarii munus sibi contendebat, eumdem Martignonum futuri Generalis Capituli cum omnimoda potestate Apostolicum Præsidentem declaravit. Atque hujusmodi Apostolicæ Institutionis idem Pontifex aliis suis litteris Mediolanensem Ducem certiorem facit, deque ipso hæc ait præsertim: *Et quoniam Mediolani ortus dicitur, & tua Excellentiæ deditus, & affectus; cum quantum possumus studio, ipsi tua Excellentia commendamus, gratissimum habituri, si eum plurimum amoris consuleris.*

Interea Generali Capitulo in Astensi Civitate concito, solito Pentecostes die, nempe 27. Maii 1472., cui Christophorus ut Commissarius, ac specialis Apostolicus Delegatus præfuit, communi omnium consensu, ac plausu ipsem et Christophorus totius Ordinis Generalis Prior fuit renuntiatus.

T

In-

Inter hæc tempora , intentus vel maxime Sixtus IV. ad Catholicos Principes inter se conciliandos , ut fortissimo exercitu Turcarum Imperatori resistant , qui tum vetricibus armis universam Christianorum gentem perterruerat , opera etiam Martignoni Generalis usus est , ipsum Apostolici Legati charactere ad Fridericum Imperatorem III. sive IV. , *Pacificum* vulgo nuncupatum , mittens : *quod munus* , ut inquit Biscarettus , *egregie , & strenue exercuit , in eoque prudentissime se gessit , ac bonum nomen apud omnes adeptus est.*

Haud minori prudentia , ac sollertia Religionem suam moderatus est ; quandoquidem ipsius bono , ac decori semper deditus Provinciarum numerum adauxit , Conventus visitavit , statuta publicavit , & Capitula concivit . Insuper Gratias , Indultus , ac Privilegia a S. Sede ad illa usque tempora Ordini concessa , in unum collecta , S. P. Sixto IV. obtulit , eorumque omnium confirmationem petiit , atque obtinuit , amplissima Bulla *Mare magnum* adpellata ; novasque innumeræ alias Gratias , & Concessiones ab eodem comparavit , ut in nostro Bullario videre est .

Hisce innumerisque aliis rebus præclare gestis , Christophorus , decimo Generalatus anno nondum exacto , e vivis excessit Romæ xvi. Kal. Junii anno a Virgineo Partu MCCCCCLXXXI. Summo Ecclesiæ Pastore Sixto IV. , & conditus est in Ecclesia S. Martini ad Montes , ubi ejus tumulus cum Icone , vivum ipsum exprimente , adhuc cernitur , sequenti cum inscriptione :

D. O.

D. O. M.

Hic jacet Frater Christophorus  
 Totius Ordinis Carmelitani Generalis,  
 Qui Privilegia dicti Ordinis  
 Sua virtute confecit  
 Eaque a Sixto IV. Pont. Max.  
 Approbari fecit.  
 Rexit Ordinem annos decem.  
 Obiitque XVII. Maii MCCCCCLXXXI.

*Res memoria dignæ sub Martignoni regimine.*

1472. **S**uprema Ordinis Præfectura ob Joannis Sorethii obitum cum  
 vacaret, Christophorus Martignonus, Generalis Vicarius à  
 Sixto IV. circatus, Generale Capitulum in Astensi Civitate hoc anno,  
 Pentecostes die, concivit, cui & ipse præfuit: & quamvis S. Pontifex  
 aliis ejus Epistolis ejusdem Capituli Compræsidem Digriensem Episco-  
 sum destinasset, eoque deficiente, Astensem Antistitem; in hujus tamen  
 Capituli Actis de neutro fit mentio. Sed antequam novus crearetur  
 Generalis, præfatus Martignonus cum aliis gravioribus Capituli Patribus  
 Provincias Ordinis nimis latas divisit, aliasque novas addidit; atque in  
 primis Romanam Provinciam, quæ ad Regnum usque Neapolis se ex-  
 tendebat, in Romanam, & Neapolitanam partitus est, ac insuper no-  
 vas Apuliae, & Calabriae Provincias erexit. Deinde vero die 17. Maii,  
 ubi ad Generalis Prioris creationem deventum est, idem Generalis Vi-  
 carius Christophorus Martignonus totius Ordinis Præsul designatus est,  
 Generali Procuratore Joanne de Prato denominato. *Bull. Carm. tom. I.*  
*& Papy. Ord.*

Inter cetera memorata digna, eo in Capitulo statuta, conformitas  
 est „ habitus, vitæ & doctrinæ: & hinc præcipitur, quod omnes, &  
 „ singuli nostri Ordinis Fratres induant se nigris vestuariis, scilicet Cle-  
 „ rici habeant tunicas nigras, & tintas, cum caputiis, & Scapulari si-  
 „ milis coloris; Conversi vero induant etiam similis coloris tunicas,  
 „ caputio, & scapulari albis, ad oppositum Fratrum Dominicanorum,  
 „ ut inter Clericos, & Laicos sit distinctio,. Et pro majori hujusmo-

di statuti robore Patri Generali committitur , ut illud , quatenus opus sit , Pontificis Bulla confirmari curet . *Ex eodem Papy. Ord.*

Etsi Ordinis nostri proprius , & genuinus vestium coloy griseus , seu tanè semper fuerit , uti ostendunt Leo a S. Joanne , & Daniel a V. Maria ; Schisma tamen , anno D. 1376. incæptum , & quadraginta ultra annos perduratum , quemadmodum inter Fratres divisionem peperit , ita & vestitus varietatem , aliis pannum nigrum , aliis vero pretiosum induentibus ; contra quos Venerabilis noster Joannes Soreth in Regulæ Parænetica Expositione vehementer invehitur . Hinc dicere oportet , abusum nigri coloris ea tempestate frequentiorem factum esse , atque adeo ut ad æqualitatem , seu uniformitatem servandam superius ci-tata lege opus fuerit ; quæ deinde multas peperit lites , variasque habuit vicissitudines , donec griseus color fuerit Ordini restitutus . Sed quoad habitus differentiam attinet Clericos inter , & Laicos , Lex illa execu-tioni numquam fuit demandata .

1473. Facultatis vi , & commissionis a S. Pontifice sibi attributæ , Cardinalis Rothomagensis , Ordinis Protector , Provinciarum divisiones in Capitulo Generali factas , ac statutum circa habitus colorem approbat , & confirmat . *Bull. Carm. tom. 1.*

1475. Moritur hoc anno P. M. Joannes Consobrinus Lusitanus , ac Provinciae illius Alumnus , Ordinis , ac Portugalliae decor , viræ Sancti-tate , & doctrina celebris , ut ipsum compellat Lezana , Concionator sui sæculi præstantissimus , atque hostium Fidei insestator acerrimus . Hinc ille cum esset in Ulyssiponensi Civitate Fidei Inquisitor , adeo Hæreticis fuit invisus , ut brevi veneno fuerit extinctus . Perpensis ideo Consobrini cum pietate , tum obitus præsertim circumstantiis , inter Ordinis Beatos a nonnullis resertur , uti scribunt Trithemius , Lezana , alii-que cum Daniel . *Specul. Carm. par. 2. tom. 2.* ubi late de illo agit .

1476. Sextus IV. S. P. Ordinis nostri amantissimus , ut tot ipsius Bullæ pro eadem Religione emanatae satis ostendunt , alias inter Gra-tias , ac Privilegia eidem hoc anno concessa , primum sua Bulla , quæ incipit : *Cælestis Aulæ die 31. Maii* edita , approbat , ratam habet , atque Apostolica auctoritate , & ex certa scientia confirmat Concessionem a Callisto III. vivæ vocis Oraculo factam anno 1457. , qua cultum , ve-nerationem , preces , ac suffragia B. Alberto Carmelitæ , non modo in nostris , sed in aliis quoque Ecclesiis publice exhiberi permiserat . Quem sane cultura ea Bulla concessum , cum generalis sit , nec peculiari loco , Ordine , aut Provincia limitatus , veram Sancti Alberti Canonizatio-nem

nem esse, merito existimat Lezana *Annal. ad hunc ann.*

Insuper die 28. Novembris hujus anni celebrem edidit Bullam. *Dum attenta meditatione, vulgo Mare magnum appellatam, qua considerans, ut ipse inquit; „ quod Virgo venustissima Dei Genitrix produxit Sacrum Ordinem Beatae Mariæ de Monte Carmelo, & quod Fratres Carmelitæ, inter ceteros Regularium Ordinum Professores in firmamento Catholicæ fidei militantes, tamquam Religionis Speculum, & exemplar speciali charitate fulgentes; Sanctorumque Prophetarum Eliæ, & Elisei, & aliorum Patrum, qui Montem Sanctum Carmeli juxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes, fructus quoque uberes &c. motu proprio, & ex certa scientia, approbat, confirmat, iterumque concedit omnia, & singula Privilegia Ordini nostro a Prædecessoribus suis concessa, quæ nominatio[n]em describit (a Lezana *Annal. ad hunc ann. in epitomen redacta*), aliasque novas Gratias indulget. Quas inter, adprobata prius, ac confirmata Regulæ nostræ mitigatione, ac declaratione ab Eugenio IV. & Pio II. facta; Generalibus Ordinis pro tempore Prioribus potestatem facit, Religiosis subditis tam super jejunio, quam super carnis comeditione dispensandi, atque tres dies, plures, vel pauciores in hebdomada pro jejunio statuendi. Hinc in Generali Capitulo Rupeculæ habito anno 1488. super carnium esu in Feria secunda fuit dispensatum. *Bull. Carm. tom. I.**

1477. Idem Pontifex alia Bulla diei 23. Augusti cunctas Indulgencias ab aliis Pontificibus Ordini concessas confirmat, interque alias, illas Ecclesiis nostris impertitas ab Hadriano II. Stephano V. Sergio III. Joanne X. & XI., qui Sæculo IX. ac X. Ecclesiam gubernarunt. Quas omnes a solitis Papebrochii cavillationibus tuentur nostrates Scriptores Franciscus Bonæ Spei, Daniel a V. Maria, & Sebastianus a S. Paulo in Supplici ad Innocentium XI. Libello. Alias insuper Indulgencias eadem Bulla concessit Pontifex. *Bull. ibid.*

1478. Generalia Comitia in Brixensi Cœnobio Venetæ Provinciæ die Pentecostes festo celebrantur, ubi eidem Martignono, Generali confirmato, Procuratoris Generalis electio remittitur. Inter ceteras Ordinationes ibidem factas: cunctis Provincialibus commendatur, ut ad suas Provincias redeentes, a Principibus, & Regibus supplicatorias Epistolas Summo Pontifici porrigendas pro S. Angeli Martyris, & S. Andreæ Corsini Canonizatione procurent. Præterea Pater Generalis auctoritate a Sixto IV. sibi attributa, de qua ad annum 1476. verba fecimus, omnibus Provincialibus facultatem fecit, Fratribus, ac Sororibus subditis

tis jejunium , & carnium esum dispensandi , ad formam Bullæ , sive  
*Mare magnum. Ex Papy. Ord.*

1480. Circa hæc tempora vita functus est Joannes Emmanuel ,  
Ulyssiponensis Conventus , ac totius Lusitanæ Provinciæ decor ; vir sa-  
ne non minus vitæ sanctitate , quam Regio sanguine insignis . Erat il-  
le Eduardi Portugalliae Regis filius ; Carmeli lanas in Ulyssiponensi  
Conventu sub B. Nonii auspiciis induit , ac Provinciæ suæ Provincialis  
fuit : deinde vero ad Septensem , sive Ceptensem Episcopatum ( Cepta  
Urbs est Africæ , vulgo *Ceuta* ) , posteaque ad Egitanensem electus est :  
ac denique pro summa ejus prudentia , ac doctrina Regium Consilia-  
rium , ac Regalis Capellæ , tunc spectatissimæ , Præfectum Alphonsus V.  
eumdem destinavit . *Lezana, Daniel, aliisque.*

1481. Hoc anno , sive paullo post , B. Jacobi , sive Jacobini a  
Cravacorio Laici Carmelitæ prætiosissimus accidit obitus ; „ qui in Con-  
„ ventu Vercellensi vixit , Sanctitatis opinione , & miraculorum gloria  
„ illustris ; cuius propterea corpus S. Carolus Borromæus apud se habere  
„ desideravit , et si non obtinuerit ; manet enim in Cœnobii Ecclesia  
„ conditum „ . Ita post Lezanam Daniel . *Specul. Carm. par. 3. tom. 2.*  
*O' Fornarius ann. memorab.*

Dic 17. Maii hujus anni e vita discessit Generalis Martignonius ,  
eiusque loco in Ordinis regimine a Summo Pontifice Gulielmus de  
Quercu suffectus est , de quo mox erit sermo . *Bull. Carm. tom. I.*





## XXVII.

## GULIELMUS DE QUERCU.

**H**unc locum merito sibi vindicat Gulielmus de Quercu, a Lezana de Chric, atque a Cosmate Villiers de Dumoguerci compellatus: quippe qui universum Carmeliticum Ordinem cum omnimoda potestate, et si brevi temporis intervallo, fuit moderatus. Erat ipse Armoricus in Britannia Minori natus, ac Turonensis Provinciæ Alumnus, cuius supremam etiam Præfecturam gessit. Anno 1481. die 17. Maii, Generali Christophoro Martignono defuncto, in illius locum a Sixto IV. Summo Pontifice Gulielmus sufficitur, atque Apostolica auctoritate Generalis totius Ordinis Vicarius creatur. Atque eo tempore ad eam dignitatem electus est, quo Romæ commorans, Legati munere apud Sanctam Sedem Serenissimi Francisci II. Britanniæ Minoris Ducis fungebatur, si fides Cosmati Villiers in *Bibl. Carm. tom. 2.* adhibenda sit. Et quidem variæ Apostolicæ Concessiones in nostro leguntur Bullario a Sixto IV. tunc temporis, atque ejusdem Francisci Ducis postulatibus emanatæ, opera sane Gulielmi nostri, qui ea tempestate vice illius Ducis fungebatur.

Ac prima sane est diei 22. Junii 1476. qua Sixtus IV., petente Duce Francisco, Prioratum, ac Monasterium B. Mariæ Virginis de Scotiis Monialium Ordinis Benedictini, in Diœcesi Nannetensi Britanniæ positum, suppressit; illudque cum omnibus ejus redditibus B. Franciscæ de Ambasia, Petri Britanniæ Ducis Viduæ, quæque Carmeliticum Institutum jam fuerat amplexa, concessit, suisque Monialibus Cœnobii, *Trium Mariarum* nuncupati, apud Bonodonum, ut novum Monasterium Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo erigerent; cuius quidem nova fundatio sequente anno, ac die 27. Ju-

lli alia ejus Bulla ab eodem Pontifice fuit confirmata ; qui insuper alia Bulla diei 26. Februarii 1479. prioris Bullæ executionem , quibuscumque non obstantibus , præcepit.

Altera Pontificia concessio edita est die 15. Martii 1480., ejusdem quoque Principis postulatibus , qua præter indulgentias , quas omnibus Carmelitarum Ecclesiis , in Britanniæ Ducatu existentibus , concedit , sive confirmat in quatuor B. Mariæ Virginis Festivitatibus , nempe Annunciationis , Nativitatis , Conceptionis , ac Purificationis , facultatem quoque Confessariis tribuit , pœnitentes ad easdem Ecclesias confluentes ab omnibus casibus , Sanctæ Sedi non reservatis , eo tempore absolvendi ; qui sane Confessarii , si sæculares sint , ab Episcopo , si vero Regulares , a Conventuum Prioribus forent destinandi .

Ceterum Gulielmus noster Ordinis Generalem Vicarium haud diu exercuit , nam paucos post menses gravi morbo correptus , in eadem Urbe Roma , illo cum munere diem obiit supremum , ineunte mense Augusti , anno post Christum natum MCCCCCLXXXI. , ut ex Brevi , quo die 11. Augusti ejusdem anni idem Sixtus IV. in locum ipsius Generalem Vicarium instituit Pontium Raynaudum , colligitur .

Pauca hæc de nostro Gulielmo relata ex Joanne Baptista Lezana collegimus , *Annal. Carm. tom. 4. pag. 953. & Bull. Carm. tom. I. pag. 316. 366. 374.* , atque a Cosmate Villiers *Bibl. Carm. tom. I. pag. 619.*





XXVIII  
*Pontius Raynaud*  
*Auenionensis*

SIXTO IV. institutus Vicarius Omalis Auenione in Comitys 26 Maij  
ab electus Omalis Praefectus annis 20. Decessit ibidem die 3 Ianuary  
1503. Etatis sue an

Arnold V. Worcester Sculps.

## XXVIII.

## PONTIUS RAYNAUDUS.

Pontius Raynaudus Rupeculae (*Roccella* Italice) in Sabaudia natus, Carmeliticum Institutum in Aquensi Conventu Provinciae Provinciae professus est. In Generali Cabilonensi Capitulo anni 1444. alioque Urbis Romae anni 1447. Biblicus Parisiorum Lector destinatus est; expletoque Studiorum curriculo, Magistri ac Doctoris Sacrae Theologiae Lauream sibi in Ordine suo comparavit, atque etiam in inclito Parisiorum Lyceo Sorbonicis Doctoribus adscriptus est, ut Biscarettus scribit. Apud Casanatem nostrum in *Paradis. Carm. Decor.* audit: *Vir excelsa sane morum honestate decorus, litterarum gravi suppellectile dives, magnus Reipublicae Elianae Parens, cuius augmenta sedulo semper recognitavit studio.*

Hinc ad illustiores Ordinis dignitates, ac munera evenitus est. In Generali Astensi Capitulo anni 1472., cui ipse, ut Provincialis suæ Provinciae Socius, interfuit, Generalis Vicarius in Franciæ, Narbonæ, Aquitaniæ, Turoniæ, Provinciæ, Vasconiæ, ac Tolosæ Provinciis destinatus est; & in Generali Capitulo, Brixæ celebrato anno 1478. Provinciæ Provinciæ Provincialis Prior fuit creatus. Hæc, atque alia munera tanta cum laude gessit Pontius, ut extincto deinde Gulielmo de Quercu, Ordinis Generali Vicario, in ejus locum Sixti IV. Apostolico Brevi subrogari meruerit, die 11. Augusti 1481. Ac tandem in Generali Capitulo sequente anno 1482. Avenione, sueto Pentecostes die, concito, supremus totius Ordinis Prior omnium suffragiis renuntiatus est.

In suprema hac dignitate constitutus Pontius, Regularis Observantiæ studiosissimus fuit, & Provincias, ac Conventus Religionis fere omnes visitavit. Quatuor Generalia

Capitula celebravit, nempe Avenionense anno 1482., in quo Generalis Prior electus fuit, Rupeculense anno 1488., Romanum anno 1492., & Nemausense anno 1498. inque omnibus iis optima, sanctissimaque Statuta publicavit. Pari semper sollicitudine, ac pietate Ordinem sibi creditum ubi viginti annis fuit moderatus, senio tandem, ac laboribus fractus, carnis sarcinam, spiritu ad sublimia tendente, Avenione reliquit, quo post Hispanicarum Provinciarum visitationem pervenerat, III. Nonas Januarii anno Reparatæ Salutis MDIII. Alexandro VI. S. P.

Varias Raynaudus reliquit summas, partim in numerata pecunia, quam apud se retinebat, partim in pensionibus annuis, ac redditibus: quorum omnium sollemne Inventarium confici jussit Alexander VI. Apostolicis suis litteris diei 15. Junii 1503.; mandavitque præterea Generali Vicario Petro Tarassi, ut statim Romam transmittenentur, pro novo Transpontinæ Conventu construendo, Ordini ab Innocentio VIII. concessio; quemadmodum, collato etiam ære Provinciarum omnium revera factum est.

*Res memoria dignæ sub Raynaudi regimine.*

1482. **P**ontius Raynaudus, elapso anno Generalis Vicarius creatus, die 16. Maii hujus anni Generale Capitulum Avenione concivit, in quo ipse Generalis Ordinis Prior, & Marcus de Monte Catino Generalis Procurator creati fuere. Generali absolute Capitulo, vocales ab illa Urbe statim discesserunt ob pestem, quæ ibi grassabatur; sed nihilominus, si Bostio nostro credendum sit, & in Capitulo, & inter itinerandum ex Fratribus nostris biscentum & ultra misere perierunt. *Ex Papy. & Lezana.*

1484. Etsi Generalium Capitulorum statutis, ac peculiari sua Bulla præterito anno edita, Sixtus IV. Fratribus, ac Sororibus nostri Ordinis nigrum in vestibus colorem præscripserit; attamen hoc anno, qui Pontificatus sui fuit postremus, idem Pontifex ad controversias omnes diri-

dirimendas, quæ tunc Religionem inter, ac Mantuanam Congregatiōnem (cujus præclarissimus vir Baptista Mantuanus Generalis erat Vicasius), versabantur, speciali sua Bulla ejusdem Congregationis Fratribus potestatem facit, habitum grisei coloris, sive tanè induendi, juxta conventionem inter Generalem Ordinis Procuratorem, & Generalem Congregationis Vicarium antea factam. Qui quidem griseus color in omnes poltea Italicas Provincias, atque ultra etiam Montes invectus est, paucis nonnullis exceptis, quæ, panno istiusmodi coloris in Regionibus illis deficiente, excusatuntur. *Bull. Carm. tom. I.*

Extincto die 12. Augusti hujus anni Sixto IV., Innocentius VIII., antea Cardinalis de Cibo vocatus, ac nostri Carmelitici Ordinis Protector, ad Papatum vix electus, die 29. ejusdem mensis gratum ejus animum erga nostram Religionem ostendit, Apostolico suo Diplomate veteri Transpontinæ Ecclesia pro novi Cœnobii constructione eidem concessa. *Bull. Carm. ibid.*

1485. Die 4. Novembris hujus anni gloriosissimus ad cælestem Patriam transitus contigit magnæ Carmeli Heroinæ B. Franciscæ de Amboise, sive Ambasia, quæ Petro II. Britannia minoris Duci desponsata, Virginitatis laudem servavit: Vidua deinde facta Carmelitarum Institutum amplexa est, ac duo Monialium Monasteria fundavit: Defuncta tandem in Nannetensis Cœnobii, *de Scoriis* vulgo nuncupati, Ecclesia carnis exuvias reliquit. Quemadmodum, dum erat in vivis, virtutibus illustris, ita post mortem miraculis clara fuit. Mirabilem ejus Vitam scripsit Pater Albertus le Grand Dominicanus, & cum pluribus aliis Daniel noster *Specul. Carm. par. 2. tom. 2.* a quibus omnibus *Beata* nuncupatur.

1486. Defuncto Marco de Monte Catino, S. P. Innocentius VIII. in ejus locum Generalem Ordinis Procuratorem P. Magistrum Gratianum de Villanova Hispanum substituit, virum non modo de sua Religione, sed & de Sancta Sede optime meritum, ejusdem Pontificis a Confessionibus, & Capellanum, D. Petri Basilicæ Pœnitentiarium, & ad varios Principes Legatum, ac Nuncium Apostolicum missum, tum ab Innocentio, tum ab Alexandro VI., a quo præterea *Commendator*, sive magnus Magister Ordinis S. Spiritus in Saxia Romæ fuit creatus, ubi anno 1497. vitam cum morte commutavit; inque ejus Ecclesia sepultus est honestissimo cum epitaphio, quod ibidem adhuc legitur. *Bull. Carm. tom. I. & Lezana.*

1488. In Rupeculæ Conventu, apud Genevam, Generalia Comitiae  
V 2

tia habentur, & Fratribus nostris illuc convocatis Pontificiis suis litteris significat, & præcipit Innocentius VIII., ut Generalem Ordinis Procuratorem Gratianum de Villanova ab ipso institutum, & confirmatum, recognoscant.

Eo in Capitulo statuitur, Transpontinæ Conventum in Urbe Roma esse extruendum totius Religionis sumptibus, & Provincias omnes taxandas. Insuper inhærens Capitulum Eugenii IV. Indulto anni 1476., hoc edidit decretum: „ Permittitur Prioribus Provincialibus, vel eorum Vicariis, ut cum Fratribus Provinciarum eis Commissarum possint mite agere super esu carnium Feria secunda; Feria autem quarta præcipitur, ne permittant private, vel publice esum Carnium. En Papy. Ord., & Bull. tom. I.

Eodem anno res valde mirabilis Bononiæ accidit in nostro S. Martini Conventu, ubi dum Fratres in Choro Antiphonam *Salve Regina Beatissimæ Dei Genitrici* canunt, ad verba pervenientes: & *Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende*, eamdem Dei Matrem, Jesum puerum inter brachia gestantem, aspiciunt, eosque sic alloquentem: *Psalite devote Filioli; vobis enim Jesum Filium meum & in praesenti, & in futuro saeculo ostendam*: quibus sic dictis, divinum Puerum eisdem obtulit cernendum, disparuitque. *Lexana Maria Patroaa. Sylveria Apolog. Carm. Saracenus, & alii.*

1489. Faustissimus Ordini nostro fuit hic annus, ob Sanctæ Domus Lauretanæ recuperationem, ab antiquis Patribus nostris in Palæstina per tot annos possessæ. Illam enim hoc anno Cardinalis de Rovere Sixti IV. Nepos, & tum Recanatenis Episcopus, Pontifícia Innocentii VIII. auctoritate nostræ Mantuanæ Congregationi custodiendam tradit, atque ejusdem triginta gravioribus Patribus, qui ipsi inservirent. Ita in historia illius Sanctissimæ Domus in lucem edita, eidemque Cardinali a Baptista Mantuano tunc Generali Vicario dicata; ubi addit memorabilem hunc successum: *Quem ego ipse ( ait Mantuanus ) bis oculis vidi, bis auribus haus. Venerabili quodam Sacerdote coram ipso Mantuano, & ante Virginis Lauretanæ Altare, nobilem Galliæ Mulierem a dæmone obsessam exorcizante: „ interrogatus dæmon ad suam confusionem, an id cubiculum fuisset Virginis Immaculatæ? Respondit fuisse quidem . . . . Adjurans iterum, ut diceret, quinam Loci ipsius, dum esset in Nazareth, curam habuissent; post iteratos sacerdos exorcismos, spumans, furens . . . . tandem ægre respondit: „ Carmelitas antiquos curam ejus habuisse. Hæc non a me conficta, „ sed*

„ sed audientibus multis , qui adhuc supersunt , ita gesta narrantur „ . Sic concludit idem *Baptista Mantuanus* loco citato . *Torsellinus* , *Bxovi*us , aliisque .

1491. Die 9. Julii hujus anni Rhegii Lipidi , anno ætatis suæ tertio supra sexagesimum , B. Joanna Scopelli Virgo Carmelitana ad æternam evolat gloriam , ad quam' divinus ejus Sponsus hilari , ac ridenti vultu , antequam emitteret Spiritum , ipsam vocaverat . Joannæ corpus ad hæc usque tempora incorruptum in Ecclesia sui Monasterii , quod ipsa fundavit , ac rexit , magna populi frequentia colitur . Qui sane Beatæ cultus adeo publicus , & constans semper fuit , ut anno 1771. a S. Sede approbatus , & confirmatus fuerit . Vitam illius scriptam reperies in *Specul. Carm.* par. 2. tom. 1.

1492. Die 10. Junii , ac Pentecostes Vigilia , Generale Capitulum in Conventu S. Martini ad Montes Urbis Romæ celebratur , Præsidente Cardinali Portuensi Ordinis Protectore . In eo Generalis Procuratoris electio Generalis Prioris arbitrio remittitur . Interque alia decreta præcipitur , ut aliter Clerici , quam Laici vestiantur : nimirum , ut hi , ad illorum discrimen , scapulare ad genua usque , nec ultra longum gerant , tunicamque etiam , & Cappam breviorem . Ex quo sane infertur , statutum ea de re conditum in Generali Capitulo anni 1472. numquam fuisse servatum . *Ex Papy. Ord.*

1494. Die 25. Junii hujus anni in Domino obdormivit B. Archangela de Trino , sic a sua Patria compellata . Induit hæc Carmeliticas vestes in Parmæ Monasterio , a quo deinde ad aliud fundandum Cœnobium Mantuam transiit , ubi sanctitate , ac miraculis clara evolavit ad Dominum . Sacrum Archangelæ corpus publicæ adorationi exposuit die Conversionis S. Pauli , quo Festum ejus Mantuæ recolitur . Quod quidem Festum celebrari cœpit anno 1499. Mantuæ Marchionum postulatibus , & cum illius Episcopi Ludovici Gonzaga licentia . Ita *Pbilippus a SS. Trinitate in decor. Carm.* par. 1. *Lezna* , & aliis .

1498. Sacram Lauretanam Domum , quam tanta sua laude Baptista Mantuanus Congregationi , & Ordini restituit , hoc anno Generali Congregationis Vicario Petro Traversino , magno cum ejus dedecore ; „ reliquimus indiscreti , amisimus ingrati , perdidimus inde voti , tempo „ rariæ salutis , & commoditatis amore ; familiares , œconomi , & Præ „ fecti domus , in qua Dei Salutare humanam ex Virgine Matre car „ nem , ut mundum salvaret , assumpsit , vocari renuimus „ ; ita præ „ nimio dolore , ac tristitia pius Lezna Domus illius jacturam deplorat .

Va-

Variæ autem sunt causæ , quas in medium proferunt Auctores , eur bonus iste Generalis Vicarius Thesaurum illud S. Sedi renunciare in animum induxerit . Communior sententia est , aeris intemperiem , atque loci insalubritatem , qua plurimi Fratres sæpe sèpius peribant , extitisse . Verissima tamen causa , eaque valde ignominiosa , illa est , quæ ex primitur in Decreto , quo cessio illa statuta est in Generali Congregationis Diæta sub citato Traversino hoc anno in Albinensi Conventu habita , quamque ex actis illius fideliter refert in suis Commentariis pag. 997. P. Carolus Vaghius : eaque hujusmodi est . „ Locus Lauretanus propter infinita dispendia debito modo renuntietur in manibus Reverendissimi Domini Cardinalis Recanatensis ; ita tamen , quod Fratres inde non removeantur , donec hoc fuerit debito modo executioni mandatum , & per R. P. Vicarium nostrum eisdem Fratribus intimatum „ . Ex quo infertur etiam , eam jacturam anno 1497. minime accidisse , ut existimat Lezana , sed anno potius 1498. , vel paullo post . *Auctores citati.*

Eodem anno Generalia Comitia in Nemausensi Conventu Provinciæ Narbonensis convocantur , in iisque Petrus Teraffes Generalis Procurator , atque in Italia Vicarius elegitur . Statuitur etiam , Festum S. Joachim die 16. Septembr. celebrari sub dupli Ritu , æque ac Festum S. Josephi . *Ex Papy. Ord.*

1500. Hoc anno Jubilæi „ Imago pulcherrima ( scribit Gonusa in Cbron. Mariano ) B. Virginis , quæ Neapoù in Conventu Carmelitarum colitur , miraculis clarere cœpit . Qua Roma delata , tempore Jubilæi , omnes infirmi in eundo , & redeundo , auxilium B. Virginis devote implorantes , sanitatis beneficium consequbantur . Ex quo tempore non cessavit facere miracula .

De hac Mariæ Sacratissima Imagine , vulgo della Bruna nuncupata , juxta communem traditionem a D. Luca depicta , quæque , ut ait Lezana , est adeo famosa , ut post Lauretanam nulla in tota Italia babeatur celebrior , egerunt plures Auctores ab eodem Lezana citati , & Nos latius in ejus peculiari Historia anno 1769. in lucem edita differuimus .





Marcus <sup>XXIX</sup> Reclusius.  
Astensis  
ab Alexandro VI sibus institutus Vicarius Ginalis. Praesit men-  
Decessit Genuae die 1502. Aetatis sue an.  
1503. Arnold. Van Westerhout Sculp.

## XXIX.

## M A R C U S R E C L U S I U S.

**M**arcus Reclusius, sive de Reclusis, natione Pedemontanus, & in Astensi Dicecesi natus, Carmelitici sui Ordinis in Sacra Theologia Magister & Doctor, atque etiam in Papiensi universitate Laureatus. Cremonensi in Conventu Theologiam plures per annos docuit, ubi & Prioris munus exercuit. Provincialis quoque Longobardiae suæ Provinciæ fuit renunciatus; cui inter alia beneficia, cum illam regeret, in eam collata, Vicinovi Conventum in Taurinensi Dicecesi (ob portentosam Dei Matris Imaginem valde inclytum) anno 1498. adjecit, ab Alexandro VI. Cardinalis Dominici de Rovere precibus obtentum, uti Lezana ad annum 1330. testatur, & a Brevi quodam Julii II. anno 1505. edito colligitur, in quo Marcus *de Reclusis de Butiglieria* compellatur. Anno 1502. cum ejusdem Provinciae Praefectura iterum esset donatus, ab eodem Alejandro VI. in mense Septembri Ordinis Generalis Vicarius creatus est, cum potestate Generale Capitulum die Pentecostes sequentis anni in Papiensi Civitate convocandi: ac præterea cum facultate eidem Capitulo præsidendi, si in bujusmodi Capituli celebratione (sunt verba Brevis) Generalis Magister ex aliquo impedimento interesse non possit, & etiamsi interim præfatus Generalis Magister decidere contingeret. Erat enim in vivis etiamdum Generalis Pontius Raynaudus, etsi extra Italiam, atque Avenione, & forte fortuna, aut senio, aut aliqua infirmitate impeditus, Capitulo interesse non poterat.

Attamen sub idem tempus Generali Raymundo extinto, nec Marcus Reclusius Capitulo præfuit, nec Capitulum in Papiensi Civitate fuit celebratum; sed idem Alexander alio

alio Brevi suo diei 15. Januarii 1503., priori omnino abrogato, Petrum Terassem Generalem Vicarium, & Præfulem Capituli, Placentiæ deinde celebrati instituit.

Ceterum Marcus noster sui ævi celeberrimus Concionator fuit; tantaque erat Populi frequentia, qui ad ipsum Concionantem confluerebat, ut Quadragesima quadam cum in Cremonensi Cathedrali verbum Dei prædicare ipsi contigisset, in publica Civitatis platea, ut ab omnibus audiretur, concionari fuerit coactus. Præterea a nostro Cosmate Villiers *Bibl. Carm. tom. 2.* vocatur: *Vir tum morum integritate, tum prudentia, tum observantiae Regularis zelo illustris,* Scripsit *Defensorium contra* sui Ordinis obtrectatores. De quo libro loquuntur Bernardus de Montfaucon *Bibl. Bibliothecar. M. SS. tom. 2.* Philippus Labe in *Supplemento 4. Novæ Bibl.* & Andreas Rossetti in *Syllab. Script. Pedemontis.* Fato cessit Januæ circa ann. Repar. Salutis MDIII.

Inter Generales Ordinis Præfules Marcum Reclusum hic reposuimus, Chronologicam seriem Caroli nostri Caporalis secuti, tum etiam quod Generalem Ordinis Vicarium in Brevi Alexandri VI. nominatum eundem invenimus. Ceterum, num hujusmodi munus ipse aliquando exercuerit, Ordinemque rexerit (ingenue fatendum) nec legimus, nec certo possumus affirmare.





## XXX.

## PETRUS TERRASSE.

Petrus Terrasse, sive Terasses natione Hispanus, atque in Catalonia ortus, Carmeliticum Institutum amplexus, Provinciæ Provinciæ in Gallia adscriptus est, ideoque Provincialis, sive Provensalis appellatus. Vir sane in divinis Scientiis eruditissimus, Concionator egregius, atque in rebus agendis sollertissimus. Hinc eo existimationis, & auctoritatis apud Ordinem suum pervenit, ut præter alias dignitates, & honores, quibus fuit insignitus, in Generali Nemausensi Capitulo anno 1498. Provinciæ Romanæ Provincialis, præterea Ordinis Generalis Procurator, atque etiam Generalis in Italia Vicarius cum plenitude potestatis fuerit electus, facultate ei simul tributa Provinciale creandi Neapolis.

Summo Pontifici Alexandro VI. vel maxime arrisit. Namque anno 1501. Commissarius, Collector, atque Apostolicus Legatus ab eo in Civitate, & Comitatu Avenionensi fuit destinatus, pro taxis ob bellum contra Turcas colligendis, tam decimæ super Clericorum bonis, quam vicesimæ quoad illa Hebræorum.

Interea Generalis Raynaudi obitu secuto, idem Pontifex peculiari suo Brevi diei 15. Januarii 1503. Terassem totius Ordinis Generalem Vicarium, ac futuri Capituli Præsullem creavit; quo deinde Capitulo Placentiæ concito die 3. Junii 1503., fuit idem Terasses Patrum omnium communi plausu, plenisque suffragiis universi Ordinis Generalis Prior renuntiatus.

. . . . Non arte, nec armis,  
Nec Paetoli opibus fultus, nec Perside gaza  
Carmelitarum fit Pastor primus Ovilis:

X

Sed

*Sed probitas , sed cana fides , sed vita pudica ,  
Et mores sacri , & virtus elata nivali  
Curru ad Carmeli sacre fastigia summa  
Extulit . . . .*

Sic de ipso cecinit Paulus Pansa Genuensis in *Sylva extemporalis*.

Incredibilis sane fuit vigilantissimi hujus Præfulis sollicitudo , ac zelus pro ordine præsertim , ac Regulari obseruantia restaurandis , ubicumque vel languentem , vel collapsam eam aspiceret ; hinc statim Provinciarum visitationem , auctoritate etiam Apostolica munitus , suscepit : nimirum Angliæ , Flandriæ , Germaniæ , Galliæ , atque Italiae ; ita in cunctis prudentissime se gerens , ut Principum , ac Procerum ; æque ac Pontificum Alexandri VI. ac Julii II. amorem sibi conciliaverit. Ubi in Italicas excurrit Provincias , Generale totius Ordinis Capitulum Neapoli in Carmeli Majoris Cœnobio celebravit , die videlicet 16. Maii 1510.

Denique Religionem suam tanto cum studio , atque utilitate novennium moderatus , lethifero morbo coruptus est , & naturæ commune persolvit tributum xiv. Kal. Octobris anno a Virgineo Partu MDXI. Julio II. Summo Ecclesiæ Antistite .

Hujus obitum Allegrius noster putat Neapoli accidisse , et si nullum hujus rei in Neapolitano Archivo nostro extet monumentum .

Res

*Res memoria dignæ sub Terassis regimine.*

1503. **G**eneralia Comitia , quæ ex superioris Capituli præscripto Lugduni erant celebranda , deindeque , postulante Galliarum Rege , a Pontifice Papiam translata , hoc anno Placentiæ habentur , in iisque Petrus Terassis Generalis Prior renuntiatur , & Generalis Ordinis Procurator Bernardinus Landuccius , sive a Senis nuncupatus . Varia statuta in eo conduntur Capitulo , præcipue circa studia , & Graduatos , qui ea etiam tempestate erant quasi plus , quam *Patres simplices* , ut & circa Conventum Reformationem . Præterea plures poenæ decernuntur contra Ludovicum de Lira , prætensiæ Albienis Congregationis caput , quæ recenter in Gallia sub Regis auspiciis , & Cardinalis Georgii , in illis Regionibus Apostolici Legati , incæperat , sine Ordinis Generalis Prioris consensu , ac venia , quæque non leves deinde molestias Generalibus , & Religioni attulit . *Ex Papy. Ord.*

Ad eumdem hunc annum Lezana noster , neque jam ad annum 1443. ut alii malunt , Beati Aloysii Rabbatæ obitum rejicit , a Randatio adpellati , qui locus , ubi occubuit , est . Ortum hic habuit in Drepani Monte , sive juxta alios , in Drepani Urbe ipsa , ubi in nostro SS. Annunciationis Conventu Carmeliticum habitum induit . „ Dein „ de ( subdit Roccus Pirrhus in sua Sicilia Sacra ) Randazensi sui Ordinis Conventui præficitur Prior , ubi solito more pane , & aqua nū triebatur , asperrimo cilicio semper præcinctus , charitate flagrabat maxima erga pauperes , quibus eleemosinas suppeditabat continuas . „ Dum Fratrem sibi subditum zelo honoris Dei reprehenderet , & ad meliorem frugemducere conaretur , a scelesto viro Joanne Catulucio , Monachi germano , Randazensi , in fronte sagitta transfigitur , & hora , ac die obitus prænuntiatis , ibidem die 8. Maii , ætatis annorum sexaginta requievit in Domino . . . . Sicut in vita , & in morte , ita post mortem multis claruit miraculis , quæ in publicas tabulas redacta die 5. Maii 1533. per Antonium de Lignamine Archiepiscopum Messanensem præcibus Randazensem , & iterum anno 1573. 20. Augusti per Archiepiscopum Joannem de Retana , instantibus Carmelitis , transmittuntur ad Sedem Apostolicam . *Hæcenus citatus Auctor.*

Memoratæ Informationes , ac Processus a nostro Daniele referuntur Specul. Carm. tom. 2. par. 1. ubi in illis anni 1573. animadvertisit , ultra triginta vices Aloysium Beati titulo vocari . *Auctores citati , & alii.*

1504. Julius II. speciali sua Bulla confirmat , approbat , iterumque concedit cunctas Indulgentias , quas Ordini nostro Sixto IV. ejus Patruus largitus est Bulla , quæ incipit , *Dum attenta* , aliasque novas cumulavit . *Bull. Carm. tom. I.*

1505. Idem Pontifex abrogat , ac revocat omnes Conventum Reformatores in nostris ultramontanis Provinciis , quacumque dignitate præditos , uni Generali eosdem reformandi potestate concessa ; & insuper Reges , Princes , ac Prælatos hortatur , ut eidem Generali gratiam omnem , & auxilium præstent . Bulla hæc edita est Generalis Terassis rogatu , dum Parisiis plures molestias ab Albensis Congregationis defensoribus patiebatur . *Bull. Carm. tom. I.*

1506. Hoc anno Carmeli Religio Sardiniae Insulam ingreditur , ibique a Patribus nostris Cataloniæ Provinciæ varia extruuntur Cœnobia ; quæ , sensim adaucta , Sardiniae Provinciam hodie componunt . *Leciana* .

1507. Cum vacasset Commenda S. Salvatoris Serini , Dioecesis Salerni , ex libera abdicatione ab Alphonso Antiocheno Patriarcha S. Sedis facta , qui nostræ SS. Virginis Mariæ Neapolis Imagini singularem profitebatur pietatem : Julius II. , Alphonso vel maxime postulante , Bulla sua Conventui nostro , atque Ecclesiæ Carmeli Majoris Neapolis Commendam illam cum omnibus juribus , ac redditibus donat , ac perpetuo unit , pro oneribus illius Sacrificie supportandis . Fuit deinde ibidem parvus extructus Conventus , Innocentianæ Suppressionis tempore abolidus . *Bull. Carm. tom. I.*

1510. Generalis Petrus Terasses Generale Capitulum convocat , ac celebrat in Regali Carmeli Majoris Neapolis Cœnobio , ea tempestate satis inclyto , ob tot miracula , quæ Dei Matris S. Mariæ , vulgo della Bruna nuncupata , edebat simulacrum . Eo in Capitulo inter alia decreta illud & conditum , ut in cunctis Ordinis Cœnobiosis die 19. Septembris officium S. Januarii Martyris singularis Civitatis , ac Regni Parthenopæi Patroni , quotannis recitetur . Insuper Generalis Ordinis Procurator Bernardinus de Senis iterum confirmatus est . *Ex Papy. Ord.*

Res fane ploratu dignissima eodem hoc anno Capitularibus , aliisque Fratribus nostris , post Capitulum in Siciliam redeuntibus , accidit , quam hisce verbis Joannes Naucerus in *Chronico memorabilium* retulit .  
 » Anno 1510. Fratres Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo  
 » Generale sui Ordinis in Neapolitana Civitate Capitulum celebrantes ,  
 » dum ad sua quisque redire disposuerat , Capitulo jam terminato , Pro-

» viii.

„ vincialis , Piores , & Fratres de Insula Siciliæ navem intrantes , ver-  
 „ sus Siciliam navigare cœperunt , cum vero altum mare mediterra-  
 „ neum aliquandiu fulcassent , Piratæ ex Africa Saraceni , irruptione  
 „ facta , omnes simul numero quinquaginta cum navibus captos aduxe-  
 „ runt , sed quorsum sint delati , nec hodie certum habetur . Ita Nau-  
 „ clerus .

1511. Circa hæc tempora prodigium valde notabile in Bruxellensi Civitate contigit , quod hic nos in glorioſiſſimæ Dei Matris laudem iisdem verbis per illustris Antonii Sanderi in medium proferemus . Hic itaque in sua *Brabantia illustrata* ita scribit : „ Leo Bruxellis erat , „ diutino cum hominibus convictu cicur factus , & vix præter ipsam „ Leonis speciem Leonini aliquid præferens , jamque paſſim experien- „ tia docuerat non timendum . Ducebatur per plateas : Leo videbatur ; „ erat agnus . Dum , ut ſæpe , obambulat post rhedam Domini ſui , pue- „ rulus ( Daniel Pinus e nobili oriundus domo ) fensit ferocitatem ; „ etenim patulo riſtu puerulum aggreditur , & ad uſque pectus condens „ fauibus , tantum non abſorbet . Mater vidit , & non ausa gressu „ ad filium , voto curgit ad Divam Carmeli . Maria ( eni votum ) tuo „ dabitur Ordini filius , ſi illæſus dentes evadat Leonis : audi Scapula- „ ris Mater . Hæc dixit , illa audiit , & intactum puerum molliter „ depositus Leo . Voti rei Parentes , Filium in Carmelitano Ordine ob- „ tulerunt ; dicavit ille ſe Sospitatricæ ſuæ Divæ , vitamque in illius „ finivit obſequio „ . Hucusque Auctor laudatus . *Daniel Vinea Carm.*


Moritur eodem anno , die 18. Septembris , Generalis noster Petrus Teraſſes , atque Apostolicis litteris Bernardinus Landuccius , tunc tem- poris apud S. Sedem Generalis Procurator , Ordinis Generalis Vicarius creatur . *Lezana* .

1512. Hoc anno Ven. noster P. Petrus Joannes Rubeus magnum pietatis ſuæ ſpecimen exhibuit , in Gallici Exercitus , poſt Ravennam Civitatem captam , direptione , a Hieronymo Rubeo illius , & Generalis nostri Joannis Baptiſtæ Rubei confanguineo hiſce verbis relatum . „ Nec diu poſt , cum tumultus nonnihil deferbuiffet , Germanus Miles „ Divi Joannis Baptiſtæ Ædem ( Conventus nempe Carmelitarum ) in- „ gressus , impie SS. Christi corporis Hostiam , ut argenteum , in quo „ includebatur , loculum ſuffuraretur , in terram dejecit . Quo facinore „ graviter commotus cucullatus Carmelitanus Petrus Joannes Rubeus , „ Dominici Avi mei Frater , ad quem fuerat facinus delatum , accur- „ rens , nec quidquam hæſitans , ad eum conversus : loculum iſtud , in- „ quit ,

„ quit , mihi reddito , improbe : ille stupidus , & timore perculsus , ne  
 „ verbo quidem prolato , cum loculum restituisset , Rubeus corporis  
 „ Christi repositam ibi Hostiam , perpaucis , quos in via reperit , acci-  
 „ tis , ut se divinam ferentem Hostiam cereis accensis comitarentur ,  
 „ ad Alphonsi Estensis Ferrariæ Ducis hospitium , quod secundo ab  
 „ Urbe lapide aberat , detulit &c. *Rubeus in lib. 8. Histor. Revennae ,*  
*¶ Bzovius sub hoc anno .*

Eodem anno ob bella , quæ iis temporibus Italiam vexabant ,  
 quæque Capitularibus iter difficillimum reddebant , Julius II. ad alium  
 annum Generale Capitulum transtulit ; idque et si a præcedenti Capitu-  
 lo in Barcinonæ Conventu fuerat indictum , idem tamen Pontifex aliis  
 Apostolicis litteris præcipit , ut Senis habeatur , tamquam capaciori , ac  
 Romæ viciniori loco . Licet postea ne Senis quidem fuerint Comitia  
 celebrata . *Bull. Carm. tom. I.*





XXXI

*Baptista Hispaniolus*  
*Mantuanus*

*Electus Gratia in Comitijs Romæ habitis 22. Maij 1513. Propterea  
ut annis 3. Decessit Mantua die 20 Martij 1516. Aetatis sue an: 60.*

*Arnold. Van Westerhout Sculps.*

## XXXI.

## VEN. BAPTISTA HISPANIOLUS.

**N**atus est Baptista in Urbe Mantua die 15. Aprilis 1448. Ne Petro Hispano vetustissimæ sane gentis, ideoque a Parente *Hispanus*, sive *Hispaniolus*, atque a Patria *Mantuanus* vulgo adpellatus. Apud Trithemium coævum Scriptorem audit: *Vir in divinis Scripturis eruditissimus*, & in *secularium litterarum scientia nulli secundus*, *Sacré Theologiae Doctor*, *Philosophus insignis*, *Poeta*, & *Orator celeberrimus*, *Latine lingue decus*, & *Græcae clarus interpres*, *metro excellens*, & *prosa &c.* Circa annum Christi 1464. Carmeli lanas in Patria sua induit, in illustris Mantuanæ Congregationis Conventu; ubi adeo doctrina, & pietate claruit, ut sexies Generalis ipsius Vicarius fuerit creatus; ac postremo, anno 1513. Generalibus Ordinis Comitiis, ob Terassis obitum, Romæ habitis, Baptista noster unanimis omnium suffragiis, etsi ab Urbe, ac Capitulo tunc temporis abesset, a Congregationis Præfatura ad supremam totius Ordinis dignitatem evectus est.

Hac sublimi Sede donatus pius, & æque doctus Præfult hic noster, quæ & quanta pro commissi stbi gregis conservatione gesserit, quis enarrare poterit? inquit Lezana. Eodem tempore, quo maximo cum studio, sollertiaque Ordinis Regimini vacabat, a Leone X. S. P., cui valde erat acceptus, cuique unum ex ejus operibus inscripserat, nimirum *Fistorum lib. XII.*, sive de *Sacris Diebus*, Apostolicus Legatus missus est, ad pacem Franciscum inter Galliarum Regem, & Mediolani Ducem conciliandam, Apostolicis litteris diei 13. Iulii 1515., ut ex Bibliotheca Urbini Ducis patet, quæ in Vaticana adseratur, in Codice signato 1512. pag. 4.

Sed quemadmodum invitus ipse ad Carmeli celsissimam di-

dignitatem enectus fuerat, sic triennio vix elapso, eadem se sponte abdicavit, ut vulgo autumant Scriptores, tantæ illi moli se imparem ratus, utque Deo, suisque studiis liberius vacaret. Parum tamen abdicationi suæ superstes fuit; siquidem gravi morbo correptus, Mantuano in Cœnobio diem clausit exterritum XIII. Kal. Aprilis anno Reparatæ salutis MDXVI. ætatis suæ LXVIII. Ecclesiæ clavum tenente Leone X.

Quod si verum est, Baptistam Generalatu ante mortem se abdicasse, dicendum sane erit, paullo ante, quam fato cederet, renunciationem suam contigisse: etenim die 30. ejusdem mensis Martii, atque anni 1516. in ejus locum Joannes Baptista de Parma Generalis Vicarius suffectus est, ut ex Brevi Leonis X. constat, eo die emanato, quo Pontifex Joannem Vicarium instituens, de Mantuano inquit, *nuper vita defunctus*. Sed quicquid sit, e vita tandem Baptista Mantuanus cum fama, & odore Sanctitatis discessit, ejusque corpus in Mantuano suo Templo conditum est, ubi decenti tumulo adhuc integrum, & incorruptum magna cum veneratione adseratur, ut egomet vidi anno 1760.

In ejusdem magni Viri laudem Sebastianus Murrhus Colmaricensis sequens contexuit Epithaphium.

### D. O. M.

Clauditur hoc saxo vir nulli laude secundus  
 Maxima Carmeli spesque, decusque soli:  
 Contulit huic laurum triplicis facundia linguae  
 Exculo tantum præsttit ingenio:  
 Quicquid enim laudis Latium, vel Græcia docta,  
 Quicquid & Hebræus possidet, hic meruit.

Eximia Mantuani Opera distinctim enumerantur a Cosmate Vlliers Bibl. Carm. tom. I. ubi & laudes refert, quæ ipsi a pluribus eruditissimis Scriptoribus congeruntur.

*Res*

*Res memoria dignæ sub Mantuani regimine.*

1513. **D**um Romæ sub novo Pontifice Leone X. Sacri Conciliæ Lateranensis V. continuatur celebratio , a Julio II. præcedenti anno incæpta ; in eadem alma Urbe , atque in S. Martini ad Montes Cœnobio Generale Capitulum noster celebrat Ordo , illuc a novo Pontifice translatum ; ubi Præsidente Cardinale Sigismundo Gonzaga Ordinis Protectore , in Vigilia SS. Trinitatis Supremus Ordinis Moderator Joannes Baptista Hispaniolus , seu Mantuanus , et si absens , creatus est , Generali Procuratore Bernardino Landuccio iterum confirmato .  
*Ex Papy. Ord.*

Eo in Capitulo complura , ac varia statuta pro bono Ordinis regimine conduntur . Primo , ne ad sacerdtales Principes recurrent Fratres , quemadmodum aliis etiam Capitulis fuerat cautum . Secundo , ut omnes nigri coloris induant habitum , ne novo quidem Generali excepto , qui , ut Mantuanæ Congregationis alumnus , griseas induebat vestes . Tertio , ut Provincialium munus sexennium non excedat , præsertim in Italiæ Provinciis . Quarto tandem , ne ad Prælaturas promoveantur , nisi viri probitate , & zelo præstantes , aptique ad Regularem observantiam in Cœnobiis constituendam .  
*Ex Papy. Ord.*

Generali Capitulo vix absoluto , recentis Congregationis Albiensis Patres , ordinationes , ac minas contra ipsos a Generalibus Capitulis , atque a præterito Pontifice fulminatas parvipendentes , hoc anno , per Ludovicum XII. Galliarum Regem , novum adeunt Pontificem pro suæ Congregationis confirmatione , atque subsistentia ; qui Regis postulatibus respondens , eamdem Congregationem non modo Bulla sua diei 1. Octobris hujus anni approbat , & confirmat , sed ipsi præterea omnia privilegia , exemptiones , ac gratias , quibus Mantuana gaudebat Congregatio , elargitur . At nova isthæc Congregatio , sicuti non eadem principia , ita nec eundem progressum , ac finem habuit .  
*Bullar. Carmel. som. I.*

1514. Hoc anno P. M. Hugolinus Marengius Longobardiaz Provinciae alumnus novum Cœnobium solitario in loco , & septem circiter milliaria a Janua distans , ædificat , cui Montis Oliveti nomen tribuit , Priori duntaxat Generali subjectum . In eo autem , aliis adscitis Fratribus , exactissimam observantiam stabilivit , atque omnes , Eugenii IV. mitigatione seposita , primævæ Carmeliticæ Regulæ cum sola Innocentii IV. declaratione se obstrinxerunt ; eodem sane modo , quo hodie

Discalceati Carmelitæ nostri illam rigidissimæ servant . Eadem strictissima observantia diu quidem perduravit : sed postea sensim relaxata , saeculo hoc nostro Cœnobium illud Longobardiaæ Provinciæ fuit adjunctum . *Lezana* .

Eodem anno , postulante Generali nostro Mantuano , Pontifex Leo X. Provincialatus munus , ad sexennium antecedenti Capitulo contractum , ad triennium rededit . *Bull. Carm. tom. I. pag. 464.*

1515. Die 28. Martii hujus anni Avilæ in Hispania a Parentibus non modo genere , sed & pietate conspicuis in lucem feliciter prodiit Seraphica Virgo Theresia , Carmelitici Ordinis fulgentissimum Sidus , totque Sanctimonialium , & Religiosorum fœcundissima Mater . Eaque orta est duos & triginta ante annos , quam ex Averni tenebris erumperet Hæresiarcha Lutherus , Virginibus Deo sacris , ac monastico statui infestissimus . Hinc cecinit Poeta :

*Triginta ante duos est natus in Orbe Lutherus  
Annos : quam Virgo nata Theresa fuit .  
Ut quia Virgineos curabat tollere cœtus  
Ille Deo Sacros , jungat O' ista novos .*

Hoc anno Annales suos claudit morte præventus Venerabilis noster Lezana , ideoque defunt nobis , quæ ipse magno labore a variis colligit Auctòribus , quibusque haec tenus usi sumus . Hinc in posterum oportet res aliunde quærere .

1516. Circa hæc tempora Cardinalis Sigismundus Gonzaga Ordinis nostri Patronus concedit , ac nostræ Mantuanæ Congregationi Ecclesiæ adjungit , vulgo *S. Maria del Frassino* appellatam , miraculo , quod ibidem circa annum 1505. accidit , valde spectabilem . Portentum autem istiusmodi fuit . Eo in loco e Fraxini arbore Dei Matris Imago pendebat : duo villici , qui currum ducebant , illinc transeuntes , duas cereas candelas furati sunt , quæ ad simulacri illius pedes a piis hominibus positis fuerant . Virgo istorum avaritiam , atque irreverentiam eodem temporis momento prodigo ulta est ; nam , ait Historicus , *appensas dum auferunt candelas , abmutuerunt duo , immobile planstrum , quo vehebantur , immobiles O' boves steterunt .* Facinus illi ubi cognoverunt , ad Virginem recurrent , a qua novo miraculo veniam simul , eloquium , & motum impetrarunt . *Recurrunt boves , O' viri ipsi , soluta jam lingua , Mariam adorant .* Evulgato deinde miraculo , Episcopi jussu Ecclesia fuit ibidem in Virginis honorem constructa , atque a miraculo ipso *S. Maria del Frassino* nuncupata . Eaque tunc temporis Patribus nostris do-

donata, eodem in loco ædificarunt Cœnobium. *Dimesmundus in his tor.*  
*Mantuana par. 2. lib. 6. ¶ 7.*

Die 20. Martii ejusdem anni 1516. Mantuæ fato cessit Generalis noster Baptista Hispaniolus, sive Mantuanus. Eo defuncto, Pontifex Leo X. duo Pontificia Brevia edidit. Primum sub die 30. ejusdem mensis Martii, quo Generalem totius Ordinis Vicarium Joannem Baptistam de Parma instituit, amplissima cum potestate, eademque cum illa, qua Generales gaudent Priors.


Ex quo sane apertissime infertur, quam valde vapulet Possevini, aliorumque opinio, qui autumant, Baptistam Mantuanum extremis suæ vitæ annis, ac tertio post Generalatus adeptionem, munere illo se abdicasse. Siquidem, si id verum esset, cur post ejus obitum Generalis Vicarius, qui Religionem regeret, foret destinandus? Præterquam quod idem Pontifex Baptistam in suo Brevi ad extremam usque vitam Generalem Ordinis Priorem adpellat; inquit enim: „Cum quondam Baptista Mantuanus, dum viveret, totius Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo Prior Generalis, nuper fuerit vita functus,; & paullo post per Mantuani obitum Religionem sine Præfule dicit, ¶ ne si ne Capite existat, Generalem instituit Vicarium. Igitur ipse solus quoad vixerit Supremus Ordinis extitit Præfectus. Verum tamen est, Baptistam de Parma, vivente adhuc Mantuano, Vicarium Generalem quidem fuisse, ut ex eodem Brevi colligitur, at non totius Ordinis, & absolutum; sed Prioris tantum Generalis, et ipsi subjectum; ab eodem Romæ in sui locum suffectum, dum ille morbo forsan prægravatus in Patrium secessit Cœnobium, ubi diem supremum obiit.

Altero vero Brevi, die 7. Aprilis ejusdem anni edito, S. Pontifex Mantuano Conventui assignat, atque unit cuncta bona, ac pecuniam a Generali post mortem relictæ, quocumque jure non obstante, quod super illis habere quomodolibet possent, sive Religio, sive alii Mantuanæ Congregationis Conventus. Prodiit autem illud Breve, postulante Sigismundo Cardinale Gonzaga, Mantuano, atque Ordinis Protectore.  
*Bull. Carm. tom. 1.*

Sed ut ad Mantuanum, nostrum præclarissimum Præfulem, redeamus, libet ejus brevissimum Regimen Carminibus claudere, quæ ipsem, ingravescente jam ætate, & quasi proximæ mortis præscius condidit, qnæque eruditionem ejus simul & pietatem ostendunt; suntque sequentia:

*Ad scenium veni, stadium vitale cucurri,  
 Et fero jam dudum pro pugione rudem.  
 Liber ab hoc tandem mortali corpore vadam  
 Ad superos, vel quo me Deus ire volet.  
 Ipse mibi Pater est, quocumque vocaverit, ibo:  
 Et mala non ægra singula mente feram.  
 Me tamen illius precor, ut Clementia blande  
 Suscipiat, sceleri nec sit acerba meo.  
 O populi, pacem, qui me coluistis, babete;  
 Et pro me accensis sacrificare focis.  
 Tu quoque Carmeli Montis longæva Propago  
 Spiritui fac sis officiosa meo.  
 Crebra Sacerdores pro me libamina Christo  
 Reddite, & ad veniam sollicitate Deum.  
 Auditor tom. 2. in fine, sub titulo : *Sua Vitæ Epitome*; ad Poste-  
 ritatem.*





## XXXII.

## JOANNES BAPTISTA SECCHIA.

**J**OANNES BAPTISTA SECCHIA, a Carolo Vaghio a Sedulis (potius a *Situlis*) compellatus, ab aliis vulgo a *Parma*, quæ Civitas Longobardiæ est, ubi anno a Partu Virginis 1462. natalem diem habuit. In Patrio Conventu, qui tunc nondum erat Mantuanæ Congregationi adjunctus, Carmelitico Ordini nomen dedit, indeque anno 1509. ad Mantuanam Congregationem transivit: in qua primum Parmensis Conventus Prior anno 1511., posteaque anno 1512. illius S. Chrysogoni Urbis Romæ, simulque Congregationis Generalis Procurator electus est. A Generali Baptista Mantuano, adhuc vivente, Ordinis Generalis Vicarius, & Visitator fuit destinatus, omnimoda cum potestate, atque jurisdictione super omnes Fratres, & S. P. Leo X. *occurrente obitu dicti Baptiste*, Capituli Generalis Præfulem, & Generalem Vicarium eumdem etiam creavit, ut ex infra scripto ejusdem Pontificis Brevi satis manifesto elicitur.

Secuto deinde Baptistæ Mantuani obitu die 20. Martii 1516., idem Pontifex Leo X. speciali suo Brevi sub die 30. Martii ejusdem anni Joannem Baptistam de Parma totius Carmelitici Ordinis Apostolicum Generalem Vicarium declaravit, amplissimis cum hujusmodi facultatibus: „ Cum pote-  
„ state per te, vel per alium, seu alios, quoscumque Con-  
„ ventus, domos, & loca dicti Ordinis visitandi, corrigen-  
„ di, puniendi, reformandi, & demerentes deponendi, Stu-  
„ dentes ad gymnasia ordinandi, idoneos ad Magisterii, &  
„ alios gradus promovendi, taxas Priori Generali debitas  
„ exigendi, Generale Capitulum pro futuri Prioris Genera-  
„ lis dicti Ordinis electione, ubi melius tibi videbitur, quan-  
„ to-

„ tocitius poteris , & alia Provincialia Capitula congregandi , & celebrandi , electiones quaslibet faciendi , & electos confirmandi , nec non alia omnia , & singula in præmisisis , & circa ea necessaria , & opportuna , & quæ ad Prioris Generalis Officium quomodolibet pertinent faciendi , mandandi , & exequendi , donec novus Prior Generalis per Fratres dicti Ordinis electus , & confirmatus fuerit &c.

Omnibus hisce amplissimis facultatibus usus est Joannes Baptista summa cum prudentia , ac zelo , præter Generalis Capituli præfecturam , quod celebrare nequivit , morte præventus sub initium mensis Aprilis anno a Christi Nativitate MDXVII. Nam die 16. ejusdem mensis aliud Apostolicum Breve emanatum adspicitur , quo idem Pontifex Leo Generalem Vicarium , & Generalis Capituli Senis celebrandi Præfulem , Bernardinum Landuccium Senensem instituit. Eo igitur tempore e vita discessit Joannes Baptista de Parma in S. Chrysogoni Urbis Romæ Conventu ætatis suæ anno LV. ; postquam universum Ordinem Generalis Vicarii munere annum dumtaxat moderatus est .

Quæ hactenus de Joanne Baptista dicta sunt , ex duobus Leonis X. Brevibus eruimus , a Bullario nostro tom. I. relatibus : atque etiam a Carolo Vaghio excerpsumus suis in Commentariis Congregationis Mantuanæ pag. 263. ubi Joannem compellat : *Virum pietate , litterisque per celebrem , & inter doctos sui temporis connumeratum , Concionatorem egregium , & ardentissimum &c.*





Bernardinus <sup>XXXIII</sup> Landuccius  
Senensis

*a Julio II, 1512, et feone X, 1516 Pecarius Ginalis  
institutus. Senis in Comitijo Maij 1512 electus Ginalis Prae-  
fuit annis 2. Decessit Roma 20 Martij 1543. Etatis sue an-*

*Arnold. R. Wierckhout Scul.*

## XXXIII.

## BERNARDINUS LANDUCCIU.S.

Bernardinus Landuccius, natione Hetruscus, patria Senensis, ideoque *de Senis* etiam nuncupatus, Carmeliticum Institutum in Longobardiae Provincia amplexus, atque in Januæ Cœnobio professus est: a Lucio nostro nuncupari meruit: *Theologus insignis, & Philosophus egregius: utpote qui in utroque genere scientiae clarus effulgit.* In maximo fuit apud Ordinem suum existimationis gradu, cuius sane rei insigniores ab ipso gesti honores satis luculentum præbent testimonium. Fuit enim primum Hetruscæ Provinciæ Provincialis Prior, quo charactere Generali Capitulo, Placentiæ anno 1503. celebrato, interfuit, ibique a Generali electo Petro Terasse Generalis Ordinis Procurator institutus est, quo in munere in sequente Generali Capitulo, Neapoli habito anno 1510., iterum confirmatur. Terasse anno 1511. extincto, Apostolico Brevi Generalis Ordinis Vicarius, proximique Capituli Praeses a Julio II. creatus est; quod cum bellorum caussa ad alium annum translatum esset, per alium & annum, alioque Brevi in eodem munere Landuccius fuit prorogatus. Habitac deinde Romæ Generalibus Comitiis 1513., ac Baptista Mantuano Generali creato, Bernardinus Ordinis Generalis Procurator tertio nominatus est, simulque Romanæ Provinciæ Provincialis. Defuncto deinde triennio post Baptista Generali, postque ipsum Joanne de Parma Apostolico Generali Vicario, a Leone X. idem Bernardinus in hujus locum subrogatus est, *utpote quem experientia in bujusmodi officio religiose, & prudenter se gessisse, & omnia ad tale officium spectantia, quoad fieri potuit, exercuisse, & perfecisse docuit, ut Apostolico in Brevi diei 16. Aprilis 1517. exprimitur, quo Pontifex*

sex non modo Generalem Vicarium , & futuri Capituli Præsidem illum declaravit , sed etiam ei potestatē fecit absentium Provincialium supplendi suffragia .

Iis igitur Generalibus Comitiis Senis hoc anno 1717. celebratis , Landuccius ipse ad supremam Ordinis Præfecturam communī omnium plausu electus est . Munus hoc ubi capessivit , Provincias statim visitandas sibi suscepit , Apostolici Commissarii auctoritate non modo munitus , sed etiam Leonis Pontificis Apostolicis litteris Tolosano Senatui , nec non Laurentio de Medicis Urbini Duci , suoque Nepoti , in Gallia tunc temporis commoranti , eidemque Ludovico Galliarum Regi missis , ut ei pro libero officii sui , & Apostolicæ Commissionis exercitio patrocinium , & auxilium præstarent suum . Visitavit itaque primo Albiensem Congregationem noviter erectam , quæ tunc Reformationis specie Religionis Præfectorum haud parum exagitabat , deinde omnes alias Galliæ , ac Germaniæ Provincias , in cunctis veram Reformationem , exactissimamque Regularē Observantiam , ubique opus erat , stabiliendo .

Hisce , aliisque gloriose gestis , Bernardinus , dum alterius Generalis Capituli celebrationi , jam Neapoli indicti , animum intendebat , annis non minus , quam laboribus fratris , Romæ gravi morbo correptus est , ubi tandem vitam cum morte commutavit vi. Kal. Aprilis MDXXIII. septimo sui Generalatus anno , Hadriano VI. Christi Ecclesiam moderante . Obiit in Veteris Transportinæ Cœnobio , ubi etiam conditus est . Ejus vero cineres fuerunt postea , Nicolai Audethii Generalis iussu , ad Templum S. Martini ad Montes translati , ubi aptissimo in tumulo adhuc jacent , cum ejus Icone , & sequenti cum titulo :

D, O.

D. O. M.

Bernardino Landuccio Senensi  
 Viro doctrina incomparabili  
 Carmeliticæ Religionis  
 Antistiti Præstantissimo  
 Hic Audeth Successor Pientiss. f. c.  
 MDLXII.

*Res memoria dignæ sub Landuccii regimine.*

1517. **M**ortuo hoc anno Generali Ordinis Vicario Joanne Baptista de Parma, in ejus locum a Leone Summo Pontifice Vicarius, ac futuri Capituli Præses Bernardinus Landuccius substitutus est: alioque Brevi diei 26. Aprilis potestatem ei facit eodem in Capitulo Provincialium absentium supplendi suffragia, aliosque in eorum vicem subrogandi. *Bull. Carm. tom. I.*

Sequenti mense Maii, die Pentecostes Festo, Senis Generale Capitulum celebratur sub ejusdem Vicarii, atque Apostolici Præsidis Bernardini Landuccii auspiciis: quo sane in Capitulo idem Landuccius cunctis suffragiis Generalis totius Ordinis Prior electus est; & quoad Procuratoris Generalis munus statuitur, *quod nullus sit Procurator Ordinis, nisi Reverendissimus Pater Generalis, & quod ipse non habeat prævidere, nec aliquid dare pro taxatione dicti Procuratoris.* Etsi in sequente Capitulo suffragium tulisse legatur Simonem quemdam, qui Ordinis Procurator dicitur. *Ex Papy. Ord.*

Eodem anno Pontifex Leo X. Pontificiam Constitutionem circa Provincialium regimen renovat, præcipiens, ne eorum officium in posterum, & in perpetuum triennium excedat. *Bull. Carm. tom. I.*

Sub idem tempus teterimum illud Septemtrionis monstrum Martinus Lutherus hærefoes suæ dirum venenum vomere cœpit, quæ sane Ecclesiæ, Sanctæ Sedi, atque omnibus Religionibus exitio fuit, in quas potissimum, una cum Calvino ejus Sectatore, invectus est. Eoque tempore Ordo præcipue noster tot sua Cœnobia destructa, spoliatas Ecclesiæ, occisos, aut expulsos Fratres, ac demum sex Provincias desolatas, ac perditas omnino vidit; nimirum Bohemiæ, Saxoniæ, ac Daciæ primum, indeque Angliæ, Hiberniæ, & Scotiæ Provincias. *Histor. Eccles.*

*Neque vero ( inquit Cardinalis Bellarmius lib. de Monachis ) novum est hoc bæretorum adversus Monachos bellum , neque recens mali dæmonis artificium , per Monastica vita oppugnationem Ecclesiam universam petere . Sicut enim quotquot fuerunt unquam pii Scriptores , tum sermonibus , tum scriptis libris , hoc genus vita laudibus in Cælum extollere conati sunt ; sic nulli fere unquam bæretici extiterunt , qui vel nomen Monachorum pati potuerint . Hinc merito tanquam suspecti , aut certe parum pii norantur , qui Religiosis Ordinibus infestii sunt . Addit Daniel a V. M.*

1518. Die 12. Junii hujus anni idem Leo Pontifex Bullam editit , quæ incipit : *In Apostolice Sedis , qua nostrum P. M. Stephanum de Bassignana , Gubernatorem , ac perpetuum Administratorem constituit in spiritualibus , & temporalibus cum mero , & mino imperio , & gladii potestate Gorgonæ Insulæ , quæ primum Carthusianorum erat , posteaque ab eis derelicta , ideoque frequentibus Piratarum incursionibus subiecta : potestate etiam Stephano concessa , alias post ejus obitum cum eisdem juribus , & facultatibus destinandi , ac pariter unum , aut plura Religionis suæ Cœnobia in Insula illa construendi , aliisque cum facultatibus , quas in eadem Bulla legere est . Bullar. Carm. tom. 1.*

Gorgona , ut ipsum Ferrarius in suo Lexico Geograph. describit , „ est Insula parva Italiz inter oram Thusciæ , & Corsicam , alias sub „ dominio Pisanorum , nunc autem magno Duci Hetruriæ paret . In „ ea est tantum vicus cum turri ; 25. milliaria distat a Liburno in oce- „ casum ; & 40. ab Ostio Macræ in Austrum ; estque tota montuosa , . Eo tempore Insulam hanc , utpote a Carthusianis Patribus derelictam , Pontifex immediate Sanctæ Sedi , & mediate Florentinis subjecit , ut ex eadem patet Bulla .

Num vero Pontifica concessio effectum suum fortita fuerit , nec ne ; nihil certius statui potest . De eximio hoc Patre Stephano , Longobardiz Provinciae alumno , loquitur Cosmas Villiers Bibl. Carm. tom. 2. sub Stephani a Bassignana nomine .

1519. Idem Leo Pontifex die 10. Decembbris hujus anni celebrem Bullam edidit : *Dudum per Nos , qua omnes , & singulas concessiones , Indulgencias , peccatorum remissiones , prerogativas , favores , immunitates , cæmptiones , facultates , privilegia , indulta tam spiritualia , quam temporalia , qualiacunque illa essent , a se , & a suis Prædecessoribus concessa , & cuilibet Mendicantium Religioni concedenda , motu proprio , & ex certa scientia , ac deliberatione concedit , atque Apostolica ejus auctoritate*

ritate indiscriminatim communicat omnibus , & singulis eorumdem Mendicantium Ordinum in particulari . *Bull. Carm. tom. 2. pag. 19. in Append. ad primum tom.*

Quæritur hic a nonnullis , num ex eadem Pontificia Privilegiorum inter Mendicantes communicatione , Privilegium quoque Sabbatinum eisdem communicatum fuerit , a B. Virgine Religiosis , & Carmelitis Confratribus promissum , & concessum , atque in Bulla Joannis XXII. contentum ? De quo diximus ad ann. 1322.

Carmeliticis sepositis Scriptoribus , percontationi respondebunt duo exteri Auctores , quacumque cupiditate vacui . Primus est eximius vir Joannes Carthagena , Seraphici Ordinis Religiosus , qui *lib. 17. Homil. Homilia 1. de eodem Sabbatino Privilegio loquens* , sic scribit : „ Singulare certe gratia , qua nulla alia Religio potitur , quamvis enim Seraphici nostri Patris S. Francisci habitum portantibus plenaria indulgentia concedatur , ejus tamen reliqui Mendicantium Ordines particeps redduntur , gratia vero Sabbatinæ Bullæ propria est illius , & non aliis communis .

Alter vero est eruditissimus Antonius Sanderus , qui in *Brabantia Illustrata* eadem fere scripta reliquit : „ Privilegium Bullæ Sabbatinæ divinum est , non humanum , cælestè est , non terrenum ; propterea hic verissime dictum intelligam , quod aliunde Arnoldus Carnotensis scripsit : Maria Mater postulat , Filius approbat , Pater decretat . Hoc ergo Privilegium in Cælis datum , per ipsam Virginem Mariam ad terras delatum , per Joannem XXII. est confirmatum , & promulgatum , ut ejus Bullæ verba docent ; & paullo inferius : „ Hoc Bullæ Sabbatinæ Privilegium ita Carmelitanis Patribus est proprium , ut nulla privilegiorum communicatione aliis fiat commune „ . Id quod ex Pontificiis Diplomatibus confirmat . *Vid. Daniëlem Vinea Carmel. pag. 468.*

1520. Venerabile Monialium Carmelitarum S. Mariæ Angelorum Civitatis Florentinæ Monasterium , quod deinde magnam Carmeli Seraphinam S. Mariam Magdalenam de Pazzis protulit , hoc anno Leonis X. iussu a Religionis , & Generalium jurisdictione , cui a limine ejus fundationis erat subiectum , eximitur , atque Archiepiscopo immediate subjicitur . Rituque Carmelitano relicto , Breviarium Romanum Moniales illæ amplectuntur , additis dumtaxat Sanctorum Carmelitanorum Officiis . *Carolus Vagbius Comment. pag. 66.*

1521. Memoratu sane digna , neque hic omittenda est alia ejusdem

dem Leonis Bulla : *Sacer Ordo vester*, sub die 27. Maii hujus anni edita, qua Pontifex Apostolica auctoritate Privilegia omnia, Indulgencias, exemptiones, gratias, prærogativas, atque indulta ab aliis Romanis Pontificibus Ordini nostro concessa, adprobat, renovat, & confirmat. *Bull. Carm. tom. I.*

1522. Ad æternam quietem hoc anno convolavit Ven. Dominicus Darius Neapolitanus, Carmeli Majoris Neapolis alumnus, vir probata virtute, ac poenitentia clarus, tantaque Sanctitatis opinione occupauit, ut palam *Beatus* haberetur, prout inquit Petrus de Stephano accuratissimus Parthenopæus Scriptor in *Descript. Locor. Neap.* in lucem edita anno 1560., nempe post illius obitum annis triginta, & octo. Mortuus est in Pausiliyi Cœnobio, *S. Mariæ de Paradiso* nuncupato, ab eodem Dei Servo constructo, in ejusque tumulo sequens legitur Inscriptio:

D.	O.	M.
Venerab. F. Dominico Dario Carmelitæ		
Viro Sanctitate, & Religione ornatissimo		
Qui		
Ut arctiorem vitam duceret		
Hanc Sacram Domum erexit		
De Paradiso ad Paradisum transiens		

A. D. MDXXII.

1523. Die 27. Martii hujus anni vitam cum morte commutavit Generalis Bernardinus Landuccius, in ejusque locum Religioni regendæ Generalis Vicarii munere Heliодorus Ptolemæus Concivis suus subrogatus est, ut mox dicemus.





XXXIII

*Heliodorus Ptolomeus  
Senensis*

*ab Adriano VI 1523 institutus Vicarius Gnatius. Praesul mensibus 3. Decem  
sit Senis die 29 Iuly 1523. Aetatis sua an.*

*Eugenius V. Westerhout Sculpsit.*

## XXXIV.

## HELIODORUS PTOLEMÆUS.

**G**enerali Landuccio vita jam functo, in Ordinis regimine eidem successit Heliodorus Ptolemæus, Apostolicus Generalis Vicarius, qui in Senarum Civitate e nobilissima Ptolemæorum Familia ortus, Carmeliticum Institutum cum fuerit amplexus, inter Hetruscæ Provinciæ Alumnos adscriptus est. Bernardini ipsius nedium successor, & concivis fuit, sed ei, cum in humanis esset, ob eximiam animi sui virtutem carissimus fuit. Primum enim bonorum suorum, quæ vi potestatis, a Placentino Generali Capitulo sibi factæ, Senarum Conventui pro illius extirpatione, ac reformatione promovenda donaverat, Heliodorum Administratorem, atque Economum constituit: quam sane institutionem post Bernardini obitum Hadrianus VI. Brevi suo diei 5. Maii 1523. Apostolica auctoritate approbavit, atque in Heliodoro, quoad viveret, confirmavit; ipsoque Brevi Ordinis ipsum Generalem Procuratorem Pontifex appellat, a Landuccio quidem propria auctoritate institutum, cum in antecedente Generali Capitulo nulla de hac institutione habeatur mentio.


Fuit deinde ab eodem Generali Priore Provinciæ Neapolis, in cuius Urbis Conventu proximi Generalis Capituli celebratio erat itidem assignata, Provincialis Vicarius Heliodorus constitutus; eamque Provinciam regebat, dum e vivis die 27. Martii 1523. Landuccius sublatus est; hinc Heliodorum inter, & quemdam Jacobum Flamingum orta est quæstio, uter eorum Ordinis regimini deberet succedere: Heliodoro id sibi contendente, quod Neapolitanæ Provinciæ, pro Generali celebrando Capitulo destinatæ, Provincialis Præfектus esset; altero vero, nempe Flamingo, aliis de caussis. Delata hinc re

re, Hadriani Pontificis jussu, ad Nicolaum Cardinalem, Ostiensem Episcopum, atque Ordinis Vice-Protectorem, partibus auditis, pro Heliodoro Cardinalis decrevit. Quæ sane decisio non modo a Pontifice fuit postea adprobata, sed etiam speciali Brevi Apostolicus totius Ordinis Generalis Vicarius Heliodorus declaratus est.

Sed hic, et si ad Generalis Vicarii munus fuerit exercitus, eoque legitime potitus; haud diu tamen illud exercuit; siquidem vix tertio regiminis sui expleto mense, in patrio Senarum Conventu, mortali morbo correptus, e vivis excessit xi. Kal. Augusti anno Reparatæ Salutis MDXXII. Ecclesiam gubernante Hadriano VI.

Heliodoro vita functo, Generalis Ordinis Vicarius Nicolaus Audeth ab Hadriano VI. creatus est, indeque Generali Capitulo Venetiis celebrato Generalis Prior electus, ut infra dicemus. At contra Nicolaum, ejusque electiones insurrexit Stephanus Joandesius Provinciæ Narbonensis Provincialis, ea ratione ductus, quod Capituli Generalis celebratio, antequam Neapoli esset indicta, Lugdunensi in Conventu fuerat assignata; hinc non modo Generalis Vicarii munus sibi adrogavit, sed etiam G. Capitulum in Monte Pessulano convocavit, ibique ab aseclis suis G. etiam Prior electus est. Verum caussa apud S. Sedem delata, eumdem etiam patrocinante Regina Ludovica, Francisci I. Galliarum Regis Matre, ac semel, & iterum discussa, pro Nicolao decisum est; atque Brevi Apostolico sub die 12. Januarii 1526. Clemens VII. declaravit, Generalatus Officium ad eumdem Nicolaum jure spectare, ac spectavisse, perpetuoque silentio hanc super rem imposito, Stephano districtius inhibuit, ne in dictum Generalatus Officium se præsumeret intromittere, ut patet ex Bull. Carm. tom. 2. pag. 20.





XXXV  
*Nicolaus Audeth*  
*Cyprius*

ab ADRIANO VI. institutus Vicarius Genit. in Comitiis Venetiarum  
die 8. e Maij 1524 electus Genit. Praesul annis 40. Decasit Romae  
Coron. Tranportatus 6 Ximbris 1562. Etatis sue annorum 82. n.

E Arnoldus Van Westerveldt fecit

## XXXV.

## NICOLAUS AUDETH.

**N**icolaus Audethius Cypri, quæ Asiac est Insula in Mari Mediterraneo, natus est annos circiter post Christum natum MCCCCCLXXX. Carmeli lanas induit in Famagustæ Conventu, sepulcro, ac miraculis D. Petri Thomæ spectatissimo. *Vir*, a Petro Lucio Belga vocatur, græce pariter & latine eruditissimus, *Theologus celeberrimus*, *vita*, & *conversatione cunctis amabilis*. *Doctrina etiam*, & *morum integritate conspicuus*, addit Daniel a V. Maria. In Generalibus Comitiis Senis habitis anno 1517. Terræ Sanctæ Provincialis creatus est, potestate sibi facta in Cypris Coenobiis Provincialem Vicarium instituendi, cum ipse interea in Italia degeret. Inter hæc tempora, obitu primum Generalis Bernardini Landucci, posteaque Generalis Vicarii Heliodori Ptolemæi, totius Ordinis Generalis Vicarius electus est ab Hadriano VI. anno 1523. eoque defuncto, a Clemente VII. in eodem munere confirmatus. In sequenti anno, Generali Capitulo Venetiis convocato, cui & ipse præfuit, unanimis omnium suffragiis ad supremum Generalis Prioris honorem electus est, qua in dignitate in iis etiam, quæ subsecuta sunt, Comitiis tertio, vivaque voce fuit confirmatus.

Munus ubi capessivit, omne suum studium in Dei, atque Ordinis sibi commissi gloria promovenda collocavit. Nam Constitutiones a se conditas, atque a S. Sede adprobatas, ad Regularem Disciplinam in Coenobiis conservandam aptissimas, statim evulgavit. Quin, ut eadem ubique vigerent, Provinciarum Monasteria pene omnia excurrit, ac religiosissime visit, præsertim, quæ in Italia, Gallia, atque Anglia occurrunt: nec ea quoque visenda omisit, quæ Albiensis, &

Man-

Mantuanæ erant Congregationum, ad quæ etiam Visitatoris, & Commissarii Apostolici nomine, speciali auctoritate Summi Pontificis Clementis VII. constituti, se contulit; variis undequaque Pontificiis litteris munitus, quæ ipsum tum Regibus illarum Regionum, tum eorum supremis Administris valde commendabant.

Ob eximias animi sui dotes, non modo Sæcularibus, sed etiam Ecclesiasticis Principibus in primis placuit: præ ceteris vero eidem Clementi VII., cui a confessionibus quoque erat, atque addictissimus; ut potissimum ostendunt tot, ejus postulatis, ab illo editæ Bullæ, tum pro Religione, tum pro Nicolao ipso, vel contra Stephanum quemdam, qui ei munus primum Generalis Vicarii, deinde etiam Generalis Prioris contendebat, vel contra binas illas Congregationes, Albensem scilicet, ac Mantuanam, quæ supremæ ipsius auctoritati resistebant. Jussu insuper ejusdem Pontificis cum aliis Ordinis Theologis ad Tridentinum Concilium profectus est, ubi cum jure suffragii duorum annorum spatio cunctis in Sessionibus, aliisque actis Synodalibus adstitit.

Religioni quadraginta circiter annos Audethius præfuit, pari semper studio, ac prudentia, miserrimis illis temporibus, quibus Lutheri, & Calvini Hæresis universam commovit Ecclesiam, nostroque Ordini quamplura Monasteria, & Provincias eripuit, & Schisma etiam Henrici VIII. totam, ac numerosam Angliæ Provinciam desolavit. Quamquam Summi Numinis admirabili Providentia eadem nostra Religio quadraginta Cœnobia in una Italia, ipso gubernante, sibi comparaverit.

Denique non minus annis, quam meritis plenus, Roma diem obiit supremum VIII. Idus Decembris MDLXII. ætatis suæ annum agens LXXXII. regiminis vero circiter XL. Pio IV. Summo Ecclesiæ Pastore. Sepultus est in Divæ Mariæ Trans-

pon-

pontinæ Templo, a quo deinde in illud S. Martini ad Montes translati ejus cineres, in marmoreo tumulo fuerunt conditi, cum vera Nicolai Icone, & eo, qui subnectitur, æternali titulo:

D.	O.	M.
R. P. Nicolai .	Audeth .	Cyprii
Ossa .	Ex .	D. Mariæ . Transpontinæ
Templo . translata		
Die . xviii. Febr. MDLXXXVII.		
Recondita . Hic . requiescunt . Rexit		
Ordinem . Carmelitarum		
Ann. xl. & . vita . funetus . est . die . vi. Decem.		
MDLXII. Annum . agens . lxxxii.		

*Res memoria dignæ sub Audethii regimine.*

1524. **S**Ub Audethii auspiciis, qui tunc temporis Generalis Apostolicus Vicarius erat, Generalia Comitia Venetiis habentur, in iisque, ut supra dictum est, Audethius ipse Generalis Prior renuntiatus est, ac Stephanus de Brixia Generalis Procurator eligitur. Actum est in eo Capitulo de universi Ordinis Reformatione, ipso etiam jubente Pontifice: hinc varia decreta conduntur, novæ etiam Constitutiones ab Audethio publicantur, una cum illis Ven. Joannis Sorethii a S. Sede confirmatis, atque omnibus perfecta præcipitur obtemperatio. Statuitur præterea, *ut nemo de cetero audeat nutrire barbam, & eam hactenus deferentes, sine dilatione deponant sub pena rebellionis.* Excipitur tamen unus Reverendissimus Generalis, *tum quia ex partibus Orientalibus est, & Prælati Orientales deferunt barbam propter amissionem Terra Sanctæ; tam quia fuit sæpe Romæ eodem modo, & visus est pluries a SS. Domino.* Ex quo sane infertur, ad hæc usque tempora in nostro Ordine barbam deferendi morem viguisse. Decernitur tandem, ut Conventus Neapolitanus, *qui inter ceteros in Italia obtinet principatum, immediatæ Generalis subsit jurisdictioni.* *Ex Papy. Ord.*

1526. Varias lites, ac contentiones ea tempestate cum Audethio Generali duæ illæ Congregationes Albiensis, & Mantuana instituunt,

A a

ut

ut ex plurimis Bullis a Clemente VII. sub illius regimine emanatis colligere est, quas omnes reperies in nostro Bullario tom. 2. Ea vero, quæ præcipue contendebant, hæc erant. Primo Professionem sub nomine sui Vicarii Generalis emittere. Secundo ritus, & cæremonias, ab antiquo Ordinis Rituali valde discrepantes, adhibere. Tertio denique Statutis Capitulorum Generalium Ordinis minime subjici. Hinc idem Clemens VII. speciali Bulla, quæ incipit: *Officii nostri*, edita die 5. Martii hujus anni postquam dixerat, *Observantes a non Observantibus per solas negligentias, & non per diversificationes dignosci, unumque esse Corpus, & unum solum Caput principale, nempe Priorem Generalem, cui omnes proinde, pro ut membra, debent subesse, & Provinciales, & Vicarii Generales*; præcipit, *ut de cetero omnes, & singuli Professionem sub Priore Generali, & non sub persona cuiusvis alterius emittant; quodque omnes Fratres cæremonias junta antiquum Ordinis Ordinarium faciant; ac Statuta Capitulorum Generalium, Conventus totaliter Reformatos concernentia, suscipere, & admittere, illaque observare debeant.*  
 Bull. Carm. tom. 2.

1528. Hoc anno, pietate erga Sacrum Scapulare, aut refrigescente, aut ab æmulis quibusdam in dubium omnino revocata, universi Ordinis rogatu idem Pontifex Clemens alia Bulla, quæ incipit: *Dilecti Filii*, adprobat, atque confirmat Joannis XXII. & Alexandri V. Bullas circa Privilegium, vulgo *Sabbatinum* nuncupatum, a Beatissima Virgine Fratribus, & Confratribus promissum. Quæ Bulla, cum non fuerit publicata sub plumbo infra annum, ut in eadem præscribebatur, idcirco ab eodem Pontifice Clemente altera edita est anno 1530. quæ incipit: *Ex Clementi*, qua clarius dixit, quod expresserat in prima. Utraque Bulla in Bullariis tum Rodriguez, tum Laertii Cherubini refertur. Eadem secunda Clementis Bulla fuit deinde a Paulo III. confirmata.

1532. Generalia Comitia ab anno 1530., quo erant celebranda, ob bella, pestilentiam, & famem Pontificia auctoritate hactenus dilata, hoc anno, die 18. Maii Patavii habentur. In iis Audethius iterum, atque invitus Generalis Prior electus est: electio vero Generalis Procuratoris arbitrio Generalis Prioris relinquitur; ea tamen lege, ut *de biennio ad biennium, & ex natione in nationem eligeretur*; & præterea statuitur, ut extincto, aut ad dignitatem aliquam assumpto Generali Priore, non possit Generalis Procurator ullum Superioris officium in Ordine suscipere usque ad Generale Capitulum; sin secus, cujusvis officii incapax sit. Quæ duo deinceps minime fuerunt servata.

In-

Inter alia statuta , eo in Capitulo condita , fuit etiam illud , ut omnes Religiosi eodem utantur habitu , & ejusdem coloris , in Italia nempe grisei , extra Italiam vero nigri . *Ex Papy. Ord.*

1535. Hoc anno D. Theresia Sacras Carmeli Lanas induit in Monasterio , Incarnationis nuncupato , Civitatis Abulæ , ubi sequeente anno sollemnem emisit Professionem . *Ex ejus Vita.*

Eodem anno , Anglico Regno infaustissimo , Henricus VIII. ab Ecclesia Romana descivit : „ hinc invasit ( teste Nicolao Sandero de Orig. „ *O progres. Scbism. Angliae lib. I.* ) & occupavit trecenta septuaginta „ sex Monasteria , quorum spolia cesserunt in Fiscum Regium , omnif. „ que supplex , & bona mobilia . Triennio post Rex ipse sua auctori- „ tate Novembri mense quatuor Ordines , qui dicuntur Fratrum Men- „ dicantium , universis suis ex Aedibus ejecit : eorumque Monasteria , „ ac ædificia sibi applicuit „ . Tunc quoque universa simul Monasteria totius Regni evertit .

Hoc ævo amisit in primis nostra Religio celebrem illam Londinensem Bibliothecam , a Francisco Swertio hisce verbis deploratam : „ Bibliotheca Carmelitarum Londinensium , tota jam , proh dolor ! pe- „ riit , multitudine , & antiquitate superabat omnes , quot erant Lon- „ dini . Tot erant in ea nobilium Auctorum Volumina , Majusculis Ro- „ manis scripta , ut illa ætas decem ad minimum aureorum millibus „ æstimaverit , anno nimirum Christianæ salutis 1420. „ . Sed cum no- bilissima illa Bibliotheca universa Anglicana Provincia deperdita est , tot illustrium Virorum fœcundissima Mater , quos inter centum quadra- ginta Scriptores a Pitseo referuntur . Complectebatur tunc temporis quin- quaginta sex Conventus , & mille , ac quingentos Religiosos , qui miser- rima illa tempestate , aut occisi , aut suppliciis afflitti , aut exilio fue- runt mulctati . *Auctores citati.*

1536. Petentibus Panormi Prætore , ac Juratis , Paulus III. Apo- stolicis suis litteris præcipit , ut universus Clerus cum Sæcularis , tum Regularis , atque illius quoque Urbis Confraternites sollemni intersint supplicationi , a Carmelitis singulis annis primo die Dominico mensis Maii fieri solitæ , in qua una ex veris Spinis Coronae D. N. J. C. per Urbem circumfertur . *Bull. Carm. tom. 2.*

1539. Synodus Ordinis Generalis in Conventu Vicentino status Veneti celebratur , ubi iterum confirmato Audethio Generali , Ægidius Richardus Ordinis Generalis Procurator declaratur . *Ex Papy. Ord.*

1542. Hontiverii , quod est Castellæ Veteris in Abulensi tractu

non ignobile Oppidum, oritur D. Joannes a Cruce, Carmelitarum Discalceatorum primus deinde Pater. *Ez ejus vita.*

1548. Alia Generalia Comitia Venetiis celebrantur, ubi tertio Nicolaus Audethius Generalis Prior confirmatur, & Ordinis Procurator Generalis eligitur Antonius Marinarius Appulæ Provinciæ Provincialis: „Vir (de illo ait Petrus Lucius) undequaque doctissimus, qui in Concilio Tridentino egregium sui ingenii specimen præbuit, ad quinquaginta usque Hæreticorum argumenta ex ordine recensens, atque eorumdem rationes, & auctoritates adducens; & demum ordine retrogrado, ab ultimo ad primum usque clarissimis Scripturis, & rationibus confutans, & elidens: rarum profecto memoriarum exemplum,. Ita citatus Lucius, ex testibus, qui ibi adfuerunt.

His in Comitiis taxantur Provinciæ pro expensis a Reverendissimo Generali duobus annis erogatis, quibus Tridentinæ Synodo, una cum nonnullis Ordinis Provincialibus, Doctoribus, & Theologis adfuerat. Item licentia barbam deferendi conceditur solis Theologiæ Doctoribus, ac Generalis Prioris Sociis. Tandem præcipitur, ut in cunctis Religiosis Studiis Doctorum Ordinis doctrina a Lectoribus tradatur: nempe in Italia Joannis Bacconii; atque extra Italiam Michaelis de Bononia. *Ez Papy. Ord.*

1556. Confirmat Paulus IV. Bulla, quæ incipit: *Cum a Nobis, Gratias omnes, Privilegia, & exemptiones Ordini Carmelitarum, & ejus Confraternitatibus conceïta a Summis Pontificibus, Joanne XXII., Alexandro V., Clemente VII., Paulo III., Julio III., aliisque ejus Decessoribus; proindeque etiam Bullam Sabbatinam renovat, ac confirmat. Bull. Carm. tom. 2.*

XI. Kal. Novembris, hujus anni ad Cælum evolavit Ven. Angela de Arena Messanensis, vitæ Sanctimonia, ac generis nobilitate clarissima, quæ cum habitum Tertiariæ alterius Ordinis induere jam statuisset, nocte in somnis, Scalam a terris usque ad Cælum pertingentem adspexit, juxta quam duo aderant Sancti Carmelitani, qui eam sic sunt alloquuti: *Si vis ad Cælum ascendere, indu te Carmeli vestibus, & per bujusc gradus Scalæ tibi propositæ conscendens, astra secura tenebis; sumpsit illa, & cum maxima sanctitatis opinione obiit in Sicilia.* L. Maurolycus Cisterciensis Abbas, aliique.

1562. Moritur Audethius, atque in ejus locum Joannes Baptista de Rubeis a Pio IV. Generalis Ordinis Vicarius creatur. *Bull. Carm. tom. 2.*

XXXVI.





XXXVI  
*Joannes Baptista Rubeus*  
*Rauennas*

*a PIO. IV. institutus Vicarius Ginalis. In Comitijo Romæ habitis die  
21. Maij 1564. Electus Ginalis. Praefuit annis 16. Decessit  
ibidem 3. Iunij 1578. Etatis sue ann. 51.*

*Amstelodami Van Waterhout fecit*

## XXXVI.

## JOANNES BAPTISTA DE RUBEIS.

**R**avennæ, quæ vetustissima Italiæ Urbs est, ab illustri, ac nobili gente de Rubeis ortus est Joannes Baptista anno a Partu Virginis 1507., die vero 4. mensis Decembris. In patrio Conventu Carmelitico Ordini adscriptus, eos cum in humanis, tum in divinis litteris fecit progressus, ut a Petro Lucio Belga appellari meruerit: „Eruditissimus Theologus, Philosophus celebris, linguarum Græcæ, Latinæ, Italicae, Hispanicæ præditus, sermone disertus, stylo du riore delectatus, Cæsarem scilicet, aut Titum Livium magis, quam Ciceronem latine visus est exprimere,. Variis in Ordinis Collegiis Theologicas docuit Facultates; de quibus plurima etiam conscriptis; insignis Concionator fuit; publicus in Archigymnasio Romano Lector; Cardinalis Jacobi Sadodeti Theologus; Sacri Tridentini Concilii Consultor; atque a Pio IV. ad Ferrariæ Ducem, ac Urbini Ducissam Legatus missus.

Audethio Generali extincto, ab eodem Pontifice Pio totius Ordinis Generalis Apostolicus Vicarius creatus est anno 1562., ac deinde anno 1564. Generalibus Comitiis Romæ concitis, unanimis suffragiis ad Prioris Generalis munus fuit promotus. Supremam hanc dignitatem adeptus, ut numeris sui partes numeris omnibus absolveret, nullum non movit lapidem. Novi Transpontini Conventus exstructionem, ab Ordine jamdiu exoptatam, atque a Pontificibus satis commendatam, statim aggreditur. Provinciarum, & Conventuum visitationem instituit.

Italicis primum excursis, anno 1566. ad Hispaniæ, ac Lusitaniæ Provincias se contulit; ubi ob magnam sui famam,

mam, quæ undique increbuerat, incredibili lætitia non modo a Subditis Fratribus, sed etiam a Regibus ipsis fuit exceptus. Ulyssiponæ, in Cathedrali Ecclesia concessionem habuit, Hispano idiomate coram Rege, ac Regni Magnatibus; iterumque coram Lusitaniæ Equitibus; atque ab omnibus immensas laudes, ac plausus retulit. Madriti, præter alia amoris argumenta, Catholicus Rex Philippus II. Hispanorum Magnatum honores ei contulit, jubens, ut coram ipso caput operiret. Hisce in Regnis Provincias visit, Capitula convocavit, Conventus reformavit, undique legibus, statutisque conditis, ac publicatis, ut Conventus, ac Subditos ad primævam observantiam revocaret. Denique Avilam se contulit, ubi pluries cum S. Theresia colloquutus est, quæ tunc primævæ Regulæ observantiam tam in Religiosis, quam in Monialibus meditabatur; deque eo tam magnam Dei Serva opinionem animo imbibit, ut in lib. Foundationum, ipsum deinde appellari: *Insignem Dei famulum, in discretione, ac scientia præstantem. Virum admodum illustrem in Ordine, & iudicio pollentem.*

Ab Hispaniis in Galliam ad illas visendas Provincias, ac Generale Capitulum Parisiis habendum se conferre statuerat; immo tam Regi, quam Parisiorum Parlamento, ea de re jam scripserat Pontifex. Sed cum audivisset Rubeus, magnas ibi Conventuum nostrorum direptiones a Calvinistis tunc temporis fieri, in Italiam rediit; indeque Romam a novo Pontifice Pio V. vocatus est; ut ipse quoque, binis cum aliis Religiosis, nimirum Antonio Amulio Veneto, & Gulielmo Sirleto Calabro, novæ Sacrorum Librorum editioni incumberet.

At ubi innumera alia præstantissimus hic Præfus noster doctrinæ, pietatis, ac virtutis argumenta præbuit; tandem in eadem Alma Urbe debitum naturæ tributum persolvit,

an-

anno ætatis suæ LXXI., Regiminis XVI., a Partu vero Virginis MDLXXVIII. III. Non. Septembris; cum Christi Ecclesiam regeret Gregorius XIII. Sepultus est in D. Martini Templo, magnifico in tumulo sua effigie, gentiliis insignibus, atque Epitaphio decorato; ut adhuc cernitur. In ejus laudem hæc cecinit Marcus Allegrius *Parad. Car. Decor.*

*Omnia clara mihi sunt Nomen, Vita, Sepulcrum;  
Clarius, & præstans Spiritus ante Deum.  
Carmelam illustro virtute, Patresque decore:  
Qua subii forti vix toleranda viro.*

*Res memoria dignæ sub Rubei regimine.*

1563. **D.** Joannes de Cruce, alias Yepes, annum unum supra vi-

cesimum ætatis agens, in Metinæ Cœnobio, Carmeli lana-

nas induit; & quatuor post Religionis annos ad Sacerdotium evectus,

in primo, quod celebrat, Sacro: *infantilem puritatem, atque innocentiam* (privilegium rarum) & *in gratia confirmationem a Deo accepit;* quemadmodum persona eminentissimi Spiritus, Deo revelante, cognovit.

Ita ejus Vitæ Scriptor.

1564. Generalibus Comitiis, Romæ in Conventu S. Martini hoc anno celebratis sub Cardinalis D. Caroli Borromæi, Ordinis Protectoris, auspiciis, Generalis Prior electus est Joannes Baptista de Rubeis, tunc temporis Ordinis Generalis Vicarius; ejusque electio prima fuit per secreta suffragia facta, post novum Sacri Tridentini Concilii præscriptum: Procurator vero Generalis Jacobus Cherecatus, Vicentinus, nominatus est. Inter cetera autem in eo Capitulo statuta; primum fuit, *ut nemo sit Provincialis, nisi sit Doctor, & Præsentatus in Theologia.* Secundum, ut Magistri Provincialibus in Capitulis locum, & suffragium habeant; & demum, *ne appareant camisciæ Fratrum, neque in manibus, neque in collo, nisi fuerint laneæ.*

„ Durante Capituli celebratione (ut dicitur in ejus Actis) Reve-  
„ rendissimus Pater Ordinis, ex Indulto Apostolico (ea enim auctorita-  
„ te, tunc non pollebant Generales) ad Lauream Magisterii in Sacra  
„ Theologia promovit tres Patres, in Ecclesia S. Mariæ Transpontinæ,  
„ præsentibus Illustrissimis, & Reverendissimis Cardinalibus, Prælatis  
„ mul-

„ multis , universo Gymnasi Romani Doctorum cœtu , & quamplurimi  
„ mis Religionum Doctoribus , & Magistris . Ex Papyr. Ord.

Hoc anno finem accepit Sacrum Tridentinum Concilium , jam inde ab anno 1545. incæptum ; ubi ex nostris Religiosis , aut uti Synodales Patres , aut uti Principum legati , sive ut Theologi , Consultores , ac Prædicatores interfuerunt , Nicolaus Audethius Generalis , Joannes Baptista de Rubeis etiam Generalis , Stephanus Facinus , Desiderius de S. Martino , & Balthassar Limbus , alter Philippi II. Hispaniarum , alter vero Joannis III. Lusitanæ Regis Legatus , Vincentius de Leon , Julius Superchius , Laurentius Lauretus , Antonius Marinarius , atque Alexander Candidus . Ex actis Concilii .

1565. Melitensium Insula , præsentissimo Virginis nostræ de Monte Carmelo auxilio , à Turcarum fortissima obsidione eripitur . Successum referunt Bzovius , & Daniel noster a V. M. , qui postea subdit : „ Id autem B. Virgini Mariæ de Monte Carmelo acceptum referentes Insulani , e ceteris , quæ ab hostibus celebri triumpho reportavere spoliis , glandem ferream ab æneo Basilisco terribiliter explosam , una cum elegantissima latina epigraphe , rei gestæ ordinem percensente , Neapolim Divæ Carmelitidi anathema transmiserunt . Eadem Epigraephæ a præfato Daniele refertur , Specul. Carm. tom. I. num. 2474.

1566. Die 2. Aprilis hujus anni , Florentiæ , a parentibus nobilitate conspicuis oritur magna Carmeli Seraphina Maria Magdalena de Pazzis . Ex ejus Vita .

Eodem anno , Hispaniarum Rex Philippus II. , magno cum honore , Madriti , Generalem nostrum de Rubeis excepti , interque Hispaniarum Magnates primæ Classis illum adscivit . Daniel. a V. M.

1568. S. Theresia , jam ab anno 1562. , inter Moniales Reformatione , seu primævæ Carmeliticæ Regulæ observantia instituta , ejusdem hoc anno fundamenta jecit inter Religiosos ; cujus sane mirabilis ædificii primæ columnæ fuerunt , Joannes Yepes , a Cruce postea cognominatus , nunc vero Sanctorum numero adscriptus , & Ven. Antonius a Jesu , antea de Heredia compellatus ; ambo de antiqua Observantia Sanctissimi Viri . Atque hæc prima fuerunt semina , e quibus orta est illustris Congregatio , sive Reformatio Discalceatorum Carmelitarum : cui tantum incrementum attribuit Deus , ut ipsa S. Mater , ac Fundatrix Theresia , ante ejus obitum quindecim Religiosorum Monasteriis , & Monialium decem , & septem adauictam viderit : quæ omnia , ut Rubei Generalis venia fundaverat , sic semper , quoad vixit , Ordinis Ge-

Generali fuerunt subjecta : ab eo enim undecim , post ejus obitum , annis fuerunt separata . *Ex hist. Ord.*

1569. Dum in Hispania Sacratissimo Virginis Scapulari , per Generalem nostrum de Rubeis undequaque distributo , magis magisque erga illud crescebat devotio ; id amuli nonnulli ægre ferentes , in vulgus emiserunt , Privilegia Scapularis , Confratribus concessa , maximeque illud Bullæ Sabbatinæ nuncupatum , nullius amplius roboris esse ; quippe cum a Tridentino Concilio , tum a Pontificibus revocata . Hinc , non modo plebe , sed Primoribus quoque Ecclesiasticis , ac Sæcularibus commotis , proscribuntur libri , instrumenta , aliaque omnia , ad Sacrum Scapulare pertinentia ; & tam apud Judices Ecclesiasticos , quam Sæculares , pro eo omnino extinguedo contenditur . Res tandem ad inclitæ Salmanticensis Universitatis Doctores defertur , ut suam , ea de re , ferrent sententiam ; iisque , visis ac perpensis Pontificiis Bullis , ac rationibus pro & contra discussis , ita censuerunt : „ Confratres , Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo , posse frui indulgentiis concessis a Joanne XXII. , Alexandro V. , & Clemente VII. quia nec Concilium Tridentinum , nec proprius motus Pii V. obstat ; quo minus possint dicti Confratres iis uti „ . Quæ sane aurea decisio fuit a Salmantensi Episcopo , sollempni Sententia , confirmata , atque ita illa destitit processa . Sic referunt *Carthagena* , aliique *Scriptores* .

Ea vero in persecutione , æque ac olim Ecclesiæ accidebat , non modo nihil primævæ Scapularis devotioni diminutum est , sed immo ea magis crescebat , atque in Hispaniam , & Lusitaniam longe , lateque pervagata est , inter Reges quoque Philippum II. , & Sebastianum , & utriusque Regni Magnates ; qui pretiosam hanc Mariæ Vestem induerunt , ejusque Confraternitati per eundem Generalem adscripti sunt *Daniel Vin. Carm.*

1571. Hoc anno , expugnata a Turcis Cypri Insula , Venetisque erupta , magnas inter strages , quæ Christianorum factæ sunt , amisit Ordo noster cuncta Monasteria , unaque cum iis veterem illam Provinciam , S. Petri Thomæ habitatione , obitu , reliquiis , ac miraculis claram : cuique post omnimodam Palæstinæ Conventuum anni 1290. destructionem , titulus Provinciæ Terræ Sanctæ remanserat . Et quod magis est : *Religiosis a barbaris interemptis , aut fuga elapsis , & Monasteriis omnibus concrematis , aut dejectis* . Ita Daniel in *Vin. Carm. n. 643.*

Dum Ordo hanc facit jacturam , Dominus eodem anno S. Theresiam ita allocutus est : *Esto fortis animo , Ordinem B. Mariæ , quoad vincis ,*

*ris, magnos progressus facere videbis; hoc a Domino accepi ad dimidium Februarii 1571.* Sic eadem Virgo Theresia testatur, in lib. sua vita.

1573. Dum una ex triremibus Joannis Austriaci Classis, quæ contra Tunetum tendebat, tempestate oborta, in magnum naufragii periculum esset, ob aquarum vim, quæ jam rimas trajecerant, nec ullo molimine exhauriri poterant; B. V. Mariam de Monte Carmelo invocant. Et ecce mirum dictu; mox advertunt aquam imminui, & nesciis qua ratione, tandem conspiunt pīscem prægrandem tanto impetu se ingessisse in majus navis foramen, ut nec inde egredi, nec ulterius ingredi posset; sicque velorum, ceterorumque subsidio, paullatim reliqua obturantes, incolumes Neapolim regressi sunt; ubi Liberatrici suæ, ejus in Templo, condignis gratiis actis, naviculam, affabre elaboratam, cum inhærente pisce, votivam obtulerunt. *Ita Daniel Specul. Carm. tom. I. p. 602.*

1575. Generalia Comitia Placentiæ habentur; ubi Rubeo Generali, in munere confirmato, Generalis Procurator nominatus est Joannes Baptista Surianus, Parthenopæi Conventus alumnus, a Gregorio XIII. (cujus præceptor quondam fuerat) Episcopus Vigiliensis postea creatus. Eo in Capitulo severissima sane decreta condita sunt, contra novos Hispaniarum Excalceatos Carmelitas, qui contra Generalis Prioris patentales litteras, ac præcepta, extra Castellanæ Provinciæ fines Conventus ædificaverant. Decreta nihilo secius, quæ etiamsi a quibusdam, ut nimis severa, atque injusta prædicentur, aliud sane non continent, quam Apostolicis litteris Gregorii XIII. obtemperationem, quæ ad Capitulares misse sunt, quæque *Bull. Carm. tom. 2.* referuntur. *Ex Papy. Ord.*

1577. Gregorius XIII. Generalis nostri postulatibus, Bulla, quæ incipit: *Ut laudes, cuncta Privilegia, atque indulgentias confirmat, ab ejus Decessoribus Ordini nostro concessa, quem, ut ipse ait, Virgo venustissima edidit, proprioque Nominis titulo insignivit;* in eaque Bulla quælibet. privilegia nominatim exprimens, illud etiam Sabbatinum, in Bulla Joannis XXII. contentum, diserte commemorat: deque Carmelitis loquens, ait, *ipsos SS. Prophetarum Eliæ, Elisei, & Henoch C. successionem hereditariam tenere.* Ubi animadvertere est, pro Henoch haud illum intelligendum, de quo mentio est *Genes. cap. 5.*; sed Henoch de Amathim, olim Carmeli incolam, & S. Marci deinde Socium; ut notat Daniel Spec. *Carm. tom. I. Bull. Carm. tom. 2.*

1578. Extincto Generali de Rubeis, in ejus locum Generalis Vicarius Joannes Baptista Caffardus subrogatur. *Bull. Carm. ibid.*





XXXVII.  
*Ioannes Baptista Caffardus*  
*Senensis*

*a Gregorio XIII. institutus Vicarius Ginalis. Roma in Comitijs electus  
Ginalis 22. Maij 1580. Praefuit annis 14. Decessit Senis die 13. Aprilis  
1592. Aetatis sue an.*

*Arnold Van Westerhout sculps.*

## XXXVII.

## JOANNES BAPTISTA CAFFARDUS.

**J**OANNES Baptista Caffardus, natione Italus, ac Senensis nuncupatus, quod in Civitellæ Senensis dominii Oppido ortum habuerit. In Senensi Cœnobio Carmeli Institutum amplexus est; ac Patavium studiorum caussâ missus, ibidem scientiarum curriculum explevit, & Doctoris Lauream sibi comparavit. Quas didicit Disciplinas, magna cum laude, in insignioribus Italæ Collegiis postea docuit: nimirum Florentino, Pisano, Senensi, atque etiam in Romano Sapientiæ inclyto Archigymnasio: & quæ in Philosophicis, & Theologicis disciplinis, in diversis Italæ Collegiis edocuerat, lucubravit (inquit Petrus Lucius cum Possevino) inter quæ, super Sententias lib. iv., & commendatissimum Quadragesimale. Quumque, præter raram doctrinam, summa etiam prudentia, atque honestissimis moribus fuerit præditus, illustriores Ordinis gessit honores. Senensis, ac Florentini Conventuum Prioratibus functus, Thusciæ Provinciae anno 1572. Provincialis fuit creatus; anno 1576. ad Vigiliensem Episcopatum Joanne-Baptista Suriano electo, in ejus locum Ordinis Procurator suffectus est; anno 1578. Generali Priore Joanne Baptista de Rubeis vita functo, a Pontifice Gregorio XIII. Generalis Vicarius destinatus; ac demum Generalibus Comitiis Romæ habitis, anno 1580., Suprema Ordinis Præfectura meruit honestari. Qualis autem Caffardus fuerit, ea in dignitate constitutus, Marcus Antonius Allegrius, hisce verbis explicavit: „Insigni Vir vere Sapientia, benignitate, & prudenter signatus; moribus omnibus probatissimus, lenis, humilibus, rigidus tumidis, ingenio acri, composito sermone, priusquam ad tantæ dignitatis fastigium electus

„ effet , omne eruditionis genus felicissime excoluit .

Postquam igitur Caffardus noster Generalis Prioris munus capessivit , in Grege sibi commisso moderando totus omnino fuit ; hinc dum ipse Italæ visendis Provinciis vacabat , ad illas Hispaniarum , Galliæ , atque utriusque Siciliæ sollertissimos Visitatores , & Commissarios misit . Correctis , inque meliorem formam redactis Ordinis Breviario , ac Missali , Gregorii XIII. permisso , atque amplissimo privilegio novam eorum editionem egit . Novas etiam Ordinationes , ac leges , pro Monialium nostrarum optimo regimine , condidit , Florentiæ , anno 1582. in lucem emissas . Hinc ob ejus pietatem , doctrinam , ac prudentiam , omnium , non modo sui Ordinis , sed exterorum etiam amorem , & gratiam sibi conciliavit . Quo sane factum est , ut a Cosmate Villiers , in sua Bibliotheca compelletur : „ Quatuor Summis Pontificibus charus , Henrico III. Francorum Regi de sideratus , Philippo II. Hispaniarum Regi bene probatus , „ Principibus , & Proceribus Italiæ , Siciliæque optime notus .

Tandem ( subdit idem Auctor ) diebus plenus , ac virtutibus , annum agens circiter 62. , post terra , marique exantatos labores ad Sydereæ loca evolavit , III. Nonas Aprilis A. D. MDXCII. Clementis VIII. Pontificatus anno primo . Sepultus est Senis , tumuloque ejus Petrus Lucius sequentes attexuit versus :

*Quid premis iste lapis ? Caffardi membra : Sepulcro  
Conditur & virtus ? non : nitida astra tenet .*

Res

*Res memoria dignæ sub Caffardi regimine.*

1579. **S**Ub hoc tempus , SS. Dei Mater , Carmelitica veste induta , Moniales filias suas , nostri Vilvordiæ Monasterii , ab Hæreticis Militibus portentose defendit : „ Visa illis honesta quædam Matrona , albo induta pallio , quæ supra Monasterii muros ambulans , in iectas flamas , & prædones ascendentes abigebat ; quorum plures in terram consternati ceciderunt , & repulsam ab eadem passi , qui ingressum dormitorii tentabant . Quæ omnia sub juramento iidem prædones deposuerunt „ . Ita Augustinus Wichmans , Præmostraten sis , in *Brabantia Mariana* .

Circa idem tempus quidam nostri Ordinis parvulus Conventus , in parva quadam Insula prope Venetias positus , Veneti Senatus jussu hac tempestate destructus est , domo ad tormentarium pulverem conficiendum ac servandum ibi constructa . At dubitantes deinde pientissimus Dux , Venetusque Senatus propter præmissa ( sunt verba Brevis ) eo quod a Sede Apostolica prius ad hoc licentiam , & facultatem non obtinuerint , censuras , & pœnas Ecclesiasticas a Sacris Canonibus , seu Constitutionibus , & litteris Apostolicis indictas , vel comminatas incurrisse ; idcirco S. P. Gregorium XIII. pro earum absolutione adeunt ; quam mox ab eo consecuti sunt Apostolico Brevi sub die 30. Augusti hujus anni emanato , hisce verbis : *Nos igitur vobiscum morem pii Pastoris agere volentes &c. vestris supplicationibus inclinati , Vos & vestrum quemlibet a censuris , & pœnis Ecclesiasticis bujusmodi præmissorum occasione quomodolibet incursis , in utroque Foro , auctoritate Apostolica tenore præsentium plenarie absolvimus , & penitus liberamus &c.* Extat Breve in Bull. Carm. tom. 4.

1580. Romæ , in S. Martini Coenobio , Generale Capitulum celebratur ; eique præfuit Cardinalis Philippus Buoncompagni , Ordinis Protector . In illo autem Joannes Baptista Caffardus Generalis Prior renuntiatur ; atque Ordinis Generalis Procurator Timotheus Berardus ; anno deinde 1587. Episcopus Naulensis creatus . Eodem in Capitulo præcipitur , Generales etiam Procuratores apud Hispaniæ , & Galliæ Reges destinari . *Ex Papy. Ord.*

Mirabilis fane res hoc anno , in nostro Mechliniensi Conventu accidit , a Canitello Patritio Cremonensi , in *Annal. Cremonæ* pag. 402. hisce verbis relata : „ Anno 1580. capta Mechlinia , in ea constituti sunt Angli Milites præsidarii ; qui multas impietas , adversus Catholicos , & maxime Religiosos exercuerunt , qui cum tentarent in gredi

„ gredi Templum Carmelitarum , ut illud spoliarent , apparuit ipsis „ brachium extensum , disticto gladio , illos terrificans ; quo viso , „ discesserunt , & Patres illius reliquerunt liberos „ . Armatum illud brachium , credunt vulgo , cum Daniele nostro , Scriptores , Sancti Patriarchæ , ac Prophetæ Eliæ fuisse , Filios suos , & Cœnobium illud suo nomini dicatum , defendantis . *Vinea Carm.* num. 636. & 1332.

Circa hæc tempora , post Angliæ , Hiberniæ , & Scotiæ Provincia- rum nostrarum jacturam , a Lutheranis , & Calvinistis , una cum Con- ventibus , tres aliæ Provinciæ Ordini eripiuntur : nimirum Saxonæ , Bohemiæ , & Daciæ ; Religiosis impietati hæreticorum se opponentibus raptis , & crudeliter , fidei cauffa , interemptis ; aliis autem in exilium pulsis : de quo fuse Daniel *Specul. Carm.* tom. 2. 3899.

Decem aliæ Provinciæ , nempe septem in Gallia , duæ in Alema- nia , atque una in Belgio , hæreticorum rabie , magna ex parte , destru- ëtæ fuerunt ; Monasteriis plerisque occupatis , & eversis ; ac Religiosis occisis , aut fugatis . In Lunellensi , in Gallia , Conventu , Prior , & omnes Fratres crudeliter trucidati , martyris palmam obtinuerunt , inquit Dominicus Gravina , Dominicanus , in lib. vox Turturis . Monasterium S. Antonii in Aquitania a fundamentis ab hæreticis evertitur , Religio- sis , aliis in ignem injectis , aliis in flumen demersis , aliis ense confos- sis , vel interemptis , scribit Lezana . Et noster Leo Rhedonensis , de aliis Galliæ Cœobiis a Calvinistis , & Hugonotis eversis generatim lo- quens , ait : *Inter ceteros Sacerdotes , nostrorum Carmelitarum major pars martyrio resplendens , Cæli palmas meruit adipisci* . Auct. cit.

De Conventibus in Belgio spoliatis , ustis , sive ab hæreticis ever- sis , deque Religiosis ob fidem trucidatis , loquitur citatus Daniel in eo- dem *speculo num. 3933. & in Vin. Carm. par. 4. cap. 1.*

1581. Ven. Petrus Cernovichius , Macedoniæ Princeps , Baruli in Apulia natus anno 1543. ab Elia Cernovichio , de Imperatoris Constan- tini Magni progenie , atque ab Helena Castriona , cum se in Hispaniam hoc anno contulisset , in oppido quodam apud Valentiam , *de Torrente* adpellato , in morbum incidit , animamque Creatori suo redi- didit . Ejus corpus ad nostrum Valentiæ Conventum delatum , in com- muni defunctorum Fratrum sepulcro conditum est . At fovea duos post annos aperta , ob lucidissimam facem illic pluries a Ven. Dominico a Jesu noctu visam , Servi Dei corpus una cum ejus vestibus incorruptum invenitur ; ac suavissimum odorem emittens : hinc ad Virginis Sacellum translatum est ; ubi per ipsum magna Deus edit miracula .

Chri-

Christophorus noster Silvestranus , qui vitam illius , sex post annos , scripsit , Mediolani anno 1587. editam , aliique multi , Petrum Carmelitanum Professum , & Sacerdotem fuisse afferunt : sed alii arbitrati sunt , Semifratrem potius , sive Carmeli Tertiarium existisse ( ut S. Rosa Ordinis Prædicatorum fuit ) . Ita Daniel Spec. Carm. tom. 2. par. 2. pag. 979.

1582. Die 4. Octobris ( juxta Kalendarii Romani emendationem 15. ) divini amoris cuspide saucia , in columbae speciem , purissimam emisit animam S. Virgo Theresia , inter amantissimi sui Sponsi amplexus ; qui tum ei adeste visus est inter Angelorum agmina . Sanctæ Festum die 15. Octobris in tota celebratur Ecclesia . Ex ejus Vita .

1583. Maria Magdalena de Pazzis , anno ætatis suæ decimo ac sexto Mundum deserit , Deoque , ac Mariæ ejus Matri in Monasterio Carmelitarum S. Mariæ Angelorum , Florentiæ se dicat . Ex ejus Vita .

1584. S. Pontifex Gregorius XIII. , ejus Bulla , Albensem in Gallia Congregationem suppressit , extinguitque , ob rationes , quæ ibidem adducuntur . Bull. Carm. tom. 2.

Idem Pontifex , alia Bulla , Breviarium Carmelitanum a Generali Caffardo correctum , adprobat , ac confirmat , ♂ sub pœna excommunicationis cunctis probibet , ne quid illi addere , vel ex eo detrabere , aut immutare audeant quoquo modo ; aliaque Bulla sub eadem pœna Typographis vetat , sive Breviarium , sive Carmelitanum Missale sine Ordinis Generalis expressa licentia typis edere . Bull. Carm. ibid.

1585. S. Maria Magdalena , die Virginis Annunciationis Festo Evangelii verba meditans : *Verbum caro factum est* , cum esset in extasi rapta , S. Augustinus super cor ejus inscribit , *Verbum caro factum est* : *Verbum aureis litteris* , ut Divinam Personam denotaret : & *caro factum est* sanguineis , ut humanam in Christo significaret naturam . Ex ejus Vita .

1587. Sixti V. Pontificis licentia , Carmelitæ , veteri Transpontinæ Conventu relicto , qui apud Castri S. Angeli moenia erat , magna celebritate , ac pompa , in novum Transpontinæ Cœnobium transeunt , magnis totius Religionis sumptibus erectum . Pro eo namque ædificio Italiae Provinciæ summam persolverunt scutorum 61309. , Hispaniæ , ac Lusitaniæ 5104. , & solus noster Neapolitanus Conventus ducatorum 4307. summam contulit . Ex Arch. Transpont. ♂ Bull. Carm. tom. 2.

Eodem anno , Conventu nostro , atque Ecclesia Craœviensi in cinerem ab hostibus , redactis , intacta , atque a flammis illæsa Miraculosa


sa B. Virginis de Arenis Imago , cum ejus Sacello remansit . *Daniel Spec. Carm. tom. 2: num. 3914.*

Iisdem temporibus primum Congregationis suæ Generale Capitulum Discalceatis Carmelitis , Vallisoleti , celebrantibus , dum Ven. Anna de S. Bartholomæo , S. Theresiæ Socia individua , Dominum pro prospero illius Capituli successu , obsecrat , ac deprecatur ; „ apparuit illi nubes , „ quæ ardere , ignisque scintillas ejaculari videbatur , atque ex ea emer- „ gens S. Pater Elias , qui expanso super Vallisoletanum Cœnobium , „ in quo congregati erant Patres , pallio , apertisque brachiis , videba- „ tur eos velle amplecti ; eisque Spiritum suum infundere „ . Nec sane incassum ea fuit visio . Ita Chrysostomus Enriquez , Cisterciensis , in ejus Vita . De aliis hujusmodi in Carmelitico habitu S. Eliæ appari- tionibus . *Vid. Spec. Carm. tom. 2: num. 170.*

1589. Ven. Dominicus a Jesu , alias Ruzzola , in Cæsaraugustæ Cœnobia , anno 1571. Carmeliticum Institutum amplexus , revelationibus , visionibus , ac miraculis satis jam clarus , hoc anno , ut hominum plausus vitaret , charismata meliora æmulans , ad novam S. Theresiæ Reformationem transit ; cujus postea insignis fuit propagator , ac veluti firma columna , ut ait Daniel noster . Mirabilem hujus vitam scripsit Joannes Caramuel Benedictinus , cujus titulus est : *Caramuelis Dominicus* .

1591. S. Joannes a Cruce , *Doctor Mysticus* , *S. Theresiæ Primogenitus* , ac in Reformatione cooperator præcipuus , die 4. Decembris hu- jus anni , ætatis suæ quadragesimo nono , Ubedæ ad Cælum evolavit . Eumdem Miraculis cum ante , tum post obitum clarum , Benedictus XIII. sollemni ritu Sanctorum numero adscripsit . *Ex ejus Vita* .

1592. Die 3. Aprilis ob mortem Joannis Baptistæ Caffardi , Ge- neralatus munus vacat , in ejusque locum Apostolico Brevi Generalis Vicarius Joannes Stephanus Chizzola constituitur ; de quo infra . *Bull. Carm. tom. 2.*





Joannes Stephanus Chizzola  
XXXVIII  
Cremonensis

Clemente VIII. institutus Vicarius Grimaldi Cremonæ in Comitijs 6 Junij 1593 electus Grimaldi. Praefuit annis 5. Decessit Drepani die 24. Novembris 1599. Etatis sue an. 40.

Engr. van Westerhout Scul.

## XXXVIII.

## JOANNES STEPHANUS CHIZZOLA:

**C**affardo Generali e vivis erepto , Stephanus Chizzola successit , ex clarissima gente Riparoli ortus ( quod fines Mantuanos inter , & Cremonenses insigne est Oppidum ) atque ipsius Cremonæ Conventus , & Longobardia Provinciæ alumnus . „ Sacrae Theologiæ Doctor eximius , vir exquisita „ eruditione præditus , moribus placidissimus , vita , & con- „ versatione cunctis , non solum venerabilis , verum & ama- „ bilis , in labore patientissimus &c. ita audit apud Petrum Lucium . Quum anno 1588. Romanam Provinciam guber- nasset , Sixtus V. S. P. prudentiam ejus , ac in agendis so- lertiam demiratus , eumdem in Galliam Generalem Com- missarium , & Delegatum misit , ut jurgia in Provinciis il- lis , ob extinctam Albiensem Congregationem exorta , com- poneret ; atque omnia , prout erat in votis , fuit exequutus : pacem namque dissidentes inter Fratres conciliavit , contentio- nesque omnino extinxit ; qua de re optima quædam decreta , ac statuta iis reliquit , quæ nedum in Gallia probata , ve- rum & Romæ , post Cardinalis Pinelli , Ordinis Protectoris examen , Pontificia auctoritate confirmata sunt . Eo munere , magna cum laude functus , Provinciarum utriusque Siciliæ Visitator missus est . Quo temporis intervallo , quum Generalis Ordinis Procuratio , ob Laurentii Laureti ad Adriensem Epi- scopatum evectionem vacasset , in ejus locum & ipse fuit suf- fectus . Vita deinde functo Generali Caffardo , eodem mense Aprilis , & anno 1592. novus Pontifex Clemens VIII. , peculiari Brevi suo , eumdem Stephanum Chizzola totius Or- dinis Generalem Vicarium creavit . Tandem Generalibus Co- mitiis Cremonæ habitis , anno 1593. ad supremam Ordinis dignitatem electus est .

Cc Ad

Ad munus itaque Generalis Prioris sublatus Chizzola ;  
 suadente etiam Romano Pontifice , ab eoque amplissimis fa-  
 cultatibus munitus , statim Ordinem sibi creditum visendum  
 suscepit ; ac primo quidem Hispaniarum Provincias , deinde  
**Galliaz** , **Alemaniæ** , aliorumque Regnorum omnes ; ac sane  
 ea cum sollicitudine , studio , atque animi constantia , quæ  
 tam difficile ministerium postulabat ; „ ut ( subdit hic no-  
 „ ster Marcus Antonius Allegrius ) ut pro impensa sollicitu-  
 „ dine , zelo , vigiliis , & laboribus , Cælo dante ( gratissima  
 „ sibi ) hominum susceperit odia ; & gravissimi illi successe-  
 „ rint labores ; quos tam admiranda æquanimitate , & cor-  
 „ dis sui virili valore sustulit , ut non homo , sed Angelus  
 „ passionum incapax videretur .

Eas itaque rerum inter vicissitudines Stephanus Chizzo-  
 la , postquam Ordinem suum , & ut Apostolicus Vicarius , &  
 ut Generalis Prior , quadriennii spatio fuit moderatus , muneri  
 cessit , inque Siciliam se contulit ; ubi in Drepanensi Con-  
 ventu vitam cum morte commutavit , viii. Kal. Decembris  
**A. D. MDXCIX.** ætatis vero suæ xl. Ejusque sepulcro amicus  
 quidam sequentes adnexuit versus .

*Carmeli murus cecidit , Chizzola cadente ;  
 Virtutis gladius , Buccina justitiae .  
 Judicium præceps , contrarius Ordinis error ;  
 Et levitas morum non placuere Patri .*

*Res*

*Res memoria dignæ sub Chizzolæ regimine.*

1592. **C**affardo extincto, Clemens VIII., ineunte hoc anno, Pontifex electus, Apostolico suo Brevi diei 8. Aprilis Generalem Vicarium Joannem Stephanum Chizzola instituit; atque eodem exeunte anno, alio Brevi auctoritatem ei tribuit, parva abolendi Coenobia; ubi ex Fratrum defectu, atque inopia perfecta Regularis observantia vix potest inveniri; cum facultate etiam eorum bona cum mobilia, tum stabilia majoribus, ac vicinioribus Conventibus uniendi.  
*Bull. Carm. tom. 2.*

Circa hæc tempora in quodam nostro Conventu ( quem Abulensem Lezana fuisse putat ), veteri regulari disciplina relaxata, matutinum noctu persolvi solitum, vespere recitabatur, atque interea hora noctis consueta pulsabatur. Sacrista quadam nocte a pulsatione rediens, Invitatorium in Choro præcini audit; quem ingressus, plures Religiosos, cappis albis indutos, ibidem aspicit; sed facies, & manus eorum, nonnisi ossa erant. En pavescit Sacrista. Sed unus ex iis, qui præesse videbatur ad ipsum conversus, acriterque increpans, ita eum allocutus est: *Nos quondam bujus Conventus Religiosi non eo exemplo vos præcessimus; delicia nostræ erant psallere, Orare: quo in exercitio etiam pernoctare volupe fuisset, si vires tulissent.* Verbis succedunt verbera: etenim ferreis quibusdam virgis tam dire exceptus est miserrimus Sacrista; ut mane repertus sit similis cadaveri; deindeque, successu vix narrato, triduo post e vita discessit. *Hieronymus Gratianus, Discipl. Regularis.* Hinc monemur a rectis semitis veterum Patrum nostrorum non declinare. Sic Machabæi se invicem animabant: *Mementote qualiter salvi facti sunt Patres nostri.*

1593. Die sexta Junii, ac Pentecostes Festo, Generalia Comitia Cremonæ habentur; quibus præter solitos Provinciarum Vocales, primum Conventus Neapolitani Prior, ex nova Clementis VIII. Concessione interfuit; atque etiam Mantuanæ Congregationis Generalis Vicarius, duobus cum Sociis ( antea enim erat unus ); itemque novæ Congregationis Carmelitarum Discalceatorum Hispaniæ Generalis Vicarius, ac Provinciales. A quibus omnibus unanimi consensu idem Generalis Vicarius Chizzola, Generalis Ordinis Prior creatus est, & Generalis Procurator Alphius Mattiolus, natione Siculus, in divinis, & humanis litteris exercitatissimus, ut ipsum Daniel noster compellat.

**Illustris Carmelitarum Discalceatorum Congregatio, a Gregorio XIII.**

anno 1578. in Provinciam ercta , deindeque post S. Matris Theresiae obitum , anno 1587. a Sixto V. in plures divisa Provincias ; quæ usque ad hunc annum Generali Priori , tamquam totius Carmelitani Ordinis Supremo Capiti subiecta fuerat ; hisce in Generalibus Comitiis , re serio perpensa , ac discussa , utriusque partis consensu , a Generalis Ordinis Prioris jurisdictione eximitur , ac separatur ; ea tamen lege : „ Ut dicta Congregatio Discalceatorum , vel ejus Superiores omni- „ no , in perpetuum , non præsumerent recipere loca , vel Conventus „ hujus Religionis , etiam sponte a Civitatibus , vel Principibus , vel „ quibuscumque aliis eis exhibita , vel exhibenda ; quod si aliquando „ in contrarium ipsos fecisse compertum foret , nulla esset , & irrita „ concessio ; & nullum jus acquisitum intelligeretur „ . Quæ sane conventio fuit postea a Clemente VIII. adprobata , & Bulla confirmata ; quæ incipit : *Pastoralis officii* , diei 20. Decembris ejusdem anni 1593. ; qua etiam addidit , Congregationis illius Caput , non jam Generalem Vicarium , sed Generalem Præpositum , in posterum esse nuncupandum . *Ita en Papy. Ord. Carm. tom. 2.*

Idem deinde Pontifex Clemens VIII. cupiens , Reformationem illam in Italianam etiam proferri , ex nonnullis Conventibus in Italia jam erectis , aliisque erigendis , aliam Discalceatorum Carmelitarum Congregationem instituit , *Italiæ appellatam* , alteri Generali Præposito subjectam , atque ab illa Hispaniæ , S. Theresiae dicta , omnino separatam . Quæ quidem nova Congregatio adeo multis aucta est Cœnobii , ut hodie quatuordecim constet Provinciis ; quum altera Hispaniæ sex tantum Provinciis componatur .

Ex quo sane infertur , non modo promissionem illam a Deo D. Theresiae factam : *estō fortī animo , Ordinem B. Mariæ , quoad vixe- ris , magnos progressus facere videbis* ; sed etiam D. Ludovici Bertrandi Prophetiam confirmatam esse , qui a D. Theresia de suscepta Reformatione consultus , ita ad ipsam in epistola quadam sua respondit : „ In „ nomine Domini hortor te , animum sumere ad tam grande opus , „ quod moliris , inceptum , ipse tibi suppetias , favoremque præstabit . „ Nec non , ipsius nomine , certiorem te reddo , non transigendos quin- „ quaginta annos , quin Religio tua una evadat inter illustiores , quas „ habet Ecclesia Dei .

Alius profecto , ea in re , divinæ Providentiæ effectus dignoscitur ; estque , quod dum Hæresis Ordini nostro sex eripit Provincias , totidem , aut plures , per Beatam Dei Servam Theresiam , idem comparaverit .

Ex

Ex ea tamen Discalceatorum exemptione a Generalis totius Ordinis jurisdictione , quæ in enunciato Capitulo accidit , nemo inferat , memoratam Reformationem distinctam esse Religionem ; quemadmodum duplex non est ipsa Reformatio , ex quo duos habeat Generales Præpositos , unum Hispaniæ , atque Italiæ alterum . Præterquam quod id sua Bulla , anno 1603. Clemens VIII. diserte declaravit . Et ratio est , quod una est regula , quam utraque profitetur , unus utriusque finis , unus Patriarcha S. Elias , unaque omnium Carmelitarum Mater Beatissima Virgo Maria .

Neque umquam S. Theresiæ mens fuit , inquit Carthagena lib. 17. Homiliarum , Reformatione novum Ordinem in Dei Ecclesia instituere ; „ sed eamdem Religionem , quam profitebatur , ad pristinum „ rigorem primævi sui Instituti reducere . . . . Sane B. Theresia Filia „ Ordinis Carmelitani Calceati , ab eo fuit instituta , in eo divinis ful „ goriis illustrata , in eo cælestem spiritum concepit , ac charismati „ bus supernis divinitus fuit præventa , & a Spiritu Sancto edocita , ut „ intra Ordinem Carmelitarum manens asperiorem , & pauperiorem „ viam ingrederetur „ . Idem de S. Joanne a Cruce ejus coadjutore dici potest , deque aliis Patribus , qui initio ad Reformationem transierunt . Quamobrem unus est Carmeliticus Ordo , uti cum ramis truncus , sive stipes : atque utrique aptari facile potest , quod olim cecinit Mantuanus .

*Nos radix , alii rami , sed nos quoque rami  
A veteri radice Patrum &c.*

1594. Clemens VIII. motu suo proprio ; „ sub poena excommuni „ nationis ipso facto incurrandæ omnibus cujuscumque conditionis „ prohibet , ne ex Bibliothecis Carmelitarum libros , & monumenta , „ sive impressa , sive manuscripta ibi existentia amovere , vel subtrahe „ re quoquomodo præsumat . Bull. Carm. tom. 2.

1595. Declarat sua Bulla idem Pontifex , Discalceatorum Carmelitarum Congregationem unum ex Mendicantium Ordinibus esse , iisdemque gaudere privilegiis , quæ Antiquæ Observantiæ Carmelitis concessa sunt . Bull. Carm. ibid.

1596. Generalis Joannes Stephanus Chizzola , ob quasdam criminationes , quibus contra ipsum apud Clementem VIII. Pontificem obtrectatores sui usi sunt , nimiam sane Pontificis illius severitatem experitur : mense enim Augusti hujus anni in Castrum S. Angeli Urbis Romæ Papæ jussu detruditur , eodemque tempore , pendente judicio , Henricum

ricum Silvium Generalem Ordinis Vicarium cum omnimoda potestate usque ad beneplacitum instituit. Eodem mense sequentis anni Chizzolam ipsum a Generalatus munere deponit, atque in Siciliam in exilium mittit. Ita ex duobus Brevibus *Bull. Carm. tom. 2. relatis pag. 286., & 289.* colligitur.

Causa tanti mali, quod Chizzola passus est, inquit Philippus Metius in tractatu de Prioribus Generalibus, ea fuit, quod is in Hispaniam Apostolicus Nuntius ab eodem Pontifice missus, *cum rigidius contra Episcopos quosdam processisset*, eorum incurrit odium, multaque ea occasione perpeccus fuisse. Sic etiam Villiers *Bibl. Carm. tom. 2.* Nihilominus Joseph Fornarius ejusdem Longobardiae Provinciae alumnus *Ann. Memorab. tom. 2. pag. 734.* eam Chizzolam Legationem praefacte negat, & sic etiam in ipsum Episcoporum Hispaniae odium; atque alias fuisse culpas, quorum Chizzola insimulatus est (quas tamen ipse silentio prætermittit), & quare a Pontifice tam severe fuit habitus. Sed num re vera reus fuerit, an potius innocens, Dies Domini manifestabit. Quod certius statui potest, id est, Chizzolam eas calamitates adeo patienter pertulisse, *ut non homo, sed Angelus passionum incapax videretur*, ut inquit Allegrius.





XXXVIII.  
*Henricus Silvius*

*Astensis*

*Clemente VIII. institutus Vicarius Gñalis. Rome in Comitijs electus  
Gñalis 10. Maij 1598. Praefuit annis 15. A Paullo V. 1612 creatus Episcopus  
Eporediensis. Decessit Romae die 17 Iunij eiusdem an. Etat. sue an.  
56. Arnold. Van Waterhout sculps.*

## XXXIX.

## HENRICUS SILVIUS.

**H**enricus Silvius, natione Italus, in Oppido Medio-Vico, vulgo *Mezzo Vico* Dioecesis Comensis anno 1556. natus, in Astensi Conventu Carmeliticum habitum induit, ac professus est: indeque, quod Astenses inter Cives fuerit cooptatus, *Astensis* vulgo nomine fuit compellatus. Studiorum expleto curriculo, Magistri in suo Ordine Lauream sibi comparavit. Scientias nedum in insignioribus suæ Religionis Collegiis, sed & in Papiensi, ac Romanæ Sapientiæ inclyto Lyceo tradidit. In Alma illa Urbe Transpontinæ Prioris munus cum gereret, Chizzola Generali absente, atque Hispaniæ visendis Provinciis occupato, Italicarum Provinciarum Generalis Vicarius fuit ipse destinatus.

In hisce exercendis muneribus eam sane prudentiam; ac zelum exhibuit, ut Clemens VIII. Pontifex Maximus, cui semper arrisit, unum ex Theologis, ac Censoribus Congregationis de *Auxiliis* nuncupatae ipsum deputaverit; deindeque cum munus Generalatus vacaret, Brevi suo diei 17. Augusti 1596. Generalem totius Ordinis Vicarium eumdem creavit Pontifex. E qua postea dignitate ad illam Generalis Prioris ascendit, in Comitiis Generalibus Romæ habitis anno 1598.

Generalis Prior cum esset Henricus renuntiatus, totius Ordinis visitationem suscepit, ac primo quidem Italiae Provincias, deinde illas Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, Belgii, ac Poloniæ perlustrans, non modo Apostolicis facultatibus munitus, sed litteris etiam Clementis commendatitiis valde honorificis, ad Principes omnes, Reges, ac Prælatos illarum Ditionum missis. Ubique verbo, atque exemplo, ut &

san-

sanctissimis decretis ad primævum statum Regularem obser vantiam revocans, multis in Provinciis ob bella, atque hæ resim sere collapsam . In Hispania a Philippo III. Rege magna cum benignitate , & cum Hispaniarum Magnatum honoribus fuit exceptus . In Gallia prima jecit Reformationis semina , ac Strictæ in Turonensi Provincia Observantiæ ; ubi ita deinde crevit , ut tanta cum ejus laude ad alias etiam Provincias propagata deinde fuerit ; peculiaribus Constitutionibus proinde conditis, quæ dehinc ab Urbano VIII. adprobatae , atque ab Innocentio X. adauctæ , ac confirmatae sunt .

Quinquennio sui muneric expleto ( ad illud enim tempus Generalatus a Clemente VIII. fuerat redactus ), in Ordinis Visitatione pene consumpto , ab eodem Pontifice in Ordinis regimine fuit confirmatus ; donec anno 1609. alio Generali Capitulo convocato, ab universa Religione iterum Generalis Prior fuit electus, ac confirmatus . At postremi hujus quinquennii tertio anno vix absoluto , ad Eporediæ , vulgo *Iurea* , Episcopatum per Sabaudiæ Ducem fuit nominatus , ab eoque litteris diei 25. Julii 1612. etiam suus apud S. Sedem Orator destinatus . Sed quum omnia pro Antistite inaugurando parantur , Henricus in gravem incidit morbum , quocum per mensem colluctatus , e vivis tandem excessit xv. Kal. Octobris anno Reparatæ Salutis MDCXII. ætatis vero suæ LVI. Pontifice Paulo V. Ordini suo sexdecim annis præfuit , illumque quadraginta quatuor novis Cœnobiis suo studio ad auxit , atque innumeris Apostolicis privilegiis ditavit . Ejus corpus in Transpontinæ Ecclesia conditum est , in D. Angeli Sacello : quod ipse adhuc vivens exstruxerat , hac inscriptio ne tumulo ejus a Concive , & Successore Hieronymo Ari adposita :

D. O.

## D. O. M.

*Henricus Silvius, Astensis, Generalis Carmelitarum: Disciplinæ regularis, ac Litterarum apud suos Instaurator: Ordinem universum lustravit, rexique annos novem, & decem. A Clemente VIII. inter Theologos S. Congregationis de Auxiliis adlectus: A Sede Apostolica plura in gratiam Religionis obtinuit: Quadraginta quatuor Conventibus Carmelum auxit: Sacellum hoc extruxit tumulandis Generalibus, Sacrumque quotidianum instituit, tum pro mortuorum levamine, tum pro viventium prospere regimine. Tandem ad Infulas Eporedienses, & Oratoris munus a Sereniss. Carolo Emmanueli Sabaudiae Duce nominatus. Obiit Romæ XIV. Septembbris MDCXII. ætatis sue LVI. Æternæ Viri de Ordine optime meriti memorie, F. H. A. G. P.*

*Res memoria dignæ sub Silvii regimine.*

1598. **H**Enricus Silvius, Generalis Vicarius jam ab anno 1595. a Clemente VIII. creatus, Romæ Generalia Comitia in S. Martini Cœnobio indicit, in iisque ipsem Generalis Prior eligitur, Generali Procuratore Basilio Anguissola Cremonensi confirmato, quem insigne Religionis nostræ ornamentum Daniel adpellat. *Ex Pap. Ord.*

Eodem anno Clemens VIII. ejus Bulla Generalium nostri Ordinis Priorum perpetuam durationem e medio tollit, ipsorumque munus ad quinquennium dumtaxat redigit, et si postea ad sexennium fuerit extensem. *Bull. Carm. tom. 2.*

1599. Idem Pontifex, Generalis nostri Henrici Silvii consensu, & forte etiam ipsius postulatis, e cura, atque jurisdictione Generalis, ac aliorum nostri Ordinis Præsulum, omnia Monialium Carmelitarum Italiæ Monasteria eximit; eaque Locorum Ordinariis omnino subjicit. *Bull. Carm. ibid.*

Eodem anno Salerni, quod Regni Neapolis nobilis est Civitas, D. O. M. per Sacrum Beatissimæ Virginis Scapulare magnum extinguit incendium: eo enim Scapulari a pia Femina in ignem coniecto, illico ignis refedit; & ut divina vis fieret illustrior, restincto prorsus incendio, Scapulare a flammis, in quas fuerat injectum, omnino illæsum fuit repertum. Ita cum aliis narrat eruditissimus Raynaudus *ibid. Partheno-Carmel. par. I. cap. VI.*

D d

1600.

1600. Circa hæc tempora in nostro Leocatæ, in Sicilia, Cœnobio accidit, ut scribit Lezana; „ quod Mahometani quidam Piratæ cum „ hortum prædandi causa ingressi essent, & campanam, quam Fratres „ ibi, ut in Campanili mox reponeretur, collocaverant, Turcæ secum „ ad galeas in mare afferre tentarent: magno apum numero impetuose „ ex horti alvearibus subito egresso, nimio pavore exterriti sunt, ut re- „ licta præda, fugam capere (Deiparae Virginis, & S. Angeli intercessio- „ ne a Fratribus expostulata) coacti fuerint. *Annal. Carm. ad ann. 1220.*

1601. Eximum super Psalmos Opus nostri Michaelis Ayguani usque adhuc sub Auctoris Anonymi titulo editum, Auctori suo hoc anno in nova ejusdem impressione restituitur: Clemens enim VIII. Bulla sua cunctis Typographis prohibet, ne sub alio nomine deinceps, quam legitimi sui Auctoris Michaelis Ayguani illud imprimant. *Bull. Carm. tom. 2.*

1604. In Rhedonensi Cœnobio, Turonensis Provinciæ, stricta incipit Observantia, sive Reformatio, quæ deinde ad alias Ordinis Provincias extenditur, & observatur. *Daniel Vin. Carm. pag. 345.*

1605. „ Cum Leo XI. jam hoc anno creatus Pontifex, Cardina- „ litia exueretur veste, ut Papali indueretur, voluit Prælatus vestiens „ Scapulare Carmelitanum, quo idem Leo a pueri munitus fuerat, „ una cum aliis vestibus e collo tollere, innuens, Papalem habitum „ superare habitum quemcumque. Fieri id vetuit his verbis Pontifex: „ *desine Mariam, ne me desinat Maria;* quasi diceret: *desine Mariam* „ mihi auferre, ne me desinat Maria protegere „ . Ita Segerus Pauli *in vit. S. Simonis.* Sancto huic Pontifici, cum Florentiæ Archiepiscopus effet, S. Maria Magdalena de Pazzis Papatum prædixit, multoque fore breviorem; ut revera accidit, quandoquidem vix dies viginti quinque Pontificatui fuit superstes. *Ex Vit. S. M. Magd.*

1606. Paulum V. Pontificem inter & Rempub. Venetam gravior est exorta contentio; ob quædam jura, quæ sua ajebat esse Paulus, negabat Senatus; eoque res processit, ut universus Status Venetus subjeceretur interdicto. Multi multa tunc pro & contra scripserunt; quos inter noster Joannes Antonius Bovius contra P. Paulum Sarpi Ecclesiasticam immunitatem strenue defensavit. De ipso sic scribit Ughellus: *Joannes Antonius Bovius, Novariensis Ordinis Carmelitarum, Theologus insignis, omnique scientiarum genere ornatus, cumque de immunitate Ecclesiastica in Venetos stylum strinxisset, a Paulo V. intuitu virtutum, & laborum pro Romana Ecclesia exantatorum, Episcopatu Melphitanu ornatus est anno 1606. 19. Februarii; ubi interiit 12. Augusti 1622.*

1607.





S. Maria Magdalena de Pazzis Ord. Carmelitaris  
Rmo. Pri. Mr. Iosepho Alberto Ximenez  
Procuratori Generali Ordinis Carmelitarum  
antiquæ observantiæ. in Obsequijs Argumentum D.D.D.  
P. A. M. V. ejusdem Ordinis.



1607. Hoc anno Seraphica Maria Magdalena de Pazzis, quæ multis ante obitum annis heroica caritate renunciaverat omnibus, quibus affluebat, Cæli deliciis, frequenter ingeminans: *Pati non mori*: longo cum morbo conflictata, & solitas inter asperitates perseverans, animam, quam agonizans, jubente Confessario, ad tempus retinuerat, in Sponsi manibus exhalavit die 25. Maji, completo ætatis suæ anno quadragesimo primo. Ante, & post obitum multis inclaruit miraculis. Sanctæ Corpus ad hodiernum usque diem incorruptum manet Florentiæ in Ecclesia sui Monasterii, quod ejusdem Sanctæ nomine gaudet. *Ex act. Canonizat.*

Eodem anno Paulus V., postulante Henrico IV. Galliæ Rege, Ordinem Militarem, ex primoribus illius Regni Viris compositum, instituit, *sub denominatione, ac Regula Gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo, pro tuenda, propaganda, augendaque Religione Carbolica, bæresum extirpatione, & Hæreticorum depressione;* ut dicitur in Bulla. *Bull. Carm. tom. 2.*

1609. Silvius Generalis ad hunc usque annum a Pontificibus in munere prorogatus, Generale Capitulum in Transpontinæ Conventu convocat, in eoque, præsidente Cardinale Pinello Ordinis Protectore, iterum & ipse Generalis Prior renuntiatus est, obtenta prius a Paulo V. passivæ vocis dispensatione; Generalis vero Procurator Franciscus Voerius confirmatur, muneri illi jam ab anno 1598., ob Basilii Anguisso-læ obitum, subrogatus. *Ex Papy. Ord.*

1612. Ea tempestate Romæ agebatur contradicto iudicio Bullæ, sive Privilegii Sabbatini momentosissima lis in Sacra universalis Inquisitionis Congregatione, ad quam Carmelitæ provocaverant contra Ulyssiponæ in Lusitania Generalis Inquisitoris decreta, qui Ordinis Æmularum postulatibus, exeunte anno 1609., Privilegii illius publicationem vetuerat, neve amplius de eo Concionatores verba facerent. Idcirco commota tunc maxime erat universa Religio, & cunctis in Cœnobiis, tum Deo, tum ejus, ac nostræ Sanctissimæ Matri Mariæ preces continuo fundebantur, ut ipsa Caussam, quæ sua esset, defenderet. Nec sane destitit Misericordiarum Mater ea occasione patrocinium suum ostendere, ut ex iis, quos jam referemus, successibus satis colligitur.

Primus itaque est, quod dum Ven. Soror Laura Augustiniana Monialis in S. Cajii Monasterio extra Florentiam, Mantuanæ Congregacioni tum subiecto, Deiparæ preces pro illa Caussa effundit ( id sibi negotium P. Theodorus Cambius, illius Congregationis Generalis Procu-

rator, dederat), ac Sanctum Laurentium Martyrem, cui erat addicisci-  
ma, obsecrat, ut apud Mariam valide intercedat; apparuit S. Martyr  
Dei Famulæ, ipsamque ex Virgine ita allocutus est: *Procuratori Gene-  
rali scribe, quod B. Virgo banc sui Ordinis cauffam protegeret, & apud  
Curiam Romanam erit propitia: Joseph a S. Theresia tom. 4.*

Et quidem Mariana promissio confirmata est (atque en alterum  
successum); siquidem Romæ Cauffa apud Sancti officii Cardinales pluries  
perpensa ac discussa, sed nondum decisa, die 15. Julii hujus anni cum  
ad primas vespertas Festi Carmeli Virginis Cardinalis S. Cæciliæ, Car-  
inalis Mellinus, aliique cum pluribus aliis Curiæ Romanæ Prælatis,  
ad Templum S. Mariæ Scalæ Carmelitarum Discalceatorum se contulisti-  
sent, deque Ecclesia ad Chorum, forte fortuna S. Cæciliæ Cardinalis  
libellum Officiorum SS. Carmelitarum, quem Frater quidam apertum  
reliquerat, aspicit; ac primo quidem intuitu in ea incidit verba. *Com-  
memoratio solemnis Beatisissime Virginis Mariae de Monte Carmelo;* hinc  
libro manibus accepto, quod ipse continebat, voluit oculis perlustrare,  
adque Sextam Lectionem cum pervenisset, in qua Sabbatinum Privile-  
gium, tunc contradictum, expressum est, stupefactus omnino, atque  
ad alias Purpuratos conversus: „Quo (alta voce clamavit) Quo Emi-  
„nentissimi Domini mei, quo plures labores? Quid diutius queritur?  
„Quid amplius consultatur? En tibi Patrum Carmelitarum Cauffam  
„brevibus, & paucis periodis Lectionibus hisce contentis solide deci-  
„sam, ac manifeste definitam: cum haec lectiones ab Eminentissimo  
„Cardinali Bellarmino examinatae, probatae, atque subscriptæ fuerint,  
„ac ab Eminentissimo Cardinali Pinello Sacrae Congregationis Præside  
„auctoritate Pontificia confirmatae, ac subscriptæ existant &c.„. Tradi-  
tis deinde Lectionibus illis uni ex Prælatis, jussit, ut eas coram omni-  
bus legeret; qua sane re gesta, omnes una voce dixerunt, Divinæ Pro-  
videntiae opere libellum illum ibi apertum invenisse; idque argumen-  
tum satis manifestum esse, Sanctissimam Virginem Mariam illius Cauf-  
fæ patrocinium suscepisse. Quamobrem sequenti Consultatione pro Car-  
melitis decisum fuit, et si definitiva Sententia initio sequentis anni pro-  
dierit, ut infra dicemus. *Daniel Specul. Carm. tom. I. num. 2222.*

Die 14. Septembris ejusdem anni Henrici Silvii Generalis obitus  
accidit, qui cum in extremis laboraret, audita re illa (de qua supra)  
jam judicata, pro qua tot subierat labores, lætitia perfusus, cum San-  
cto Sene Simeone exclamavit: *Nunc dimittis Domine Servum tuum in  
pace* &c. Franciscus Voersius in ejus Vita.





## XL.

## SEBASTIANUS FANTONUS.

**P**ræneste, veteri Latii Urbe, & non longe ab Urbe posita, ortum habuit Sebastianus Fantonus die 24. Februarii ann. a Christi nativitate 1550. Carmelitico Instituto anno Dom. 1567. in Romana Provincia nomen dedit. Studiorum deinde expleto curriculo, anno 1582. Sacrae Theologiae lauream nactus est. Sacram hanc facultatem nedum in insignioribus sui Ordinis Collegiis, sed & in ipso Almæ Urbis Sapientiæ Archigymnasio docuit. In celebrioribus Italiae Ecclesiis divinum verbum prædicavit, tanto cum omnium plausu, atque animarum fructu, ut facundissimi Oratoris nomen fuerit consecutus. Quumque esset non modo doctrina, ac sapientia, sed pietate etiam, atque eximia prudentia præditus, varia Ordinis munera eidem fuerunt commissa: hinc, ut alia silentio præteream, anno 1604. Provincialis Romæ suæ Provinciæ extitit; anno 1612., Generali Henrico Silvio vita jam functo, Paulus V. S. P. Apostolico diplomatico Generalem Ordinis Vicarium Fantonum ipsum creavit; & tandem sequente anno 1613., Generalibus Comitiis Romæ habitis, omnium plausu totius Ordinis Generalis Prior proclamatus est.

Generalatus munus tanto studio, ac prudentia gessit, ut expleto quinquennio (ad quod a Clemente VIII. fuerat redactum) Paulus V. Apostolica sua auctoritate Fantonum ad aliud biennium in eodem confirmaverit: eoque absolute, ut alio in Capitulo proxime celebrando eligi iterum posset, altero Brevi passiva voce eumdem & muniverit. Nec frustra novis enim Generalibus Comitiis anno 1620. Romæ concitis, communi Patrum omnium consensu, ac voluptate item

rum

rum Generalis Prior ad sexennium eligitur, & confirmatur.

Non modo Sebastianus noster toti suo Ordini, sed & Pontifici, Cardinalibus, Principibus, atque Proceribus erat acceptissimus, qui in difficilioribus rebus a consiliis suis adhuc pendebant. Potissimum de Religione sua optime fuit meritus; novam namque Observantiam, ac Reformationem, in Turonensi Provincia cœptam, fovit, ac valide protexit, atque ad alias etiam extendit Provincias; novum Carmelitarum Cæremoniale edidit, correctum prius, atque examinatum, & Romanæ Curiæ Cæremoniis accommodatum; illudque contra quasdam objectiones in ipsum factas in Sacra Rituum Congregatione pro virili defendit. Sancti Angeli Sacellum, in Sanctæ Mariæ Transpontinæ Ecclesia positum, pretiosissimis marmoribus, ac picturis exornavit. Patrium Prænestis Conventum ad novam, & ampliorem formam revocavit, atque Ecclesiam a fundamentis erexit, structura, marmoribus, ac supellestili, quibus illam locupletavit, valde insignem. Præterea pulcherrimam Bibliothecam in eodem extruxit Cœnobio, copiosis optimorum Auctorum libris, ac rariorum editionum, instructissimam.

His, aliisque beneficiis in suum Conventum, ac Religionem collatis, vigilantissimus noster Præful annis tandem, ac meritis onustus in eodem Prænestis Cœnobio, quo in postremis suæ vitæ annis secesserat, ex hac vita migravit, anno ætatis suæ LXXIII. Supremi Regiminis XI. Reparatæ vero Sal. MDCXXIII. III. Non. Octobris, Urbano VIII. Ecclesiam gubernante; fuitque in eadem Ecclesia sepultus, ejus tumulo hac Inscriptione apposita, *in Bibl. Carm. relata tom. 2.*

D. O.

## D. O. M.

*Inspector hæc paucula; tibi mutus loquitur silex, ex multis,  
que sæculo, & Orbi de*

## SEBASTIANO FANTONO,

*Prænestense Carmelita fama cecinit: qui singulis Religionis  
sue muneribus & honoribus functus, suggesto, & Cathedra, toti  
Italiæ laudatissimus; prudentia, omnigenæque virtutis calculo,  
Summo Pontifici Paulo V. probatissimus; Sacelli B.V.M. Trans-  
pontinæ Romæ, totiusque hujus Templi, Cœnobii, & Bibliothecæ,  
quæ intus speciosissima visitur, a fundamentis erector & or-  
nator; denique Generalatus culmen, anno duodecimo, omnium  
plausu tenens: ætatis vero sue septuagesimo tertio, morte ad me-  
liorem vitam migravit tertio Nonas Octobris anno Domini MDCXXIII.*

*Res memoria digna sub Fantoni regimine.*

1613. **D**ie 26. Maji hujus anni, ac Pentecostes Festo, Romæ in Transpontinæ Conventu Generalis Ordinis Synodus celebratur, Cardinali Millino Ordinis Protectore Præsidente; in eaque idem Generalis Vicarius Sebastianus Fantonus Generalis Prior renuntiatur, & Generalis Procurator Theodorus Stratius eligitur. *Ex Papy. Ord.*

Hoc anno, Privilegii, ac Bullæ Sabbatinæ in Sacra Congregatio ne Cardinalium universalis Inquisitionis re pluries perpensa, & partibus plenissime auditis, definitiva prodiit Sententia, qua contra prohibitionem Supremi Lufitaniae Inquisitoris, Carmelitis permittitur illud e pergamenis prædicare, jussuque Pauli V. sequens emanatur decretum: *Patribus Carmelitis permittatur prædicare, quod Populus Christianus possit pie credere de adjutorio animarum Fratrum, & Confratrum Sodalitatis B.V. Mariae de Monte Carmelo, videlicet, Beatissimam Virginem animas Fratrum, & Confratrum in charitate decedentium, qui in vita habitum gestaverint, & castitatem pro suo statu coluerint, Officiumque parvum recitaverint, vel si recitare nesciverint, Ecclesiæ jejunia observaverint, & feria quarta, & Sabbatho & carnis abstinuerint, nisi ubi in iis diebus Nativitatis Domini Festum inciderit, suis intercessionibus continuis, suisque suffragiis, & meritis, & speciali protectione post eorum transitum, præcipue in*

*in die Sabbati (qui dies ab Ecclesia eidem B. V. dicatus est) adjutoram.* Quod quidem Decretum ad Tribunal Supremæ Lusitanæ Inquisitionis transmissum est. *Bull. Carm. & Specul. Carm. tom. 1.*

Pro celeri justissimæ hujus Caussæ decisione totus Catholicus Orbis sollicitus visus est, in primis religiosissimus, & Catholicus Rex Philippus III., Regina Margarita ejus Uxor, Maria de Medicis, Henrici IV. Galliæ Regis Vidua, qui omnes ea de re Pontifici scriperunt, aliqui etiam Europæi Principes, ac Prælati.

Memoratu dignissimum est Regale responsum quod idem Philippus III. eo ævo quibusdam Regiis Ministris dedit. Cum enim ii exposuerint Regi, a carnis Mercurii diebus abstinentiam, a Carmelitis vi Sabbatinæ Bullæ prædicatam, eoque in Regno ab omnibus ferme servatam, Regio Ærario detimento esse ultra trecenta scutorum millia singulis annis; adeoque illius publicationem in Hispaniæ Regnis inhibendam, quemadmodum in Lusitania gestum fuerat: huic supplicationi respondit Rex: *Nada, idest nihil, addita ratione, Regio, Catholicoque animo dignissima: mas quiero Vassallos devotos de la Virgen, que el augmento de mis rentas, hoc est: Volo potius subditos B. Virginis devotos, quam reddituum meorum augmentum.* Daniel, aliisque *Specul. Carm. tom. 1. par. 2. num. 2219.*

1614. Die 21. Septembris ad æternam convolavit quietem Ven. Hieronymus Gratianus Hispanus, primus Congregationis Discalceatorum Carmelitarum Provincialis, a S. Theresia in operibus suis celebratus, a Francisco Ribera, *Vir magnus, & sanctitate illustris*, atque a Ven. Episcopo Joanne de Palafox: *Spectaculum mirabile adversitatum, & afflictionum, quas multifarie sustinuit a Sanctis, a bonis, & a perversis, adpellatus.* Et quidem habitu exutus per Sententiam ab ipsa Congregatione sua expulsus est; a cunctis Hispaniæ Tribunalibus rejectus; & in Italia a Piratis captivus factus, ac Tunetum ductus, pro fide tormentis subjecitur, & tandem ad flamas damnatus est. Sed ab igne divina eruptus Providentia, atque a Clemente VIII. redemptus, veteris Observantia Religioni, ac Matri suæ restitutus est, *in qua post tantos labores, & afflictiones, Bruxellis in singularis Sanctitatis opinione defecit.* Ita concludit idem de Palafox *in notat. ad Litteras S. Theresiae.*

1617. Moritur Ven. Stephanus a Purificatione nostræ Lusitanæ Provinciae alumnus, *qui sæculi hujus initium insigni vita Sanctimonias decoravit: pro quo in Sanctorum, ac Beatorum numero adscribendo, Acta entant Romæ apud S. Rituum Congregationem.* *Specul. Carm. tom. 2.*

Eo-

Eodem anno e vita discessit Ven. Franciscus Yepes, S. Joannis a Cruce Frater, ac Tertiarius Carmelita, qui vitæ Sanctimonia Hispaniam illustravit, & in odore Sanctitatis spiritum Creatori reddidit: cui praeter alia illud & divinitus revelatum est, de duobus hominum generibus Dæmones maxime conqueri: de iis nempe, qui alias ad Virginis Mariæ devotionem alliciunt, & qui sacram ejus scapulare deferunt. Atque insuper tribus potissimum Dæmones ipsos vexari: 1. dum pronuntiatur dulcissimum nomen Jesus: 2. dum Mariæ sanctissimum nomen proferatur: 3. dum habitus B. Virginis de Monte Carmelo gestatur. *Velasius in ejus vita.*

1618. Ordinis Generali Procuratore, Generalis Capituli nomine, postulante, Paulus V. Generalatus munus, quod a Clemente VIII. ad quinquennium fuerat redactum, ad sexennium extendit. *Bull. Carm. tom. 2.*

1620. Aliud Generale Capitulum in Transpontinæ Conventu die 7. Junii celebratur, eodem Cardinali Protectore Præsidente; in eoque Generalis Fantonus, usque ad hunc annum a Pontifice prorogatus, iterum Generalis eligitur, prævia Pontificia super passiva voce dispensatione; itemque Gregorius Canalius Generalis Ordinis Procurator instituitur. *Ex Papy. Ord.*

Eodem anno Paulus V. Indultum Officium B. Theresiae recitandi (jam ab anno 1614. Discalceatis nostris concessum) ad universum extendit Ordinem; quod illa *Becata in eorum Ordine Professionem emiserit Regularem, devotionis Spiritum hauserit, atque usque ad extremum vite spiritum in illius Prioris Generalis obedientia perseveraverit, ut in Brevi exprimitur.* *Bull. Carm. tom. 2.*

Reperitur hoc anno inter conditi cuiusdam cadaveris saniem Sacrum Scapulare incorruptum, atque etiamnum in nostra Andegavensi Ecclesia adseratur: „ quod cum multos annos inter conditi cadaveris saniem „ integrum remansisset, dum anno 1620. Andinæ Mulieris honestissimæ „ sepulcrum de novo aperitur, repertum est, plene prorsus illibatum, „ & consultis in ea re expertis, Judicum, Superiorumque decreto, ve- „ luti in Miraculi speciem conservatur. Ita Leo a S. Jonne.

Aliud hujusmodi accidit portentum in Brasiliæ Civitate *Rio d' Henero* nuncupata, ubi in Templo Jesuitarum sexdecim post annos Sacrum cuiusdam mulieris Scapulare, quocum, irridentibus aliis, sepeliri jussit, intactum omnino repertum est. Quod sane ab Episcopo examinatum, ac mature perpensum prodigii loco habetur: indeque Carmelitis dono datum, in argenti theca, magna cum veneratione servatur, illudque

singulis mensibus magna cum pompa per Civitatem circumfertur. *Ven. Martinus de Hoogbe, &c; alii. Vid. Spec. Carm. tom. 1. num. 2315.*

Die 8. Novembris ejusdem anni 1620. Ferdinandus II. Imperator memorandam contra rebelles haereticos in Bohemia obtinet victoriam, sub Maximiliano I. Bavariæ Duce, Catholici exercitus Ductore fortissimo; quæ adscripta humanitus fuit consilio, directioni, hortatui, atque præsentia Ven. Dominici a Jesu, antiquæ Carmeli Observantiaz Professi, deindeque Excalceati Carmelitæ; cælitus vero Angelorum Reginæ, cuius Imaginem (suffossis in ea per haereticos oculis in quodam Bohemiæ Oppido inventam) in conflietu ipso Dominicus gerebat in pectore, ejusque sacro Scapulari ante cum hoste congressum tum Bavariæ Ducem ipse muniverat, tum exercitus Principes, ac Milites omnes. *Caramuel in ejus Vit.*

1621. Hoc anno a Generali Sebastiano Fantono strictior Observantia, sive Reformatio confirmatur, biennio antea Cataniæ in Sicilia instituta a Patribus Desiderio Placa, & Alphio Liandro, quos Franciscus a S. Maria Discalceatorum nostrorum historicus *ob morum probitatem Beatorum, & ob litteras Doctorum catalogo dignos* judicavit. Quæ sane Observantia, in Provinciam postea erecta, Montis Sancti Primi Instituti adpellata est. Dicta est Primi Instituti, quod ab initio illius Cultores, Eugeniana mitigatione seposita, primævæ Regulæ cum sola Innocentii IV. moderatione se addixerunt: et si postea a primæva hac Observantia non parum recesserint. *Vin. Carm. pag. 353. num. 654.*

1622. Die 12. Martii hujus anni S. Pontifex Gregorius XV. Bulla, quæ incipit: *Omnipotens Sermo*, suetis sollemnibus Sanctorum numero adscribit B. Virginem Theresiam, Carmeli Filiam, & utriusque Discalceatorum Congregationis Matrem, quæ meritis, ac miraculis suis Catholicam illustravit Ecclesiam. *Bull. Carm. tom. 2.*

Eodem anno Ludovicus. XIII. Galliarum Rex, „ viso in Monte, pessulana obsidione ingenti miraculo glandium, quæ e sclopeto emis, & in nobilem Praefectum Militæ cataphraetæ tactu sacri Scapularis, quod gestabat, emollitæ, voluit ea Marianæ protectionis Tessera & ipse communiri. Verba sunt eruditissimi Raynaudi, qui successum retulit lib. *Scapul. Partbeno-Carm. par. 1. cap. VIII.*

1623. Die 5. Octobris Fantono Generali e vivis sublato, novus Pontifex Urbanus VIII. die 17. ejusdem mensis Brevi suo Generalem Ordinis Vicarium Gregorium Canalium Venetum creat, tunc temporis Generalem Ordinis Procuratorem. *Bull. Carm. tom. 2.*





XXXI  
*Gregorius Canalis*  
*Venetus*

ab Urbano VIII. institutus Vicarius Genalis. Romae in Comitijs electus  
Genalis 18 Mayi 1625. Praefuit annis 8. Decessit ibidem die 27 Iulij 1631.  
Etatis sue ann. 68.

Arnold. Van Westerhout Sculp.

## XLI.

## GREGORIUS CANALI.

**E**nobilissima gente in inclyta Venetiarum Urbe ortus est Gregorius Canalius anno Domini 1563. Carmeliticæ Religioni adscriptus, Ordinem suum nendum sapientia, ac doctrina, sed & pietate, ac prudentia, quibus erat prædictus, reddidit clariorem. Theologicas facultates in insignioribus Italiæ Collegiis magna cum laude docuit. Venetæ Provinciæ Provincialis electus, Generalibus Comitiis ann. 1598. interfuit. Deinde in Generali Capitulo, anno 1620. celebrato, a Generali Fantono Generalis Ordinis Procurator nominatus est. Quo sane in munere tanta cum laude, ac virtute se gessit, ut, eodem Fantono extinto, Pontifex Urbanus VIII. anno 1623. Canarium totius Ordinis Generalem Vicarium creaverit, non alia ratione ductus, ut ipse ait in Apostolico Brevi, quam *Gregorii Religione, zelo, prudentia, doctrina, nec non in rebus gerendis solertia, aliisque laudabilibus probitatis, ac virtutum meritis, quibus prædictum esse accepimus*. Hinc quid mirum, si postea Generalibus Comitiis anno 1625. celebratis, communi omnium plausu ad Supremam Ordinis Præfecturam electus fuerit?

„ Prior Generalis factus ( inquit Marcus Antonius Allegrius ) qui moribus, & sapientia nobili effulserat, nobiliori utroque radio resulfit. Ardentissimus virtutis omnis amator, suique augendi Ordinis zelosus factus ingenuus &c.,,. Et quidem Strictiori observantiæ, ac Reformationi favit, ei que temporibus illis in Belgii Conventibus incœptæ contra quosdam obrectatores validum præststit patrocinium. Antiquas Ordinis Constitutiones, sedulo prius examinatas, & correctas, novis cum additionibus, inque meliorem formam re-

dactas, Romæ typis mandavit; iisque ut cuncti Fratres exacte obtemperarent præcepit. Ecstaticæ Mariæ Magdalenaæ de Pazzis Beatificationem, & S. Andreæ Corsini Canonizationem apud Sanctam Sedem promovit, & utramque sub ejus regimine peractam vidit. Hinc apud Subditos suos tantum profecto amorem, existimationemque sibi conciliavit, ut expleto jam primo sexennio, Religio sua (rare profecto) ab Urbano VIII. ejusdem in Generalatu confirmationem ad aliud sexennium expostularit, ut revera accidit Brevi diei 11. Maii 1629. Sub hoc tempus oblatis sibi Cretensi Archiepiscopatui, Bergomique etiam Ecclesiæ libentissime renunciavit, sui status paupertate satis superque contentus.

Sed dum alterum sui muneris sexennium pari cum laude Canalius noster transfigebat, die 20. Julii 1631. in gravem incidit morbum, atque in extremo vitæ agone jam constitutus, vicinæ mortis nuncium audiens, nihil omnino permotus, oculis, ac manibus in Cælum elevatis: *lætatus sum* (cum Sancto inquit Davide) *quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus*; dieque xxvii. ejusdem mensis Creatori suo spiritum reddidit, anno ætatis sue LXVIII., Ecclesiam gubernante P. Urbano VIII. In Generalium tumulo, in S. Angeli Sacello Transpontinæ Ecclesiæ posito, conditus est; cui, quæ sequuntur, carmina Allegrius noster adposuit:

*Pace meos rexī, immunis a munere dico,*

*Quid melius potui? Selige posteritas.*

*Quo mibi fama procax? stant Acta, Facta, Labores.*

*Et pretium virtus testis & ipsa sui est.*

Hujus Generalis cineres fuerunt postea, curante Generali Antonio Philippino, tunc temporis Romano Provinciali, in Ecclesiam S. Martini ad Montes translati, ejusque Tumulo epitaphium satis honorificum idem Generalis adnexuit, *Bibl. Carm. tom. I. relatum.*

*Res*

*Res memoria digna sub Canalii regimine.*

1624. **B**redam Brabantiae Urbem strenuissimo Duce Marchione Spinalia obsidente, SS. Dei Mater Vexillarium quemadmodum Hispanum, Sacri Scapularis Confratrem, a duplice eripuit morte: e temporali, efficiens, ut pila ipsi objecta ad pedes suos sine vi caderet: ab æterna, nam tunc in lethali verfabatur criminé, atque ictu prævio, confessim ex corde B. Mariæ de Monte Carmelo nomen invocavit, ne illo in peccato moreretur; ut idem Vexillarius palam confessus est. *Daniel Vin. Carm. pag. 308.*

Eodem anno incipit in Belgio Reformatio, five Strictior Observantia, ac primo quidem in Vallencenensi Cœnobio; unde postea in alios Belgii Conventus pervagata, tunc ob hærefes, ac præterita bella valde miseros, illustrem hodie, atque observantissimam Flandro-Belgicam componit Provinciam. *Daniel Vin. Carm. part. 4. cap. 3.*

1625. Romæ Generalibus Comitiis a Generali Vicario Gregorio Canalio concitis, sub ejusdem Millini Cardinalis Patroni auspiciis, Canalius ipse Generalis Prior renuntiatus est, in Generalis Procuratoris munere Stephano Barberio confirmato, Sapientiæ Romanæ Lectore, Generalis Inquisitionis Consultore, & jam ab anno 1624. Generali Procuratore instituto.

Eo in Capitulo Generali Priori electo committitur, ut per gravissimos Ordinis Patres Constitutiones, ubicumque opus fuerit, corrigantur, atque explicentur; quemadmodum deinde gestum est; eæque sunt Constitutiones, quæ nunc in Ordine nostro observantur. *Ex Papy. Ord.*

Cremonæ memorabile prodigium hoc anno accidit, per totam tunc pervagatum Italiam. Joannes Baptista Zamarinus quorundam criminum reus in vincula conjicitur: is autem resipiscens, suaque detestatus sceleræ, ad Misericordiarum Matrem confugit, Sacrum ejus Scapulare induit, & triennio, quo in carcere moratus est, a carnibus singulis Mercurii diebus abstinentiam exactissime servavit. Interea, acta illius causa, a Judicibus ad furcas damnatur: tum vero ille conscientia sua apud Carmelitanum Religiosum, generali Confessione, magno cum dolore expiata, B. Virginis Carmelitanæ se ardentissime commendavit, & lato animo ad mortem obeundam perrexit. Cumque Carnifex e furca reum suspendisset, eique, qua poterat vi, duobus funiculis, subtili uno, crassiore altero, guttur perstringeret: uterque mirabiliter dissectus subito fuit & reus in terram incolumis cecidit, facie versus Calum. Res hæc serio per-

perpenfa , vulgo Virginis miraculo ascripta est , ac litteris confignata , ad Mediolanensem Senatum , adque Ducem Feriæ , tunc Status Gubernatorem , defertur : cuius jussu Zamarinus in libertatem revocatus est ; qui habitum Laicorum nostri Ordinis Fratrum contestim induit , in eoque ad obitum usque religiosissime perseveravit . Hujusmodi successus fuit ea tempestate & Cremonæ , & alibi typis publice mandatus ; atque hisce , qui sequuntur , comprehensus versibus :

*Sons , laquens , Tortor casu frustrantur eodem ;  
Obstupuit bic , alter scinditur , is supereft .*

*Lex , culpa , & mors ; sum plebs , gratia , vita duellant :  
Obtinuit pietas , succubuitque rigor .*

Daniel a V. M. Specul. Carm. tom. I. pag. 606.

1626. Urbanus VIII. Bulla , quæ incipit : *In Sede Principis Apostolorum , in Beatorum numerum Ecstaticam Mariam Magdalenam de Pazzis retulit , anno vicesimo quinto ab ejus obitu ; annoque sequente , alia Bulla , Officium ejus sub duplici ritu in toto Ordine celebrari permisit . Bull. Carm. tom. 2.*

Panormi Senatus , voto publice appenso , testatur hoc anno per Sancti Alberti intercessionem Civitatem illam ab Epidemia , totam Siciliæ Insulam depopulante , mirum in modum erectam esse ; eumque propterea Protectorem suum , ac specialem Patronum declarat , probante Cardinale Doria Archiepiscopo ; qui etiam Sancti Officium cum octava ab universo Clero recitari jussit . *Lezana tom. 4. Annal. ad ann. 1307.*

Eodem anno typis eduntur novæ Ordinis Constitutiones , sive veteres expolitæ , adauctæ , ac præcedentis Capituli jussu ad trutinam revocatæ . Priors Ordinis Constitutiones conditæ fuerunt a D. Brocardo , II. Latino Generali , & probabilius juxta Lezanam anno 1191. , a nostro Joanne Baccone , ac Bernardino Olerio , antiquæ Constitutiones appellatae , de quibus etiam Possevinus mentionem facit . Quæ postea cum novis Statutorum additionibus , quæ a Generalibus Capitulis condita sunt , a variis Ordinis Generalibus publicatæ fuerunt : nimirum a Joanne Balistario anno 1369. , a Ven. Joanne Sorethio anno 1466. , a Nicolao Audethio anno 1524. , atque a Joanne Baptista Caffardo anno 1586. , qui eas ad normam Tridentini Concilii sanctionum reformativit . *Ex Papy. Ord. Lezana .*

Die 17. Novembris ejusdem anni moritur Ven. Michael a Fonte , Castellanæ Provinciæ alumnus , de quo Lezana tom. 3. Annal. ita scripsit . „ Sanctitate , aliisque charismatibus sic decoratus , ut de ejus Vita , &

„ San-

„ Sanctitatis signis processus formatus, & ad S. Congregationem Rituum missus Romam, in Archivio Transpontinæ reservetur, expectans Vaticanicum Oraculum, quod circa Servorum Dei Canonizationem esse solet „. Obiit Toleti ætatis suæ anno LII. ibique honorifice tumulatus est. *Lezana.*

1627. Die 20. Julii, quo S. Eliæ Festum ab universo Carmelitano Ordine celebratur, idem S. Propheta Ven. Matri Franciscæ a SS. Sacramento, Carmelitanæ Discalceatæ, apparuit una cum S. Theresia; quæ inter cetera S. Eliæ dixit: *Pater mi, ecce nostram Filiam;* cui ille magnis cum amoris, ac benevolentiae signis, benedictionem impertivit. Ita in ejus *Vita lib. 3. cap. 2. & 3.* a D. Michaele Lanuzza Catholici Regis Confiliario edita. Ubi rursus eodem die accidisse refert anno 1628. & 1629.

1629. Idem Pontifex Urbanus VIII. B. Andream Corsinum, Fesulanum Episcopum, multis, magnisque miraculis clarum, in Vaticana Basilica maxima cum pompa in Sanctorum album retulit. *Bull. Carm. tom. 2.*

Potentibus eodem anno Generali Procuratore, & Ordinis Generalibus Definitoribus, idem Pontifex ad aliud sexennium Canarium Generalem confirmat. Erat tunc temporis Generalis Procurator Leonardus Priori, Patricius Venetus, qui præcedente anno creatus, post Stephani Barberii obitum, munus explevit suum mense Novembris 1630., quo anno institutus est, atque a Pontifice confirmatus Generalis Procurator Joannes Michael de Rubeis, Carmeli majoris Neapolis alumnus, creatus deinde Minervini Episcopus anno 1633., posteaque ad Aliphanam Ecclesiam translatus. *Bull. Carm. ibidem.*

1630. Sacratissima Carmeli Virgo a pestilentia, quæ illo anno cuncta Pedemontis loca desolaverat, Vercellensem eripit Urbem, quæ ipsius Patrocinium imploraverat; utque grates accepti beneficij redderet, magnum argenti votum, Simulacri instar, Civitas illa in Ecclesia nostra Mariæ obtulit, sequente cum Inscriptione:

D. O. M. 1630. die 25. Martii  
Civitas Vercellarum ope Deiparæ  
Virginis de Monte Carmelo  
A peste liberata, ut grates redderet,  
Hoc obtulit munus.

Utque tam singulare beneficium æternitati consecraret, decrevit, singulis fæculis illius memoriam sollemni festo in nostra Ecclesia eff.


recoleendam ; ut jam agere coepit anno 1730. Joseph a Jesu libello cui titulus : *Istruzione del Sacro Scapulare.*

Etsi in Ordine nostro vetustissimus fuerit cultus , atque Officium Sancti nostri Patris , ac Prophetæ Eliæ , ex variis Pontificum Concessiōnibus , & S. Rituum Congregationis approbationibus , ut ostendit Lezana *Consult. 3.* ; attamen hoc anno in eadem Congregatione in dubium revocatur ; e qua nihilominus sequens decretum prodiit : *Officium S. Eliæ permittitur Paribus Carmelitis , quod ipsis ore tenus significabitur . Datum Romæ 11. Septembris 1630.*

Animadversione omnino digna sunt , quæ , dum hæc in Congregatione agebantur , acciderunt , a Daniele iis , quæ sequuntur , verbis relata : „ Cum nonnulli controversiam movissent circa Officium S. Eliæ , „ ea ad S. Congregationem traducta fuit . Pridie ejus diei , quo in S. C. „ de negotio illo tractandum erat , præcipiuus opponens magnis fuit su- „ bito affectus doloribus intestinorum ; hinc ei incidit cogitatio , an non „ in pœnam , seu monitionem , cruciatus illi immisxi . In ea opinione „ magis confirmatus fuit , quod ea die aperiens Sacra Biblia , prius in „ ejus oculos occurserent illa Sacri Textus verba S. Eliæ sic Deum al- „ loquentis : *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum Oc.* Post no- „ tabilem temporis motam rursus aperiens Biblia , incidit in Epistolam „ S. Eliæ e Paradiso missam , de qua 2. *Paralipom. 21.* Utriusque loci „ facta collatione , & perpenso eventu , vir ille magnæ auctoritatis , & „ eximiæ eruditiois , ac pietatis , propositum , antea ex pio zelo con- „ ceptum , agendi contra istud officium , mutavit ; cōspitque mox con- „ valescere ; sic ut die destinata se conferre potuerit ad S. Congregatio- „ nem , ubi efficaciter egit , pro continuando Officio S. Eliæ , illi dein- „ ceps singulariter devotus . Atque hinc sane factum est , ut Decretum illud a S. Congr. prodierit . *Specul. Carm. tom. 2. num. 2054.*

1631. Die 27. Julii moritur Canalius Generalis , atque Urbanus VIII. Generalem Ordinis Vicarium Theodorum Stratium declarat . *Bul. Car. t. 2.*





XLII  
*Theodorus Stratius*  
*Cremonensis*

*ab Urbano VIII. primum Vicarius Ginalis, deinde p. a. Ximbris  
1637. institutus Ginalis. Praefuit annis II. Decessit Priuerni die  
23. Aprilis 1642. Aetatis sue an. 55.*

*Arnoldus Wierix sculps.*

## XLII.

## THEODORUS STRATIUS.

**C**Analis Generalis successor fuit Theodorus, ortus in S. Juliani Oppido, Cremonensis Dioecesis, anno 1567., Provinciæ Longobardiæ, & Cremonensis Conventus alumnus. A nostro Cosmate Villiers *Bibl. Carm. tom: 2.* compellatur: *Vix prorsus Regularis vitæ amantissimus, Reformationis propagator illusterrimus, magnis naturæ, & ingenii dotibus præditus, cui summa rerum experientia, singularis morum integritas, animi candor, probitas, virtus, & multiplex eruditio æternam in Ordine Carmelitarum pepererunt famam.* Ob eximias hujusmodi dotes, quibus Theodori animus pollebat, præter Saxoniam atque Hiberniam Provincialatus honorem, quo ab Ordinis Generalibus fuerat insignitus, Romandiæ Provinciæ Provincialis electus est: præterea in Generali Capitulo anni 1613. Generalis Ordinis Procurator instituitur: atque anno 1626. primarius Regens, ac Studiorum Præfectus, ut & Generalis Commissarius in Carmeli Majoris Conventum Neapolis missus est: atque hinc biennio post, nempe anno 1628. Commissarius, Visitator, ac Generalis Vicarius Sicularum Provinciarum destinatus.

Hæc omnia munera tanta cum laude, ac studio gessit; ut extincto inter hæc tempora Gregorio Canalio anno 1631., S. Pontifex Urbanus VIII. (apud quem in summa erat Stratius existimatione) illum Apostolico Brevi diei 28. Julii ejusdem anni Generalem totius Ordinis Vicarium creaverit; atque insuper die 23. Decembris 1632. petente eadem Religione, ad sexennium alio Brevi Generalem instituerit Priorem.

Quanta cum laude in suprema hac Ordinis Præfectura se gesserit Theodorus, idem testatur Pontifex alio suo Diplomate, quo, primo sui regiminis sexennio nondum exacto,

F f

eum-

ēumdem motu proprio ad aliud sexennium iterum confirmavit. Quod (ait Pontifex) non solum singulari prudentia, integritate, & justitia Ordinem prædictum, toto sui Generalatus tempore, cuius finis instat, laudabiliter rexerit; sed etiam peculiari sollicitudine, studioque instauranda veteri disciplinæ regulâri incubuerit, & in hoc benedicente Domino non parum profecerit. Et quidem sub ejus regimine Taurini strictior Observantia inolevit, atque illa Provinciæ S. Mariæ de Vita initium habuit; insuper a Pontifice Urbano Constitutionum, pro Conventibus, & Reformatis Provinciis editarum, confirmationem obtinuit; & tandem pro majori Carmelitarum, & Confratrum intelligentia satis doctum, atque eruditum Opus edidit, cui titulus: *Instructio . . . . de Indulgentiis Confratrum S. Scapularis*; atque aliam Opellam: *De Tertiariis utriusque Sexus Ordinis Carmelitarum*.

Sed dignissimus Generalis noster secundum hoc sexen-nium nequaquam explevit; quandoquidem, cum Ordinem sibi creditum tanta cum laude, ac profectu regeret, invida mors e vivis eum sustulit, dum e Roma Neapolim ad Carmeli Majoris Cœnobium visendum se conferebat; quo in itinere gravi morbo correptus, Priverni post biduum fato cef-sit ix. Kal. Majas anno D. MDCXLII. ætatis suæ LXXV. ac regiminis xi. In Ecclesia nostri Conventus, qui tunc in Pon-tificia illa extabat Civitate, conditus est; e qua postea an-no 1648. illius cineres ad Templum S. Martini Urbis Romæ fuerunt translati, jussu Generalis Joannis Antonii Philippini, & valde honorifica cum Inscriptione decentissimo in tumulo collocati.

De amplissimo hoc Præfule varia cecinit in suo *Paradi-so Carmel. Decoris* eidem devotus Marcus Antonius Allegrius, quorum sequentia carmina hic attexere placet:

*Jam*

*Jam, Strati, celebris voliter tua fama per Orbem,  
 Et recto ad Superos tramite carpat iter.  
 Alta animi probitas te ad summum evexit bonorem;  
 Atque altus pariter Religionis amor . . .  
 Te Duce nunc veluti Cælum niset Ordo Mariæ,  
 Tanta tui virtus, ingeniique vigor.  
 Gloria Carmeli es: linguaque utraque decorus,  
 Cui dedit eximium Sacra Minerua decus.  
 Nec virtute minus, morum & candore probaris,  
 Antiquum excedens religione Numam.  
 Tu decus Heliadum: tu spes borum unica: solus  
 Auxilium doctis: præsidiumque pii.  
 In te quid potius mirer, mens basit atque alte,  
 Ingenii vires: an probitatis opes?*

*Res memoria dignæ sub Stratii regimine.*

1631. **E**xente hoc anno celebris mons Vesuvius adeo vehementer æstuavit, ut erumpentes ex eo flamarum globi vicinas regiones, ac rura latissime devastarint: cui sane malo nostrum etiam Coenobium Turris octavæ, quæ octo milliaribus a Neapoli distat, subjicitur. At hic magnum accidit portentum; etenim, illius Ecclesia tota igne consumpta, una Mariæ de Monte Carmelo miraculosa Imago (nostræ Neapolitanæ Apographum) cum suo Sacello manet illæsa, velo etiam, quo tegebatur, intacto. Vide sis Opusculum nostrum, cui titulus: *Istoria della Madonna della Bruna di Napoli pag. 34.*

Eodem anno Herbipolensi arce a Svevo Exercitu expugnata, ab Hæreticis militibus compluribus vulneribus P. Albertus Heilfinger noster affectus est, dum Catholicorum Confessiones intrepide, ac palam excipiebat; & paucis clapsis diebus ut Martyr animam enhalavit; ita Lezana ad ann. 1252. Ea etiam tempestate ab Hæreticis Principibus, Fratribus ejectis, profanati sunt Conventus nostri Rottemburgensis, Norimbergensis, Norlingensis, Culmenis, Sparnecensis, & Golingensis, omnes Alemanicæ nostræ Provinciæ. *Vin. Carm.*

1632. Qb pestem, bella, aliaque mala, quæ illo ævo Provincias,

ac Regna defolaverant, quæque Generalis Capituli convocationem difficultam reddebant, Pontifex Urbanus VIII., ipsius Religionis postulatibus, Apostolica ejus auctoritate Theodorum Stratium, quem antea Generalem Vicarium creaverat, Priorem Ordinis Generalem hoc anno instituit. *Bull. Carm. tom. 2.*

1633. Sacratissimus Carmeli mons, magni Prophetæ Eliæ mansione celebris, ubi ortum ac progressum Carmelitarum Ordo habuit, atque anno deinde 1291. amissus, Monasterio in cinerem a Turcis redacto, Fratribusque interfectis, hisce temporibus a Missionariis Congregationis nostrorum Excalceatorum Italiae recuperatur, cuius propterea Generalis Præpositus Montis Carmeli Prior denominatus est: atque hoc anno Urbanus Pontifex, Bulla quæ incipit: *Circumspecta Sedis Apostolice*, ejusdem Sacri Montis habitaculum, ac possessionem ipsis confirmat: *ita quod nulli Religioso cujuscumque alterius Ordinis licet in dictum Montem se recipere, ibique habitare, vel locum habere sine speciali Sedis Apostolice licentia.* *Bull. Carm. tom. 2.*

Sacrum hunc Montem etiamnum incolunt PP. nostri Discalceati, ea in solitudine Deo, ejusque Divinæ Matri servientes; ubi præter Sacella, ac parva Oratoria variis in locis erecta, hac nostra tempestate amplissimis Magni Turcarum Imperatoris privilegiis, magnificam cum Conventu ædificarunt Ecclesiam prope Antrum a S. Elia inhabitatum, atque eidem S. Prophetæ dicatam. Quæ sane ea veneratione colitur, ut magna populi frequentia nedum Fideles Catholici, sed etiam Hæretici, ac Schismatici ad eam confluant; &, quod magis est, a Turcis ipsis fide parentibus, religionis caussa erga S. Eliam sæpiissime visitetur. Hæc omnia nuper retulit nobis Carmelita Excalceatus, oculatus testis.

Idem Pontifex alio Brevi Generali Stratio facultatem tribuit, parva supprimendi Cœnobia, cum potestate etiam illorum redditus, & bona majoribus uniendi Conventibus. Atque hæc sane esset vera methodus hujusmodi supprimendi Conventus, procul dubio optabilis, æque ac rationi consona. *Bull. ibid.*

1635. Ob Patrum nostri Ordinis recenter Reformatorum, præser-tim Siciliæ, & Belgii, habitum, jurgia inter ipsis, ac Discalceatos Carmelitas oriuntur, qui jam ab anno 1632. apud S. Sedem reclama-verant. Sed hoc anno Superiorum respective Generalium consensu, modus, quo nostri Siculi Reformati, *Primi Instituti* nuncupati, induantur, præscribitur, qualitate, ac forma tam tunicarum, & scapularis, quam Caputii, atque albarum Capparum statutis. Quod statim a Pontifice Apo-sto-

stolico Brevi probatum , confirmatumque est . *Bull. ibid.*

1636. Die 14. Decembris hujus anni felicissimus accidit obitus Ven. Joannis a Sancto Sampsoni , Provinciæ Turonensis in Gallia Laici Professi , a nativitate cœci , sed interiori lumine mirifice illustrati , ac Mysticæ Theologiæ insignis Magistri , super quam plura scripsit volumina , pluries edita , magnique a Doctoribus habita . Hinc merito illius sepulcro sequens Epitaphium adpositum est :

*Siste paullum Viator , O' hoc unum adverte  
Cæcus videt , mortuus vivit ,  
Pauper Evangelizat  
Ignarus , indoctus  
Facienda scribit , scribenda facit  
Beatus , si audis , credis ,  
Et sine invidia  
Meliorum Charismatum Æmulator  
Imitaris .*

Eiusdem Vitam , virtutes , & gratias a fidelibus per ipsius intercessionem acceptas , ejusque post mortem apparitiones descripsit , atque in lucem edidit P. Mathurinus a S. Anna , una cum Joannis Opusculis .

1637. Ad evitandas impensas , quas Generalis Capituli celebratio Conventibus , ac Provinciis , calamitatibus illorum temporum haud parum afflictatis , adferebat , Pontifex Urbanus , Brevi diei 10. Octobris hujus anni , Stratium Generalem ad aliud sexennium confirmat . *Bull. Carm. tom. 2.*

Eodem anno idem Pontifex per Sacram Congregationem de Propaganda Fide duos ex Patribus nostris Provinciæ Primi Instituti , *Montis Sancti , ac Seminarii de Propaganda Fide* nuncupatae , in Cypri Insulam mittit , ad Jesu Christi Evangelium prædicandum , Fidemque Christianam propagandam , amplissimis cum facultatibus , *ut Ministerium vestrum digne , ac fideliter , etiam cum sanguinis effusione , ac morte ipsa , si opus fuerit , impleatis O. c. Bull. Carm. ibid.*

1639. Constitutiones pro Ordinis nostri Reformati conditæ , in quibusdam mutatae , aliisque locupletatae statutis , ad strictiorem Regularem Observantiam conducebantur , hoc anno ab Urbano VIII. Bulla ejus probatae , ac confirmatae sunt . Quas anno 1646. aliis additis articulis , Innocentius X. iterum adprobavit , & confirmavit : præcipiens insuper , illas in omnibus Reformati Provinciis inviolabiliter observari . *Bull. Carm. ibid.*


Idem


Idem Pontifex Urbanus , postulante Generali , alio Brevi præcipit , neminem e Carmelitis , tum in Italia , tum in Insulis conterminis de gentem , laureari posse , nisi Romæ , rigido prius examini subjectum .  
*Bull. ibid.*

1640. Sub id tempus Waddingus celebris Fratrum Minorum Chronographus , a Sacra Rituum Congregatione , cuius Consultor erat , Sanctorum nostri Ordinis Officiis revidendis destinatus , S. nostrum Petrum Thomam Religioni Carmeliticæ eripere conatur ; suo Ven. Petro Theutonico , Pactensi , & Lipparensi etiam Episcopo , Legationes Pontificias , Dignitates , aliaque omnia attribuens , quæ de Sancto nostro narrantur ; Ordinem idcirco nostrum plagii insumulans , utpote alienos Sanctos usur pantem . Hinc Stratius Generalis cum aliis præcipuis Ordinis Patribus magna affectus est tristitia , atque animi perturbatione , donec ( indictis prius jejunio , & precibus , ac Missa de S. Petro Thoma sollemniter celebrata ) Lezana , aliique doctiores Religiosi , Vaticani Regestis undique perquisitis , post multos exantatos labores invenerunt tandem *specialissima* , & *evidentissima Dei Providentia* , & *singularissima ejusdem B. Petri intercessione* ( inquit Lezana ) Bullæ Innocentii VI. archetypum , qua post Petri Theutonici obitum , Pactensem Episcopum Petrum Thomam Carmelitam instituebat . Bulla itaque ista S. Congregationi , & Waddingo porrecta , Ordo noster apud omnes vindicatus est ; immo Waddingus erroris sui certior factus , nostri S. Præfus Vitam in lucem statim edidit . *Lezana ad ann. 1354. , & Daniel Specul. Carm. tom. 2. num. 706.*

1642. Die 23. Aprilis Stratius Generalis , dum ab Urbe Neapolim petit , Conventum Carmeli Majoris visitaturus , Priverni moritur ; eique Religioni regundæ Albertus Massarius subrogatus est , Generalis Vicarius a Pontifice institutus . *Bull. tom. 2.*

Prvernum , italice *Piperno* , Urbs est in Campania Romana sub Pontifica ditione , inter Terracinam , & Romam posita , a qua quadraginta quatuor distat milliaria .





xxxiii  
*Albertus Massarius  
Medicinensis*

ab Urbano VIII primum Vicarius Gnales, deinde 5 Augusti  
1597 institutus Gnales. Praefuit anno I. mensibus 5. Decessit Roma  
domini 1643. die 29bris 1643. Aetatis sue an. 58.

## XLIII.

## ALBERTUS MASSARIUS.

**M**edicinæ ( parvum est Bononiæ Oppidum ) ortus est Albertus Massarius anno Æræ Vulgaris 1585. Tertio ætatis lustro jam transacto , in patrio Conventu , ea tempestate satis inopi , sed quatuor eximiis Generalibus , quos protrulit , nunc præstantissimo , Carmeliticum Institutum amplexus est . In eo deinde quantum prudentia , pietate , ac sapientia profecerit , tot , quos gessit honores , luculenter ostendunt . Studiorum curriculo expleto , Doctoris , ac Magistri lauream in ordine suo fuit consecutus ; Romam deinde vocatus , Parochi munus in Transpontinæ Ecclesia plures per annos exercuit ; Anno 1639. Romandiolæ suæ Provinciae Provincialis omnium plausu fuit renunciatus . Quibus in muneribus id virtutis , ac doctrinæ specimen exhibuit , ut anno 1642. , defuncto Generali Theodoro Stratio , ipse fuerit totius Ordinis regimini a Pontifice Urbano VIII. subrogatus , Brevi ejus Apostolico 8. Maii ejusdem anni , quo eundem Generalem Vicarium creavit .

Etsi Massarius noster blæsus aliquantulum esset , publicisque functionibus minus aptus ; nihilominus naturali huic vitio mentis acumine occurrebat , & ingenio , judicioque adeo pollebat , ut *vir summae prudentiae , & dexteritatis in agendis nuncupari meruerit* . Hinc peste , bellisque adhuc sœvientibus , quæ Capituli celebrationem morabantur , eadem Religio per Ven. Joannem Baptystam Lezanam , & Joannem Antonium Philippinum ( qui fuit deinde Ordinis Generalis ) tum Socios , atque Assistentes Generales , Pontificem adivit , ut Massarium Apostolica auctoritate totius Ordinis Generalem Priorem crearet ; quod statim Pontifex Brevi diei 5. Augusti

sti 1643. ad triennium præsttit. Atque hic notatu dignissimæ sunt caussæ , quibus apud Papam usi sunt duo illi selectissimi Patres . „ Cum ( ait ipse Pontifex in Brevi ) sicut „ dilecti Filii Joannes Baptista Lezana , & Joannes Antonius „ Philippinus , Socii Generales , Nobis nuper exponi fecerint , quod Tu in exercendo Vicarii Generalis hujusmodi munere recte , & prudenter te gesseris , ac humilitate , modestia , temperantia , aliisque virtutibus religiosis ornatus sis , neque speretur fore , ut in Capitulo Generali , ut præfertur , celebrando , alius te melior ( nota ) in Priorem Generalem Ordinis hujusmodi eligi valeat &c. Nos hujusmodi supplicationibus inclinati , Te ejusmodi Ordinis Priorrem Generalem cum omnibus , & singulis facultatibus ad triennium tenore præsentium facimus , constituimus , & deputamus .

Prior itaque Generalis factus tantam sollicitudinem , ac studium in Regulari Observantia , ac Provinciarum Reformatione promovendis ostendit , ut magnaæ fuerint expectationes , quas totus Ordo de ejus regimine conceperit ; verum statim hujusmodi spes inanes factæ sunt : vix enim triennii illius paucis mensibus exactis , gravi morbo correptus Massarius e vita discessit , postquam Ordinem & uti Vicarius , & uti Generalis annum , & quinque menses moderatus est . Accidit Romæ præmatura mors ejus iv. Kal. Novembris , anno Reparatæ Salutis MDCXLIII. atque ætatis suæ quinquagesimo octavo , Urbano VIII. Christi Ecclesiam moderante ; fuitque in Sacello S. Angeli Ecclesiæ Transpontinæ , atque in communi Generalium Priorum sepulcro tumulatus .





xxxviii  
*Leo — Bonfilius  
Medicinensis*  
ab Urbano VIII institutus Vicarius Gral. Romæ in Comitijo  
4 Junij 1645 electus Gral. Praefuit annis 3 mensibus 3. Do-  
cessit Mazarq die 20 January 1647. Etatis sue an. 58.  
Arnold. W. Westerhout sculpsit

## XLIV.

## LEO BONFILIUS.

**A**lberto Massario Generali Leo Bonfilius concivis ejus successit, ejusdem Conventus, & Provinciæ Alumnus, illique pariter & studio, & pietate simillimus; a Leone idcirco a S. Joanne inter Antecessores illos Generales enumeratus, *qui ceu ad æmulationem res observantiae sinceris animis foverunt, auxerunt, confirmarunt*. Ea propter variis muneribus, atque honoribus in suo Ordine fuit cumulatus; præ certis vero anno 1627. ad suæ Romandiæ Provinciæ Præfecturam electus est, atque anno 1643. Massario Generali defuncto, ab Urbano VIII., qui meritum ejus perfecte noverat, Generalis Ordinis Vicarius institutus est. Quo sane in munere, ea prudentia, ac zelo se gessit, ut anno 1645., concitis Generalibus Comitiis, a congregatis Patribus plenissimis suffragiis supremos inter Ordinis Moderatores fuerit adscitus.

Hac Sede donatus Bonfilius, apprime cum Ammiano callens, *Imperium curam esse salutis alienæ, & Principes non sibi soli, sed sui Populi utilitati, & commodo natos esse*, misfis, jussu etiam Pontificis, in alias Provincias Commisariis, ac Visitatoribus vigilantissimis, suscepit ipse eodem anno, quo Generalis electus est, Siciliæ Provinciarum Visitationem, incommoda, labores, & cuncta, quæ tam difficile iter solent comitari, parvi pendens pericula. In Insulam illam, ubi pervenit, cuncta illarum Provinciarum lustravit Cœnobia, atque in omnibus exemplo, verbis, ac salutaribus statutis, malos usus resecando, veterem Regularem Observantiam, ubicumque illam deesse, vel frigescere intelligebat, omnibus nervis revocare contendit. Adventabat jam Visitationis finis, cum in

G g

Ma-

Mazaræ Conventum appulsus, lethifero morbo fuit correptus, qui ipsum paucos intra dies ad tumulum perduxit, *magno rotius Religionis mærore* (ait Daniel noster): *quippe qui juxta non minis etymon vere magnanimus, & in rebus executione constans, rigorem clementia temperans, tamquam bonus Pater Filios suos in multas dispersas Provincias magno cum labore visitare pergebat, ut sic Regularem ubique disciplinam, ac Reformationem promoveret*: Supremus Leonis nostri dies fuit xx. Januarii MDCXLVII. Regnante Innocentio X. Pontifice, anno ætatis suæ XLVIII. Regiminis vero anno tertio, ac mensibus tribus. Eaque fuit fama, quam pietatis suæ apud omnes reliquit, ut populi frequentia illius Cadaver sex dierum spatio in nostra Mazarense Ecclesia insepultum jacuerit, nullo corruptionis edito signo. In ejus sepulcro sequens Epitaphium adnexum est:

*Huc oculos intorque, Hospes, nam morte peremptus*

*Qui jacet, ut Libycus non viget ipse Leo.*

*Est Leo, quem genuit dulcem Medicina, Minerva  
Officiosa parens munera larga dedit.*

*Est Leo, sed celebris morum Bonfilius Auctor,  
Carmeli egregius Pastor, & Orbis honor.*

*Sic pius in Superos peragrans per Templa, Selinis  
Offa reliquit humo, spiritus astra colit.*

*Res memoria dignæ sub Bonfili regimine.*

1645. **T**Riennio exacto, quo Religio nostra, ob pestem, ac bella, quæ Regna, & Provincias desolaverant, Generalia concire nequivit Comitia, ea tandem in Transpontinæ Conventu die 4. Junii celebrata sunt; in quibus, Præsidente Cardinale Martio Ginetto, novo Ordinis Protectore, idem Generalis Vicarius Leo Bonfilius Generalis eligitur Prior, atque Hippolytus Sesoldi Generalis Procurator nominatus est.

Multa, ac varia statuta in eo conduntur Capitulo. Primo, derogato Constitutionum præscripto *par. 4. cap. 3.* quo statuitur, ut deficiente Generali, Provincialis illius Provinciæ, in qua futuri Generalis Ca-

pi-

pituli celebratio assignata fuerat, Religionis regimen assumat, & Capitulum convocet, præscribitur, ut deinceps solum Generalis Procurator sit in eo casu Generalis Ordinis Vicarius &c. 2. Ut paupertatis votum recte impleatur iis in Cœnobiis, in quæ nondum vita communis invecta est, præcipitur, ut ab omnibus Religiosis reale fiat depositum totius pecuniaæ, quæ quovis modo ad illos pervenerit. 3. Committitur Generali Procuratori, ut instet apud PP. Jesuitas pro duorum Conventuum restitutione, nempe Viennensis, & Augustæ, qui ab ipsis post Hæreticorum in Germaniam irruptionem occupati fuerant. Idem quoque pro Conventibus, in Hibernia amissis, recuperandis præscribitur. 4. Ut cunctis in Provinciis unum, aut duo Cœnobia strictioris Observantiaæ, sive Reformationis assignentur. Optimum sane statutum, si executioni foret demandatum. Hæc, atque alia ejusmodi utilissima decreta in eo Capitulo publicata sunt, ut in *Papy. Ord.* legere est.

Eodem anno rediens e Sacris Hierosolymæ Locis Ven. Franciscus de Cruce (de quo mox dicendi erit locus), Neapoli insignem habuit visionem, quam iisdem nostri Danielis verbis referemus. „ Cum Frater Franciscus a Cruce de Hierusalem redux moraretur Neapoli, regatus fuit a P. M. Acitelli, ut in orationibus suis commendare vellet conservationem, & prosperitatem ipsius sanctæ Domus, Majoris scilicet Conventus Carmelitarum Neapolis. Prius usus est actibus humilitatis, ut se excusaret tamquam indignus Peccator: tandem instantiis dicti P. Acitelli victus, Deo preces suas effudit; post duos, vel tres dies cum amaritudine cordis sui dicto Patri retulit, quod inter orandum videbatur videre in dicto Conventu turbam numerosi, & armati Populi, effudentis sanguinem, cum aliquorum homicidiis; quodque postea videbatur videre dictum Conventum plenum militibus, & armis,. Eadem Visio, cui tum parum fuit creditum, omnino confirmata est anno 1647. & sequentibus, ut dicemus. *Specul. Carm. tom. 2. pag. 1000.*

1646. Die 16. Februarii hujus anni, novæ Provinciae *Primi Instituti* Siciliæ erectio, in præcedenti Capitulo facta, probata, confirmataque est a Sacra Congregatione. *Bull. tom. 2.*

1647. Popularis seditionis tempore, quæ Neapoli hoc anno, duce & auctore *Mas-Aniello*, accidit, res memoratu dignissima contigit. Nam dum idem *Mas-Aniello* in nostra Carmeli Majoris Ecclesia numerosissimo cum Populo morabatur, adstante etiam Cardinale Archiepiscopo Ascanio Philomarino, a quibusdam proscriptis ac sicariis hominibus

septem sclopi iectus in eumdem emittuntur: sed pilæ, et si ejus pectus; sola tectum subucula, tetigissent, ad pedes tamen illius nulla cum ejus læsura ceciderunt: id quod Virgini de Monte Carmeli tutamini tributum est, cui addictissimus erat, cujusque sacrum Scapulare pectori affixum gestabat. Prodigiosum successum quatuor post menses, uti a nobis relatus est, typis publice ediderunt Doctor Joseph Donzelli Neapolitanus in sua Parthenope liberata *par. 2. pag. 32.* atque Alaxander Ciroffi *Histor. Sedition.* eodem anno Venetiis publicata: & quod magis est, fuit miraculum isthoc ab Hæreticis ipsis evulgatum, typisque editum Roterdami anno 1655. *Hist. tumult. Neap.* proprio idiomate conscripta, a Daniele nostro *Vin. Carm. pag. 322.* latine reddita. *Auctores cit.*

Attamen, quis crederet! Id quod miraculi loco ab Hæreticis ascribitur, Auctor nostri Sæculi Orthodoxus, qui ceteroquin haud negat successum, in derisionem accepit, ac Fratrum invento, Populique vesaniæ tribuit. *Vid. Muratorium Annal. Ital. tom. XI. ad hunc annum.*

Ceterum Populus ira commotus in homines illos irruit, quorum pars in Templo ipso, pars in Sacrario, atque alii in Conventus Dormitorii trucidati sunt. Quod deinde Cœnobium, sedato tumultu, Regionum Militum locus, atque arx evasit. Sicque omnino Ven. Francisci Visio, superius ad ann. 1645. relata, confirmata est.

Vertente eodem anno 1647., ad Cælum convolavit Ven. Frater Franciscus a Cruce, de quo dictum est supra, Laicus Carmelita, natione Hispanus, ac Patria Toletanus, eximius Dei Servus, ac poenitentia in primis spectatissimus, qui ætatis suæ anno 57. cruce magni ponderis humeris imposita, cuncta Europæ, ac Palæstinæ Loca Sacra lustravit, undeque pietatis, ac prodigiorum vestigiis relictis.

De eodem Francisco duo sane mirabilia in ejus Vita narrantur, quæ eodem sui obitus anno acciderunt. Primum est, quod Vigilia Nativitatis Domini, primis Vesperis a Fratribus inceptis, visus est Dei Servus cereos in Majori Altari accendere, quod Sacrista neglexerat. Alterum vero, quod nocte ejusdem Nativitatis cum Religiosis in Matutino ad Hymnum *Te Deum* pervenissent, vix primo recitato versiculo, secundum versiculum sonora voce a Ven. Francisci sepulchro recitari auditum est, sicque ad finem usque alternatim contigit. *Ita in ejus Vita,* a Sebastiano Mugnos Suarez conscripta. *Vid. Specul. Carm. tom. 2.*

Ineunte eodem anno ex hac vita migravit Generalis Leo Bonfilius, atque Religionis regimen Generalis Procurator Hippolytus Seffoldi suscepit. *Ex Papy. Ord.*





## XLV.


## HIPPOLYTUS SESSOLDI.

**H**ippolytus Sessoldus superiores inter Generales & ipse recenseri meretur, atque hoc præsertim poni loco: vere enim, et si ad breve tempus, totius Carmelitici Ordinis supremus fuit Moderator. Erat ipse Italus, ac *Thuscianæ Provinciae* Alumnus, circa A. D. 1595. Emporii natus (italice Empoli), quod juxta Ferrarium, Oppidum est agri Florentini, ad Arnum Fluvium, & 20. milliaribus a Florentia distans, sub magni Ducis *Hetruriæ* dominio. Insignis Magister, ac Doctor sui Ordinis extitit; adeo ut Generalibus Comitiis Romæ habitis anno 1645., a toto illo venerabili Confessu fuerit ipse per secreta suffragia, & communi totius Ordinis plausu Generalis Procurator renuntiatus. Quocum munere illud etiam Generalis Commissarii exercuit, eidem a Generali Leone Bonfilio collatum, donec ab Urbe absuit, Sicularum Provinciarum Visitatione distentus. Eo Generalis Commissarii charactere erat Hippolytus insignitus die 16. Februarii 1646.; cum novæ Provinciæ *Primi Instituti*, sive *Montis Sancti*, præcedenti Capitulo erectæ, confirmationem a S. Sede petivit, perque Decretum hoc tempore emanatum obtinuit. Sed dum duo hæc munera omni cum cura, ac Religionis utilitate gerebat, Generali Bonfilio in Sicilia immature demortuo die 19. Januarii 1647., atque obitus nuncio Romam allato, confessim totius Ordinis regimen assumpsit, uti Generalis Vicarius a jure constitutus: *Mortuo Generali Bonfilio jura tuens Religionis, solumque præ oculis commune bonum habens, regimen Ordinis suscepit, tamquam Vicarius Generalis, ut in Ordinis Papyro scriptum reperitur.*

Ad munus ergo Generalis Vicarii ascendit Hippolytus,  
non

non per electionem , aut quoddam Pontificium Diploma , ut antehac in more positum erat , sed vi novi Statuti in præcedenti Capitulo conditi , quod istiusmodi erat : *Statuimus , & mandamus , quod vacante quomodolibet Officio Prioris Generalis , statim Procurator Generalis sit Vicarius Generalis , cum hoc onere , quod vocem passivam non habeat ad Generalatum ; & intra annum a vacatione Generalatus convocet Capitulum pro Priore Generali eligendo.* Hinc vi etiam illius statuti Generalia Comitia convocavit , quæ in Transpontinæ Conventu habita sunt die 30. Maii 1648. ubi sane , etiamsi ipse primam gereret personam , & totius Ordinis Præfectura dignissimus foret , cecidit tamen Generalatus sors super Joannem Antonium Philippinum : sed id non aliter accidit , quam ob præfatum Generalis Capituli præscriptum ; nam cum ipse Vicarii Generalis munus post Generalis Prioris obitum suscepisset , voce ad Generalatum passiva omnino carebat .

Præfuit itaque Ordini Hippolytus Seffoldus annum unum , & menses quatuor . Qui tandem annis æque , ac meritis plenus Emporii , quo post sui Ordinis regimen secesserat , naturæ concessit iv. Nonas Octobris , anno a Christi ortu MDCLXV. ætatis vero suæ septuagesimo .





## XLVI.

## JOANNES ANTONIUS PHILIPPINUS.

**O**rtus est præclarissimus hic Generalis in alma Urbe Romæ anno reparatæ Salutis 1598. Carmeli lanas induit, nostrumque Institutum professus est in Florentiæ Conventu; e quo Papiam missus, ibique Philosophia imbutus, in Hispanias se contulit, atque Oscæ, ac Cæsaraugustæ biennio Theologiæ operam dedit: Italiam deinde reversus, in Neapolis, & Romæ Collegiis studiorum explevit curriculum, ac Doctoris, & Magistri lauream sibi comparavit. Conventus S. Martini ad Montes Urbis Romæ Prior fuit, quem pene collabentem ære suo, atque industria restauravit, novisque adauxit ædificiis, annuisque locupletavit redditibus. Veterem præterea Ecclesiam SS. Silvestri, & Martini, a S. Silvestro I. erectam, a Constantino Magno dotatam, atque ab aliis Pontificibus deinde reædificatam, ac restauratam, variis ipse picturis, ac supellestile ornavit, adeo ut hodierno die inter insigniores Urbis Basilicas connumeretur. Cujus etiam Templi sacras omnes antiquitates, ac monumenta ad illud usque ævum recondita, atque inedita, eruditio suo Opusculo, in lucem edito, descripsit, atque illustravit. Ex quo sane factum est, ut ob tot Cœnobio illi collata beneficia Urbanus VIII. ejusdem perpetuum Priorem creaverit Philippinum.

Fuit insuper duorum Generalium Socius, nempe Theodori Stratii, & Alberti Massarii, Caroli III. Gonzagæ Mantuae Ducis Theologus, atque anno 1647. Hippolyto Sessoldo ad Ordinis Generalem Vicariatum electo, fuit eidem in Generalis Procurationis munere suffectus. Interim convocato sequente anno 1648. Romæ Generali Capitulo, ad supremam Ordinis Præfecturam electus est. Ea autem dignitate donatus

tus, Ordinis Visitationem statim suscepit: adeo ut Italiæ vi-  
sis Provinciis, ad illas deinde Galliæ, Flandriæ & Germa-  
niæ se contulerit, in cunctis incredibili studio, ac prudentia  
Regularem observantiam, & Reformationem stabiliens: & ut  
voti hujus magis fieret compos, prudentissimas quasdam le-  
ges in viginti, & octo articulos divisas edidit. Quæ leges  
*Articuli Philippini* vulgo audiunt, ac *Bull. Carm. tom. 2. pag. 643.*  
referuntur.

Dignissimi hujus Præfulis egregias laudes, ac merita de-  
scribit Cosmas Villiers *Bibl. Carm. tom. I. Vir fuit*, ait ille,  
*suavissimi vultus, parvæ staturæ, candidissimi pectoris, animi*  
*excelsi, & ad ardua nati: ingenii perspicacissimi, & ad diri-*  
*menda diffidia felicissimi, eloquentiæ non vulgaris: gratiæ apud*  
*Urbanum VIII. Innocentium X. & Alexandrum VII. Romanos Pon-*  
*tifices, Reges, Princes, aliosque Magnates, a quibus amabatur*  
*juxta & colebatur quam maxime; paterni erga subditos affectus,*  
*& quod præcipuum est, præclaræ apud Deum pietatis.*

Religioni Philippinus noster magna cum laude sexennio  
præfuit; quo exacto, Generalibus habitis Comitiis anno 1654.,  
novoque Generali electo, in optatissimum suum S. Martini  
ad Montes Cœnobium secessit, quod beneficiis cumulare non  
destitut. At tertio anno vix expleto, nempe VII. Idus Augu-  
sti MDCLVII. ætatis suæ anno LIX. diem obiit supremum,  
Alexandro VII. Ecclesiam regente, fuitque eodem in Tem-  
plo in magnifico tumulo conditus, marmoribus ornato, & se-  
quenti cum Epitaphio:

D. O.

D. O. M.

Joannes Antonius Philippinus  
 Romanus, totius Ordinis Carmeli  
 Generalis, & Dux;  
 Ecclesiæ hujus ornator, & gloria.  
 Utriusque amor, & desiderium:  
 Omnibus Exemplum.  
 Obiit die VII. Augusti MDCLVII.

*Res memoria dignæ sub Philippini regimine.*

1648. **D**ie 30. Maii, SS. Trinitatis Festo, Romæ Generalia Comitia in S. Mariæ Transpontinæ Conventu habentur, quibus Cardinalis Ginetti, Ordinis Protector, præfuit: in iisque Joanne Antonio Philippino, tunc Ordinis Generali Procuratore, Generali Priore renuntiato, Hieronymus Ari, Astensis, Generalis Procurator nominatus est.

Inter cetera decreta, eo in Capitulo condita, statuitur primo, *us vacante Officio Generalatus, non jam Vicarius Generalis infra annum a vacacione convocet Capitulum Generale*, ut præcedenti Capitulo cautum fuerat, sed Romæ Generalis Congregatio celebretur; cui intersint Procurator Generalis, qui erit Præsidens, duo Socii Patris Reverendissimi, Provincialis Romæ, Prior Transpontinæ, Lectores Sapientiarum, Prior S. Martini, si fuerit Magister, Regens Transpontinæ, Secretarius Ordinis, & quicumque alias Provincialis Romæ existens, nec non qui fuit aliquando Vicarius Generalis Ordinis, Procurator Generalis, Prior Transpontinæ, vel Provincialis alicujus Provinciarum, & tunc Romæ, ut Conventuales, degentes &c. ab eaque Congregatione Vicarius Generalis eligatur. Et Vicarius Generalis sic electus (additur) exercebit suum Officium usque ad complementum sexennii, & si in dicto Officio duraverit per triennium, careat omnino voce passiva in sequenti Capitulo. Secundo, passiva, atque activa vox in cunctis Generalibus Capitulis conceditur cuicunque, qui laudabiliter in Ordine officio Procuratoris Generalis est functus. Ex Papy. Ord.

Eodem anno haud parva contentio orta est in Rothomagensi Dœcensi circa Carmelitici Scapularis Sodalitii erectionem, Indulgentias, ac

H h

Bul-

Bullam præcipue Sabbatinam , aliis contra , aliis prostantibus . Inter hæc dissidia Rothomagenfis Antistes , ut ea componeret , Sorbonæ Parisiorum Doctorum judicium , ac sententiam postulavit ; octoque ex iis selectissimis viris quæstionis examen , ac decisio committitur : qui sane vissis Bullis , omnibusqæ pensatis die 19. Augusti anno 1648. licitam Confraternitatis erectionem , & erectæ quidem confirmationem declararunt . Indulgentiam vero Sabbatinam iuxta tenorem decreti Pauli V. publicandam , afferendamque esse censuerunt . Quod postea judicium ab octo illis Doctoribus subscriptum est . Irenæus a S. Jacobo , vid. Vin. Carm. pag. 320.

1649. Dum Sacrum Scapulare in dubium revocant obtrectatores , D. O. M. prodigiis etiam illius ostendit laudes , ac sanctitatem , ut miraculum a Raynaudo relatum lib. Scapul. Partheno-Carmel. luculenter testatur . „ Miles anno 1649. (scribit ipse) ad Ipras Flandorum , scelso appetitus , pilam in Scapulare , quod gestabat , incidentem exceptit ille : atque , ut geminaretur Miraculum , effigies Deiparae acu pictæ in Scapulari , in quam pila incurrit , expressa est in plumbo : quod Serenissimus Leopoldus Austriae ad Miraculi memoriam affervare dicitur . Cui addit Daniel a V. M. „ Me præsente , & audiente anno 1635. die 25. Junii dictum casum , prout jam enarratus est , regalit Sereniss. Princeps Archidux Austriae Leopoldus , & Gubernator Belgii , dum dignaretur prandere in Refectorio Conventus Dominæ nostræ Bonæspei , ratione professionis in Ordine nostro P. Philippi a S. Josepho , quondam Marchionis de Renty , primogeniti Ducis Hausræ . Quoad globum illum , cui impressa erat Effigies Virginis Deiparæ , afferebat , se inter manus habuisse , sed ad preces militis Officialis , cui res contigerat , eidem reddidisse . Ita ille Vin. Carm. pag. 321.

1651. In Carmelo Majori Neapolis Frater quidam Laicus , illius Ecclesiæ Subsacrista , die 10. Decembris hujus anni , cum in lecto sine scapulari jaceret , sub medium noctem cubiculum suum , quod apud Sacra-rium erat , quinque Religiosos ingredi videt , quorum primus Subprioris Conventus speciem præ se ferebat ; isque asperrima primum objurgatione sibi facta , quod sine scapulari dormiret , jussit eum de lecto surge-re , deindeque flagello diris verberibus oneravit ; eundemque Subsacristam severa voce hunc in modum allocutus est : *Cave deinceps sine scapulari quieti te dare : moneasque Prefectos Sacristicæ , ut pro Defunctis suffragia , & Missas fieri curent .* Mane diei sequentis attritus Laicus , his atque illis verberum vestigia ostendens , de Subprioris severitate que-

re-

rebatur, sed injuria; nam re perpensa, cognitum est, neque Subpriorum, neque alios Cellam ejus ingressos fuisse, neque id fieri potuisse ob Regios Milites, Vigilesque, qui tum in Conventu erant, ob populares tumultus, qui paullo ante in Urbe acciderant. „ Hinc (subdit Daniel, qui successum a Laico, Subpriori, aliisque Fratribus cum juramento subscriptum acceperat) „ pro comperto habetur, ipsos fuisse apparetates Spiritus ritus Religiosorum istius Conventus: quorum aliqui etiam aliis vicibus nocturno tempore in Ecclesia circa Sacristiam visi, & auditi fuere, monentes, seu expertentes fieri suffragia,. Ex quo sane casu commendatissimus deinde inolevit mos, Missam quotidie in eadem Ecclesia pro Conventus Defunctorum Fratrum animabus celebrandi; sicque deinceps nil amplius aut visum, aut auditum ibidem est. *Ciror. Author in Vin. Carm. pag. 576.*

Sed dicet hic nonnemo. Si animæ Carmelitarum illorum suffragia expetebant, ut a Purgatorio liberarentur; ubi ergo est Sabbatinum prævilegium? ubi Mariæ tam famigerata promissio? *Sabbato post eorum obitum a Purgatorio liberabo eos.* At difficultas isthac facile solvitur; si sedulo perpendantur ea, quæ Daniel noster docet in suo Speculo tom. 1. par. 2. num. 2250. & 60. ubi sic differit ipse: „ Qui exakte conditiones servaverit a Beatissima Virgine præscriptas (quæ in Carmelitis Fratribus sunt, Regulam inviolatam servare, & in obedientia, paupertate, & castitate perseverare), is videtur infallibiliter Sabbato post ejus mortem a Purgatorio liberandus, aut etiam citius (ut Carmelita ille, quem statim post obitum recta Cælum petere vidit S. Theresia, de quo ad ann. 1422. diximus): nam talis anima omnino digna est & idonea, ut suffragium Bullæ a Virgine promissum, a Deo liberaliter pro ea acceptetur ad dictum plenum effectum; Qui vero in observantia istarum conditionum negligentes fuerint, non omnino plene illam gratiam consequentur, propter defectum conditionis ex parte ipsorum requisitæ; sed tantum *ex parte*, secundum quod ipsi idonei, & digni sunt, & plus, vel minus ex ipsis conditionibus servaverint,. Idem dic de Carmeli Confratribus. Hactenus Daniel; & est communis Theologorum sensus, ubi de plenariis agunt Indulgentiis.

Eodem anno orta contentionе inter Ordinis nostri Præsules, & Nolanum Episcopum, qui Religiosos Confessarios, jam ab ipso examinatos, atque adprobatos, iterum examini submittere contendebat. Sacra Congregatio, re serio perpensa, Rescripto ejus sub die 2. Septembris hujus

anni declaravit, ut jam alias fecerat. „ 1. Regulares ad audiendas Sz-  
 „ cularium Confessiones, semel ab Episcopo in Civitate, & sua Dice-  
 „ cesi prævio examine approbatos, non esse ab eodem Episcopo iterum  
 „ examinandos. 2. Episcopos non posse suspendere ab audiendis Con-  
 „ fessionibus Regulares Confessarios ab ipsis approbatos, nisi nova su-  
 „ perveniente cauffa, ad ipsas Confessiones pertinente. 3. Facultatem  
 „ adimere Confessiones audiendi omnibus simul unius Conventus Regu-  
 „ laribus Confessariis, eadem Sacra Congregatione inconsulta, nullo pa-  
 „ cto posse. *Bull. Carm. tom. 2.*

1652. Innocentius X. Bulla diei 15. Octobris, incipiente *Instau-  
 randæ Regularis Disciplinae*, parvorum Conventuum Suppressionem præ-  
 cipit, cujuscumque Regularis Instituti in Italia, & conterminis Insulis;  
 „ in quibus Cœnobiis, sive ob redditum, & eleemosynarum tenuita-  
 „ tem, sive ob aeris intemperiem, sive ob aliam cauffam non alun-  
 „ tur, nec ali possunt tot Religiosi, quot ad peragendum rite divinum  
 „ cultum, & regularia munera ex cujusque Ordinis præscripto sunt ne-  
 „ cessarii. *Bull. Carm. tom. 2. pag. 510.*

Conventus, qui ex hac Bulla in nostris Italiæ Provinciis suppressi  
 fuerunt, enumerat S. Congregatio Epistola ad Generalem nostrum Pro-  
 curatorem missa sub die 24. Octobris ejusdem anni, relata in *citat.*  
*Bull. tom. 2. in Appendice pag. 710.* Ubi alia etiam ejusdem Sacra Congregationis extat Epistola diei 26. Februarii 1654., qua quidam Conventus antea suppressi, Pontificis indulgentia, cum quibusdam tamen  
 legibus, restituti declarantur. *Ibid.*





Marius <sup>XXXVII</sup> Venturinus  
Senensis

Electus Consalis in Comitiis Romae habitis 31 May 1654. Praesuit annis 86  
Decessit semis die 24 Augusti 1676. Etatis sue an. 86 n.s.

Nec d' Oratij Sculps.

## XLVII.

## M A R I U S V E N T U R I N U S.

**M**arius Venturinus, natione Italus, patria Senensis, anno D. 1590. e nobilissimis Parentibus ortus est, ejusque Mater sanguine erat conjuncta Summo Pontifici Alexander VII. ex inclita Chisiorum gente. In patrio Senarum Conventu, Thusciæ Provinciæ, Carmeliticum Institutum amplexus est; in eoque Magistri, ac Doctoris laurea insignitus, tantam existimationem, ac laudem sibi peperit, ut præter alios in sua Provincia gestos honores, hujus etiam Praefecturam natus fuerit: Deindeque a Generali Philippino Saxoniæ etiam Provincialis fuit creatus; quo titulo cum interfuerit Generali Capitulo anni 1654., supremus in eo Religionis Pastor communi omnium plausu fuit renuntiatus.

Is autem fuit Venturinus ille, qui, primo sui Muneris anno, Sacrum imposuit Scapulare, ejusque Sodalitio adscripsit in S. Mariæ Transpontinæ Templo consanguineum, & concivem suum Cardinalem Fabium Chisium, paullo post Pontificem, sub Alexandri VII. nomine, creatum, qui Marium deinde in magno semper habuit pretio, ut variæ ostendunt Bullæ pro eodem Generali publicatae: & quidem primo sui Pontificatus anno Commissarium, atque Apostolicum Visitatorem Religionis suæ ipsum instituit: præterea Visitationis tempore potestatem ei fecit quindecim laureandi Religiosos, cum omnibus gratiis, & privilegiis, quibus in publicis Lyceis gaudent Graduati; qui etiam, ipso postulante, Brevi Urbani VIII. de nemine laureando, nisi Romæ coram Cardinale Protectore examini prius subiecto, derogavit; alioque insuper Brevi Apostolicas Venturino communicavit facultates non solum visitandi, sed & reformati Mantuanam Congre-

ga-

gationem ; etiam per alios arbitrio ipsius destinandos.

His Pontificiis facultatibus insignitus Venturinus , Ordinem sibi commissum tanta cum prudentia , zelo , ac plausu per sexennium moderatus est , ut in sequente Generali Capitulo , in quo munus complevit suum , non modo nihil ipsi objectum fuerit , sed immo summis laudibus eum omnes extulerint , ac præfertim Cardinalis Capituli Præses palam fassus est : *gratias ipsi referendas pro laboribus in regimine Ordinis exantatis .* Haud minus honestum elogium est , quod eidem attexuit idem Pontifex Alexander Pontificio Brevi , quo post Generalatum , perpetuum sui Conventus Senensis eumdem Priorem instituit : *Religionis ( ait Pontifex ) zelus , Sacrarum litterarum scientia ;* *vitæ integritas , prudentia , vigilancia , aliisque excimæ virtutes ,* *quibus te prædictum esse novimus , ac suscepisti pro tuo Ordine ,* *cujus Generalatum summa cum laude novissime gessisti , labores ,* *promerentur , ut in illis , unde , & tibi honoris , & eidem Or-* *dini utilitatis proventura est accessio , peculiarem Apostolici favo-  
ris nostri benignitatem tibi libenter impartiamur &c.*

Absoluto itaque Generalatus munere , novoque electo Generali in Generali Capitulo anni 1660. , Venturinus no- ster in patrium Senarum Conventum secessit , quem , parvæ illius Familiæ regimine contentus , studio suo , ac prudentia ad senium usque rexit , adauxitque ; ibique tandem annum octogesimum , & sextum ætatis agens fato cessit ix. Kal. Septembris anno ærae Christianæ MDCLXXVI. Petri Sede Vacante .

*Res memoria dignæ sub Venturini regimine .*

1654. **D**ie 31. Maji hujus anni Generalibus Comitiis Romæ habi- tis , eodem Cardinale Ginetto præsidente , Marius Venturius Generalis eligitur Prior , ac Generalis Procurator Benedictus Rocci nominatur , cui postea anno 1658. Nuscano Episcopo creato Joannes Baptista Lezana ab Alexandro VII. fuit subrogatus .

In-

1. Inter alia memorata digna, quæ in hoc statuta sunt Capitulo, ea  
sunt. 1. Ut totius Capituli nomine D. Gaspari Romer per epistolam  
grates reddantur de singulari ejus erga Ordinem benevolentia, deque  
eius pollicitatione, partem expensarum contribuendi, quæ pro B. Maria  
Magdalena de Pazzis canonizatione essent necessaria.

2. Ut ejusdem Capituli nomine „ad Cæsaream Majestatem den-  
tur quam instantissimæ litteræ, quibus rogetur; ut vel Conventum  
nostrum, nulla Ordinis culpa a Patribus Societatis Viennæ occupa-  
tum, nobis reddere, vel saltem aliud in compensam in dicta sua  
Civitate Viennensi assignare dignetur“. De veteri hoc nostro Ceno-  
bio ait Lezana: „belli cauffa Carmelitis nostris hinc inde expulsis,  
ac trucidatis, in Jesuituarum manus postea davenit“. Jactura hæc  
fuit deinde novi Conventus erectione compensata.

3. Ut pariter „gratiæ reddantur R. A. P. Theophilo Raynaudo  
Societatis Iesu Theologo, & Scriptori eruditissimo, qui ita luculen-  
ter scripsit in gratiam nostri Scapularis; præterea litteræ Affiliationis  
ipsi mittantur; & Provinciales post ejus obitum carent, celebrari ab  
omnibus nostris Religiosis Missæ Sacrificium pro ipso.

Opus vero, quod pro nostro Scapulari, contraque Launoyum edi-  
dit Raynaudus, inscribitur: *Scapulare Partbeno-Carmeliticum*, extatque  
in tomo VII. suorum Operum: attamen, quia illud novis ejus opinio-  
nibus adversatur, Papebrochius, ut Criticorum mos est, pro vero Ray-  
naudi partu nollet agnoscere. Hinc noster novissimus Scriptor Excal-  
ceatus Anastasius a Cruce; „Miratur tamen (inquit), Papebrochium  
vel ignorasse, vel ut aspernatorem repudiasse debitæ gratitudinis vi-  
ces, Raynaudo auctori disertissimo, ac de Carmelo utroque quam  
optime merito, in Comitiis Generalibus Romæ habitis ab utroque  
pariter Garmelo redditas, litteris ad eumdem per quam honorificis  
expeditis a Præpositis Generalibus M. Mario Venturino, & Isidoro  
a S. Dominico.

1655. E vivis erepto Innocentio X., Successor ipsius Alexander VII.,  
antea Cardinalis Fabius Chisius adpellatus, eodem die, quo Conclave  
ingreditur, accipit in Transpontinæ Ecclesia e Generalis Venturini ma-  
nibus Sacrum Mariæ Scapulare, ejusque Sodalitio ascribitur, atque hinc  
eo insignitus ad Vaticanum se contulit. Ita a Lezana tunc Transpon-  
tinæ Gremiali narratur, qui addit, Pontificem Sacri Scapularis Confra-  
trem factum, singulis Mercurii diebus a carnibus deinde semper absti-  
nuisse; & adeo exacte, ut etiam die illa, qua ad *Summum Pontificatus*  
api-

*apicem evebi meruit, quæ quarta Feria fuit, ejusmodi abstinencia usus fuit. Ratus sane, quod ea habitus gestatione, Deiparae, cuius insigne est, protectione fruatur, quæ tali die Christi Vicariam dignitatem ipsi, plenis Patrum suffragis, sua intercessione impetravit. Annal. to. IV. ad ann. 1251.*

„ Consideratione dignum est ( verba sunt Raynaudi contra Criticum „ Launoyum ) quo magis nebulones aliqui , & pruriginosi , a pietate „ male constituti , in Sacrum Scapulare licenter , vel linguas exerunt , „ vel calamos acuunt ; eo amplius fervore fidelium affectus , & numero „ augescere captantium Religiosum hoc Schema ; ut per illud inter speciales Deiparae Filios , & Fratres cooptentur . Ex antiquo di- „ vinæ Curiæ stylo , pietas , quo plus appetitur turbinibus , eo felicius „ increscit . Notatum id est in Filiis Israel , de quibus dictum est *Exo- „ di i. Quanto opprimebant eos , tanto magis multiplicabantur , & crescebant* Eccl. Scapul. Partheno-Carm. part. i. cap. 8.

Eadem tempestate duo rara miracula edidit Deus per Virginis Mariæ intercessionem , perque Sacrum ipsius Scapulare , dum idem ab Ämulo illo in dubium revocatur . Utrumque , prævio Physicorum , Theologorum , & Canonistarum exanime , atque judicio , ab Episcopis Locomorum ut miraculum declaratum . Primum accedit Austricourt , quod in Flandriis Diœcesis Atrebensis Oppidum est , in puerulo quodam , quem mortuum pepererat Mater . Is Sacro Scapulari induitus , superque Altari B. Mariæ de Monte Carmelo positus , eaque super eum invocata , ad vitam prodigiosissime revocatur , ac Sacri Baptismatis abluitur aquis .

Alterum contigit in Jacobo Calpe Civitatis Castelmontensis , Diœcesis in Hispania Segoviensis , qui fulmine percussus , atque a capite ad calcem dilaceratus , velut horrendum monstrum effectus est ; sed licet omnes ejus vestes ad subuculam usque disceptæ , atque a fulmine combustæ sint , anterior tamen Scapularis pars plane integra , atque intacta remansit ; & dum totum comburitur corpus , cor tamen , & pectus subtus Scapulare nullo pacto læditur . Inter hæc , per Virginis Mariæ de Monte Carmelo intercessionem , ab ipso eo temporis momento invocata , a morte eripitur , adeo ut , Sanctis deinde munitus Sacramentis , post aliquot dies e vita pie discesserit . Tanti Miraculi occafione quidam pius Carmelita sequentia cecinit carmina :

*Quem Sacri Scapularis honor locupletat , & ornat ,*

*Possidet augusta fœdere pacis Opes .*

*Conspirent elementa , ruat licet igneus æther , . . . .*

*Inconquassus erit , qui Scapulare gerit .*

*Cal.*

*Calpeus de morte redun satis indicat illud,  
 Quem sub voce Sacra Mors venerata fuit:  
 Debuit ille mori, sed ei Scapulare Mariae  
 Servanda vitæ tessera fausta fuit.  
 Obstupuit Natura modum, quo fulminis ardor  
 Tangere non potuit, quod Scapularis erat;  
 Ignibus in mediis sanum Scapulare repertum est;  
 Res nova: quis tollat, quod pia Virgo dedit?  
 Quotque vides Cineres, quos vestimenta dederunt,  
 Tot Scapulare Sacri signa favoris babet, &c.  
 Virgo Maria potens, quæ cum sit Amica fidelis  
 Liberat exitio, quæ foveat auxilio.*

**Utrumque prodigium late retulit Daniel Specul. Carm. tom. I. par. 2.**

1656. Italiam hoc anno, ac præfertim Neapolis Règnum, pestilentia lue depopulante, quamplurimi per S. Eliæ Prophetæ intercessionem ab ea mirum in modum eripiuntur, sed potissimum in Dioœcesi Nolana. Erat enim in Oppido prope Nolam, *Sperone* nuncupato, vetus & ruinosa Ecclesia, S. Eliæ dicata, cum hujus Effigie in pariete depicta, quæ venerandum Senem ostendebat, habitu, & cappa (pro ut gestant Carmelitæ) indutum. In cuius Imaginis cultum ab aliquot diebus religiosissimi quidam viri lampadem accendebant, fundebantque preces, Eliæ Prophetæ in re illa trepida se vel maxime commendantes. Quadam vero anni hujus nocte Oppidi Parocho Senex ille apparuit, omnino ei similis, queni Simulacrum illud præ se ferebat, dixitque illi: *Curam habeto Ecclesiae meæ* (illius scilicet ruinosæ) *& mibi cura erit impetrare a Deo,* *ut cesseret pestis.* Nec sane promissum auxilium Sanctus moratus est afferre: nam Mulier quædam pestilentia laborans, Sancto illi cum se commendasset, & lampadis oleo se perunxisset, illico sana evasit, atque incolumis. Quo vulgato miraculo, ceteri omnes peste laborantes e conterminis etiam Oppidis illuc turmatim confluent, eodemque oleo uncti, vel subito, vel sensim sani efficiuntur; sicque iis in locis pestis in posterum omnino destitut.

Dum hæc in Oppidis, ac vicinis contingunt Civitatibus, Clerus, Senatusque Capuanus Sanctum Prophetam Eliam Urbis Capuæ eligunt Patronum, ac præcipuum Protectorem, cujus intercessione, ac patrocinio a pestilentia morbo penitus Civitas erepta fuerat. Omnia patent ex publico instrumento confecto, ac in nostra Capuana Ecclesia coram Patribus, & Urbis Præfectis lecto, & publicato. In quo additum quoque est.

I i

„ Et

„ Et ut perpetuo in futurum dictus glorioſus Sanctus Patriarcha , &  
 „ Propheta Elia a dicta fidelissima Civitate , totoque illius Populo ve-  
 „ neretur , & honoretur tamquam suus particularis Protector , & Defen-  
 „ sor , ut alii glorioſi Sancti Protectores , dicti Illustrissimi Domini Ele-  
 „ ct̄i die vigesima meaſis Julii Sanctæ Festivitati dicti Sancti Protecto-  
 „ ris , quæ annis ſingulis folleſmpter celebrabitur in hoc Sacro Templo  
 „ ab iþis RR. PP. , iþos , & Successores ſuos intereſſe promiferunt ;  
 „ & in ſignum dictæ Sanctæ Protectionis Planetam cum inſignibus dictæ  
 „ Civitatis illi dono præſentare &c. , . De his latius Daniel a V. M.  
*Vin. Carm. num. 618. & seqq. vid. etiam Bull. tom. 3. p. 585.*

Ceterum peste illa Neapolis Urbs magis , magisque affliettabatur ;  
 in ea enim , uti ſcribunt Auctores , & refert Muratorius *Annal. Italie*  
*tom. XI.* , ultra biſcentum octoginta & quinque millia hominum perie-  
 runt : atque in uno noſtro Carmeli majoris Conventu e centum Fratri-  
 bus vix triginta fuerunt ſuperftites , cum ceteri omnes , qui infirmis Sa-  
 cramenta miniftrarunt , occubuerint . Eorum numerum , & catalogum  
 ad Pontificem Romam misit Sebaſtianus ab Aleſandro , tum Conven-  
 tus Vicarius , sub die 22. Auguſti hujus anni . *Ex Transpontina Archivo.*

Die 16. Julii ejusdem anni B. Virginī de Monte Carmelo dicata ,  
 nedium Civitas Vallencenſis in Flandria ab arctiſſima obſidione , qua  
 a Francis premebatur , mire liberatur , ſed viſa etiam eſt ab eisdem  
 Gallicis militibus eadem SS. Dei Mater ſuper Carmeli Cœnobio Bonæ  
 Spei , candidiſſima vefe induta , eique , & ſingulis Religiosorum Cellulis  
 benedicens ; uti poſtea iidem Galli teſtati ſunt . *Spec. Car. to. I. n. 1813.*

1659. Romæ ex hac vita migravit Ven. Joannes Baptista Lezana  
 Toletanus , publicus Sapientiæ Lector , Sacrae Congregationis Rituum ,  
 & Indicis Consulter , Beneficiorum Examiner , atque Ordinis Gene-  
 ralis Procurator . Ab Hispana Bibliotheca idem adpellatur : *Vir pietate ,*  
*ac doctrina clarissimus , pius , Sapientissimus , & eruditissimus* , ut ſatis  
 ſuperque oſtendunt ejus Opera in lucem edita Theologica , Historica ,  
 Moralia , atque Aſcetica . Ab Odofredo Henschenio in Præfatione ad  
 vitam S. Petri Thomæ in multis Lezana Sancto illi comparatur : ibique  
 pariter ait , Alexandrum VII. , audito Lezanæ obitu , pluries exclamaſ-  
 fe : *Pater Lezana vir Sanctus erat.*





XLVIII

*Hieronymus Ari  
Astensis.*

*Electus Gñalis in Comitys Romæ habitis 16.<sup>a</sup> Maij 1660. Praefuit  
annis 6. Decessit Astz die 25.<sup>a</sup> Augusti 1660. Etatis sue  
ann. 64.*

*Cornelius van Westerwout sculps.*

## XLVIII.

## HIERONYMUS ARI.

**H**ieronymus Ari; natione Italo-Pedemontanus; Patria Astensis, ac Provincia Longobardiae, foecundae Generalium Matris, alumnus, cui tum Astense Coenobium, ubi Carmelitico Ordini nomen dedit, erat conjunctum. Mundi lucem aspexit anno Domini 1603. *Vir vitae Regularis amantissimus*, a Cosmate Villiers nuncupatur, *sinceræ probitatis, magnæ prudentiæ, singularis pietatis, firmæ animi magnitudinis, & non vulgaris eruditionis gloria conspicuus*. Hinc variis, & honestissimis muneribus meruit decorari. In Religionis insignioribus Collegiis Theologicas facultates docuit: nempe, Papiae, Drepani, ac Neapoli in Majori Carmelo, ubi etiam Studiorum Praefecturam exercuit. Astensis Conventus Prior, Longobardiae Provincia Provincialis, Siciliæ, Calabriæ, ac Romandiæ Provinciarum Commissarius, ac Generalis Visitator, & totius Ordinis sub Generalis Philippini regimine Procurator. Præterea universalis Romanæ Inquisitionis Qualificator, ac Beneficiorum Ecclesiasticorum Examinator. Tandem tot tantisque magna cum laude gestis honoribus, Generalibus Comitiis habitis anno 1660., unanimis omnium suffragiis universi Ordinis Moderator proclamatus est.

Ad supremam Ordinis Praefecturam elatus Hieronymus, sollicita cura vigilantissimi Pastoris statim Ordinem sibi creditum gubernandum suscepit. Hinc, Apostolici etiam Visitatoris facultatibus munitus, omnem pene Religionem visit. Italiam, Galliam, Flandriam, Germaniam Inferiorem (nam alia pars peste laborabat), ac demum Hispaniam percurrit, pietatis, ac prudentiæ exemplis undequaque relictis, sanctissimisque Statutis Regulari disciplina restaurata, vel aucta.

Tantam idcirco sibi conciliavit existimationem , ut non solum Summo Ecclesiæ Antistiti , Prælatisque Ecclesiasticis, verum & Regibus , Principibus , aliisque Proceribus valde ariserit , uti scribit idem Villiers in sua *Bibl. Carm.*

Dignissimo huic Præsuli , de tota Religione optime merito , satis in primis debet Reformatio , Pedemontanos in Conventus tunc invecta , & plurimum etiam obstringitur nostrum Carmeli Majoris Neapolis Cœnobium , ejus opera , ac labore a Militum satis gravi , atque incommoda statione ereptum : hinc in æternam rei memoriam Generalis hujus Effigies in magna Conventus Aula adhuc cernitur , sequenti cum Disticho :

*Ari Domos sternit , substollit pontibus ima ,  
Sic Regi , & Christo præstat utrique locum .*

Tandem gloriosissimi sui regiminis jam expleto sexenio , in Generalibus Comitiis , die 5. Junii 1666. Romæ celebratis , optimo Successori electo locum cessit ; deindeque in patrium Astense Cœnobium se recepit ; ubi mensibus quatuordecim , ac diebus viginti & uno vix exactis , commune tributum naturæ persolvit vi. Kal. Septembris , anno Reparatae Salutis MDCLXVII. , ætatis vero suæ LXIV. , ineunte Clementis IX. primo Pontificatus anno .

*Res memoria dignæ sub Ari regimine .*

1660. **D**ie 16. Maii hujus anni Romæ in Transpontinæ Conventu Generalia Comitia habentur , Cardinale Ginetto Præidente : atque Hieronymus Ari Generalis Prior renuntiatur ; Generalis vero Procurator Paulus a S. Ignatio ; uterque Pedemontanus , & ejusdem Provinciæ alumnus . Inter cetera notatu digna , quæ eo in Capitulo statuuntur , nova est institutio quatuor Nationum Generalium Assistentium , Italiaæ scilicet , Galliæ , Germaniæ , atque Hispaniæ , qui singuli a sua Natione constituti , Generali , cum voto decisivo , gravioribus in rebus adsunt , in ceteris vero consultivo . Id quod suadente Alexandro VII. ge-

gestum est, atque ab eo deinde Apostolico Brevi confirmatum; etiamsi id postea haud diu duraverit.

Statutum præterea est; „ gratias reddendas esse Illustrissimo D. Gaspari Romer pro liberali eleemosyna duorum millium septingentorum scutorum, quam erogavit, & bono affectu ampliorem elargiendi pro expressis Canonizationis B. Mariæ Magdalenaæ de Pazzis „. Erat autem Gaspar patria Antuerpiensis, sed Neapoli morabatur, vir quidem ditisimus, æque ac religiosissimus, atque a Diva illa beneficiis cumulatus, & a variis eruptus periculis. *Ex Papy. Ord.*

1661. Ven. Angelus Pauli, Argiliani in Hetruria ortus anno 1642., die 18. Januarii hujus anni Carmeliticum Institutum in Senensi Conventu sollemniter professus est. Sed de eo inferius pluribus dicetur. *Ex ejus Vita.*

1662. Ven. Mater Seraphina de Deo, *de Capri* quoque nuncupata, quæ Neapoli die 24. Octobris 1621. ortum habuit, cupiens Religioso in Clauistro Deo se vovere, ipsum obsecrat, ut divinam ejus voluntatem de Instituto, Regulaque feligenda sibi ostendat. Illam solatur Supremum Numen in nostro Neapolitano Templo sequenti Visione, quam nos hic iisdem Vitæ ejus Scriptoris verbis referemus. „ Nel mentre il giorno 23. Aprile 1662. nella Chiesa del Carmine di Napoli orando stava genuflessa presso l'Altare della miracolosa Imagine della B. Vergine, se le diede a vedere Gesù Cristo in Compagnia della sua SS. Mадre, e mirò, che questa con ambedue le mani teneva una tonaca di lana di color lionato all'uso delle Religiose Carmelitane, ed accostandosi a lei, con grande amorevolezza di quello la vestì, dicendo: *Prendi questo mio Abito, che così andava io vestita dimorando in terra. Non anderai mai scalza, sebbene così ordinò la mia Serva Teresa, quando fece la Riforma del mio Ordine.* „ Pigliò poi dalle mani di un'Angelo, il quale in forma di giovane vaghissimo stava vicino a Lei, una Cappa bianca, e gliela pose addosso, dicendole: *Sta pure allegramente, che Io prometto a tutte quelle, che verranno al tuo Monastero, vestirle, e dar loro l'Abito mio.*

Ea autem visione accensa erexit Dei Serva eodem hoc anno primum in Caprearum Insula Monasterium, atque hinc sex alia, omnia sub Ordinis Carmelitani Regula. *Ita in ejus Vita*, Neapoli in lucem edita anno 1723. a P. Pagano Congr. Oratorii.

1663. Circa hæc tempora mirabilis in nostro Aversano Conventu, prope Neapolim, accidit casus. Erat ibidem Frater quidam Laicus,

no-

nomine Ludovicus Savo , cui a Priore œconomia cura demandata fuerat . Is suæ Professionis immemor , e nummis sibi creditis aliquid quandoque clanculum auferebat , inque sua reponebat crumena . Cum aliquando subreptam pecuniam vellet accipere , variis occupationibus distentus , loci , ubi absconderat , meminisse non poterat ; ideoque ægre id summopere ferens , in desperationem fere actus est . Sed accidit , ut , elapsa jam triduo , cum post Matutinum in Cellam suam mæstitia plenus rediret , ei Dæmon horribili specie apparuerit , & crumenam , in qua furcum erat , in manibus gestans suis , ita ipsum alloquutus sit : *Desine querere tuos nummos : ecce hic tuam bursam . O quot possum ad me attrahere Religiosos per pecuniam !* His dictis , infernalis bellua in eum irruit , quasi illum devorare , ac discerpere vellet . Sed ipse dulcissimum Mariæ nomen invocans , *ecce eam in forma Speciosæ Feminae conspernit , monstrum istud bacillo fugantem .* Perterritus hinc Religiosus , ad Prioris pedes pro volutus , veris poenitentiæ lacrymis errorem suum confitetur , veniamque coram omnibus petit . Sed statim Frater ipse gravissima febri corrumpitur , intraque septem dies , veræ pietatis , ac poenitentiæ signis editis , spiritum Creatori reddidit .

Successum hunc , tum pietati erga B. Virginem excitandæ aptissimum , tum ad proprietatis vitium , Religioi adeo pestiferum , declinandum efficacem , resert Daniel noster *Vin. Carm. num. 621.* ex Prioris , & Patrum Aversani Conventus jurejurando confirmato testimonio .

1664. Carmeli Majoris Neapolis Cœnobium , quod juxta Ven. Francisci a Cruce vaticinium ( ut jam ad annum 1645. dictum est ) ad hoc usque ævum Regiorum Militum statio , atque arx fuerat , die 15. Julii hujus anni a Militibus liberatum est , iis in proximum Castrum transmigrantibus , ab eodem Coenobio scutorum triginta millium impendio eretum , ut Canonicus Celanus scribit . *Nosir. di Napoli giorn. 4. fol. 92.*

Eodem anno Ven. Seraphina de Deo , quæ præ magna caritate , qua cor ejus æstuabat , a Divino Sponso infinitis prope gratiis locupletata fuit , in altissimam contemplationem rapta , Dominus speciosissimi pueri formam , ac duodecimum circiter annum referens , lance , quam in manu gestabat , quæque aciem auratam habebat , pectus Dei Servæ transfixit ; eodemque anno sacra sua Stigmata eidem impressit . Neque ea imaginaria dumtaxat fuerunt : siquidem post obitum re vera vulneratum , & transfixum cor illius inventum est , & sacra Stigmata in ejus corpore apparuerunt . *Ex ejus Vita .*





## XLIX.

## M A T T H Æ U S O R L A N D U S.

**M**atthæus Orlandus, natione Siculus, Carinis (Oppidum Mazzaræ Dicecensis) natus est iv. Idus Februarias ann. Dom. MDCX. Carmelitico Ordini deinde adscriptus, Normi in Majori Cœnobio Professionem emisit die 20. Octobris 1628. Hinc Romam studiorum caufsa missus, ibidem emenso eorum curriculo, Magisterii Laurea donatus est. Inde Theologiae Regens institutus, Neapoli primum, deinde Florentiae, ac Romæ tandem plures per annos sacram illam facultatem docuit; quo tempore suam edidit Theologiam, duabus tomis in fol. distributam, atque ab Alexandro VII. Romanæ Provinciæ Provincialis creatus est, *cum retentione Officii Regentis S. Mariæ Transpontinæ*, ut dicitur in Brevi; ac insuper Theologus, & Consultor Congregationis de Propaganda Fide electus.

Interim eo existimationis virtute sua, ac doctrina pervenit, ut jam ab anno 1648. in Generalibus Comitiis magna Congregatorum pars ad supremam Ordinis Præfecturam eumdem nominaverit, eaque dignissimum judicaverit; fuit tamen Daciæ, deindeque Hiberniæ Provincialis titulo decoratus. Anno 1659., post eximii Lezanæ obitum, Generalis Procurator electus est; & in Generalibus Comitiis anno 1660. celebratis iterum Romanæ Provinciæ Provincialis institutus; quam quinquennio fuit moderatus. Tandem alio Generali Capitulo Romæ habito ann. 1666. Ordinis Generalis Prior fuit renuntiatus. Biennio Generalatus sui vix expleto, Ludovicæ Galliarum Regis postulatibus, a Clemente IX. Apostolicus Visitator in Galliam missus est, amplissimis cum facultatibus visitandi, reformandique Provincias illas ad biennium;

qui-

quibus fere omnibus perlustratis , quamplures etiam ex Italicis visitavit Provincias ; *Regulari Observantiae* ( ut inquit Daniel ), *& paci conservandæ , aut recuperandæ in toto Ordine singulariter intentus* .

Hinc de tota Religione fuit Matthæus noster optime meritus . Inter cetera autem Ordini collata beneficia , cum Provincialis esset , S. Juliani in Urbe Roma Conventum penne collabentem restituit , aliasque ære suo addidit Cellulas , nulla prorsus Cœnobii impensa . In Transpontinæ Templo erexit Aram maximam , non modo formæ pulcritudine , sed etiam exquisitissimis marmoribus adeo insignem , ut Pontifex Clemens X. octo Cardinalium comitatu ad illam conspiciendam se contulerit , ut Mastellonius scribit . S. Mariæ Magdalena de Pazzis Canonizationem promovit . Omnia Indulgentiarum , quas ad illud usque tempus Pontifices Religioni concesserant , confirmationem ab eodem Clemente obtinuit , atque alias insuper fuit consecutus ; eique Pontifici semper acceptissimus fuit ; hinc exacto primo Generalatus sexennio , ad aliud sexennium ipsius Papæ Brevi confirmatus est . Attamen secundum hoc sui munera sexennium Matthæus minime explevit : siquidem a Catholico Rege Carolo II. ad Cephaludensem in Sicilia Episcopatum nominatus est , atque ab eodem Pontifice electus , die 27. Junii 1674. fuit consecratus .

*In bujus Ecclesiæ possessionem immisus* ( inquit Antonius Mongitorius in *Bibl. Sicula* tom. 2. ) *prudentiam , doctrinam , soleritiam , aliasque dotes laude dignas detexit : atque tamquam inclytum Præfulum exemplum effulgit* . Præfuit Cephaludensi Ecclesiæ annos viginti , & unum , quibus elapsis , ætatis suæ anno octogesimo quinto , atque luminibus fere orbatus , naturæ concessit Idib. Novembris A. D. MDCXCV. Ecclesiam regente Pontifice Innocentio XII. Conditus est in Cathedrali Ecclesia , honestissima , docta que Inscriptione apposita , a citato

tato Mongitorio relata, estque ista, quam hic subnectimus:

D. V. T.

**Illusterrimus Præful. D. Matthæus Orlandus  
Cognomento, ac mente virilis, Patriæ Hyccarensis,**

Ne suus Trinacriæ deesset Elias , progressus est  
ad Carmelum .

Ibi profundiora Cæli scrutans arcana, orthodoxi  
Tripodis oraculum fuit.

**Bis Provinciam, bis Ordinem moderatus, e Cœnobio concessit ad Infulas,**

Nec invidit Hippoñæ Aurelium Cephalædis:

**Urbs Caput sonans, Rectorem sortita totum  
prudentia caput,**

# Vere Zelotes æmulatus Thesbiten

**Flammantes in hæresim, rotantes in fidem  
demisit imbres.**

Nusquam, nunquam obscurus, qui terras ardore  
Cælum replevit lumine.

**Ne tanti ignis tendentis ad centrum  
Disperderetur cinis**

**Hanc sponsa Mater sinu paravit Urnam.**

Jugi victorum celestismate venerandam .

Vixit ann. XVC. I. XIII. Devixit XIII.

Novembris M. DC. VC. Episcopatus XX. III.

### **Resumen de las conclusiones**

*Res memoria dignæ sub Orlando regimine.*

1666. Die 5. Julii hujus anni Generali Capitulo Romæ coacto,  
Cardinale Ginetto præsidente, Matthæus Orlandus Generalis  
Prior creatus est, atque Ordinis Generalis Procurator Andreas Laus Cata-  
nenfis, qui Patavii publicus Sacræ Scripturæ Lector extitit, & Romæ  
S. R. Congregationis Consultor, atque Ecclesiasticorum Beneficiorum Exa-  
minator: in litteraria etiam Republica inclytus, ob Theologiam in lucem  
editam, quatuor tomis in fol. distributam. Præterea eodem in Capitulo

K k

qua-

quatuor Generales Nationum Assistentes , ex præcedentis Capituli præscripto , eliguntur .

Inter cetera vero memorata digna ibidem statuta fuerunt : 1. ut acceptetur oblatio a Viennæ Jesuitis facta , *in compensationem antiqui nostri Conventus , ab ipsis occupati , modo sit equipollens* . 2. Ordini nostro Magnus Magister , atque Ordinis Militaris B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo Equites cooptantur , ipseque Ordo , ut pars Carmelitici nostri Ordinis declaratur : 3. statuitur , ut rogetur Pontifex pro Missionum Carmelitarum confirmatione , quæ jam a triginta annis institutæ , in Americam usque extensæ fuerunt ; prætereaque , ut ab eodem Reverendissimo Patre licentia petatur , Missionarios quoque in Angliam , Hiberniam , & Scotiam mittendi ; ubi ad præsens Religio nostra integra gaudet Provincia : 4. denique speciales Patroni , atque Ordinis Protectores feliguntur SS. B. Mariæ Virginis Parentes , Anna , & Joachim . Ex Papy. Ord.

1667. Sub idem tempus Ven. Matri Seraphinæ de Deo , sive de Capreis , quum infirma jaceret in lecto , apparuit Beatissima Dei Mater , Carmelitico more induta , quæ eam in iis angustiis solatur . Ex ejus Vita .

1668. Neapoli Sancta Theresia Civitatis Patrona electa , magnum oritur jurgium inter antiquæ Observantiæ Carmelitas , ac Patres Discalceatos , circa illius Statuæ comitatum , cum a Cathedrali Ecclesia Maii , atque Octobris mensibus per Urbem defertur . Sed re ad Sacram Congregationem delata , definitiva prodiit Sententia : ut mensis Maii supplicationibus , accensis cereis statuam utrique comitentur Carmelitæ , nempe dextrorum Calceati , ac sinistrorum Discalceati : mense vero Octobris Excalceati dumtaxat . Quæ sententia fuit etiam a Clemente IX. Brevi diei 28. Junii hujus anni confirmata . Verumtamen petente postea Catholico Rege Carolo II. , idem Pontifex die 10. Octobris ejusdem anni alio Brevi gratiose concedit , ac præcipit , in utrisque supplicationibus solos Discalceatos Carmelitas interesse debere . Bull. Carm. tom. 2.

1669. Quinque miraculis , quæ D. O. M. ad gloriam B. Mariæ Magdalena de Pazzis manifestandam post ejusdem Beatificationem operatus est , ad trutinam revocatis , adprobatisque ; nimirum Corporis continuatæ Incorruptionis , & flexibilitatis ; continuati etiam , ac suavissimi odoris , quem emitit ; olei quoque semel , & iterum multiplicati ; ac visus denique Moniali cuidam restituti , Clemens IX. Summus Pontifex die 28. Aprilis hujus anni sueta pompa , ac sollemnitatibus Sanctorum numero illam adscripsit . Canonizationis vero Bullam , quam mor-

morte præventus Clemens ipse publicare non potuit, edidit postea successor ejus Clemens X. die 11. Majii 1670., eaque incipit: *Ratione consonum.* Bull. *ibid.*

1670. Etsi Discalceati, ac veteris observantie Calceati Carmelitæ unum, eundemque Ordinem Carmelitanum constituant, juxta Clementis VIII. declarationem, atque ob identitatem, quod uni est concessum, alteri quoque tamquam proprium competit; ad tollendas tamen omnes controversias, atque ambiguitates, Clemens X. Bulla diei 31. Octobris hujus anni, quæ incipit: *Ad Uberos,* concedit, ac declarat, omnes Indulgentias, ac privilegia Discalceatis Carmelitis concessa, & concedenda, etiam cum clausula prohibitiva communicationis, Carmelitis etiam Calceatis esse communia. Bull. Carm. tom. 2.

Eodem anno idem Pontifex ne Generale Capitulum celebraretur, quod juxta Ordinis statuta sequenti anno 1672. habendum erat, indulget, suaque Apostolica auctoritate Orlandum Generalem ad aliud sexennium in munere confirmat; ac præterea quatuor Generalium Assistentium electionem ad aliud usque Capitulum suspendit: ea tamen conditione, ut pecunia, quam Religio pro Capituli celebratione, & pro Assistentibus alendis conferre debebat, ad æs alienum dissolvendum applicetur, quo Ordo in summa scutorum viginti duorum millium ob expensas in Canonizatione S. Mariæ Magdalenaæ erogatas, obrutus erat. Bull. Carm. *ibid.*

Secundi autem hujus sexennii tempore Generalis Orlandus Generalem Ordinis Procuratorem Æmilium Jacomellum instituit, eamque creationem Pontifex etiam suo Brevi confirmavit. Bull. Carm. *ibid.*

1672. Laureandi facultatem Ordinis Generalibus a Clemente IX. anno 1668. in solo Transpontinæ Collegio concessam, hoc anno Pontifex Clemens X. Brevi suo extra Romam etiam extendit, in Cœnobiosis tamen, ubi Collegium, seu studium pro studentibus Religiosis institutum sit, servatis quoad reliqua omnibus, ex prescripto Constitutionum Ordinis servandis. Bull. *ibid.*

Insuper alio Brevi concedit idem Pontifex plenariam, ac perpetuam Indulgentiam festis diebus sollemnis Commemorationis B. M. V. de Monte Carmelo, S. Angeli Martyris, S. Alberti, ac S. Andreæ Corsini Confessorum, eamdemque Indulgentiam jam ab anno 1670. in Festo S. Mariæ Magdalenaæ de Pazzis concesserat. Bull. *ibid.*

Eodem anno typis iterum mandatur Carmelitanum Breviarium, a Generali Matthæo Orlando Pontificis venia antea correctum, & emendatum, quodque doctus, ac pius simul Cardinalis Bona, ab eodem Pon-

tifice ad id deputatus , examinavit , ac revisit . Atque hæc est quartæ Breviarii nostri revisio , atque approbatio Pontificum jussu facta : nimirum sub Gregorio XIII. a Cardinale Bellarmino ; sub Sixto V. a Cardinale Carapha , ac Vincentio de Monte Regali ; sub Paulo V. a Cardinale Torres ; & demum sub Clemente X. a Cardinale Bona , Viris omnibus integerimis , sapientissimis , atque omni exceptione majoribus . Quod si juxta Sacré Congregationis declarationem anni 1618. *Historiæ* , quæ in Breviario per S. Sedem Apostolicam approbato recitantur , ut maxime veræ ab Ecclesia venerentur , ecquam non habebunt auctoritatem Historiæ , in nostro Breviario toties approbato , atque a viris tam illustribus recognito , reviso , atque examinato , contentæ ?

1673. Die 8. Maii hujus anni idem Pontifex Bulla , quæ incipit : *Commissa Nobis* , Summarium omnium Indulgentiarum a cunctis Pontificibus Ordini nostro huc usque concessarum , confirmat , initio facto a Leone IV. qui Anno 847. Summ. Pontifex creatus est : fuitque summarium illud a doctissimo Cardinale Bona ejusdem Clementis X. jussu examinatum , ac recognitum . Eademque Bulla alias quoque novas concessit Indulgentias . *Bull. Carm. tom. 2.*

Jam ab anno 1639. a Supremo Inquisitionis Hispaniæ Tribunalis (ad quod res a quibusdam æmulis delata fuerat ) post maturam discussionem , atque examen sequentes Propositiones adprobatae fuerunt , quas in sua Histor. Prophetica P. Franciscus a S. Maria Discalceatus Carmelita ediderat ; nimirum :

*In Lege scripta fuit votum Castitatis , & Virginitatis perpetuae . Mulieres fecerunt votum Virginitatis in Lege scripta .*

*In Lege scripta fuit votum Obedientiae perpetuae .*

*In Lege scripta fuit votum Paupertatis voluntariae .*

*In Lege scripta fuit verus Monachatus , & Religio .*

Cum declaratione tamen , juxtaque Auctoris etiam mentem , omniumque Carmelitarum . Non fuisse Monachatum in lege scripta cum sollemnitate , & perfectione , & potestate clavium , sicut in lege Gratia . Sed huic Sententiæ delatoribus minime acquiescentibus , iterum hoc anno contradicto judicio exdēm Propositiones in eodem Tribunali discutiuntur ; alioque Decreto diei 6. Martii hujus anni iterum adprobantur , & confirmantur . *Franciscus Bonæ Spei . Armament. par. 2. num. 17.*

1674. Matthæus Orlandus Generalis die 27. Junii Cephaludensis Episcopus creator , ejusque loco in Ordinis Regimine Franciscus Scandaniceus sufficitur . *Bull. Carm. tom. 2.*

L





I  
*Franciscus Scannapiecus*  
*Romanus*

*a Clemente X. institutus Gral. 23 Iunij 1674. Praefuit annis 2.  
mensibus 2. Decessit Romæ die 30 Augusti 1696. Etatis sue an. 59*

*C. Arnold. N. Westerhout. Sculps.*

## L.

## FRANCISCUS SCANNAPIECUS.

**O**rlando Generali ad Episcopatum enecto, in Generalatus munere Franciscus Scannapiecius Romanus successit, ortus circa annum Christi 1617. A Carolo Vaghio suis in Commentarij adpellatur: *Vir in divinis Scripturis studiosus, & eruditus, ingenio excellens, & multarum rerum experientia clarissimus, ac Summis Pontificibus valde charus.* Et quidem a Pontifice Alexandro VII. anno 1659. Romanæ Provinciæ Præfectus creatus est; eoque munere expleto, ab eodem Pontifice anno 1661. SS. Sylvestri, & Martini Conventus institutus est Prior; quem tresdecim annos summa vigilantia, ac maximo cum illius profectu gubernavit. Vacante deinde anno 1674. Generalatus munere, ob Matthai Orlandi ad Episcopatum promotionem, Clemens X. Alexandri Successor, Orlando nondum consecrato, Scannapieci merita, ac virtutes suprema Religionis dignitate honestavit; nam die 23. Junii Apostolico Brevi, quod incipit: *Religionis zelus, eumdem totius Ordinis Generalem Priorem, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitude constituit, ipsumque paullo post Commissarium etiam, atque Apostolicum Visitatorem creavit.*

Scannapiecius Generalis factus multa statim suscepit, & magna cum laude pro Religionis sibi creditæ decore, ac profectu gessit: aliaque complurima zelus ejus, doctrina, ac prudentia pollicebantur, nisi invida, atque immatura mors vitæ stamina rupisset suæ: namque Ordinis Conventus cum visitaret, gravi morbo corruptus, atque ad Urbem redire coactus, ibidem, assidua febri sexaginta quinque diebus patientissime tolerata, III. Kal. Septembris anno MDCCLXXVI. su-

pre-

preum diem obiit , anno LIX. etatis sua , Regiminis vero secundo , ac mensibus duobus , Petri Sede vacante , atque in Ecclesia S. Martini Conventus , ubi obiit , sepultus est .

At Scannapieco demortuo , en Romæ falsus rumor percrebuit , illum veneno occubuisse : quod cum ad Cardinalem Palutium , tunc Ordinis Protectorem , esset delatum , jussit , Cadaver ejus per Medicos inspici , atque Chirurgos ; qui visceribus , singulisque Corporis partibus sedulo examinatis , ac perpensis , falsum omnino esse , quod erat divulgatum , publico , ac juridico actu cum juramento adseverarunt . Cui Peritorum judicio juridica accessit sententia Judicis a Cardinale Ordinis Protectore Delegati , Typis C. A. etiam publicata , qua innocens , qui tanti criminis insimulatus fuerat , declaratus est . Ut vero falso rumori per Urbem a male feriatis hominibus sparso occurreretur , ac magis magisque elucesceret veritas , undecimo post ejus obitum die , perquam sollemnia in S. Martini Templo funera celebrata sunt : quibus præ certis interfuerunt tres Mendicantium Generales , nempe Prædicatorum , Minorum Observantium , atque Augustiniensium , omnesque Generales Ordinum Procuratores , funebri Oratione a P. Benedicto Rogacio Jesuita etiam habita . Ejusque sepulcro sequens Inscriptio apposita est :

D. O. M.

Fr. Franciscus Scannapieco Romanus  
Ordinis Carmelitarum  
Inchoatam a P. Philippino  
Templi hujus Instauratem promovit  
Prior per annos XIII.  
Et Generalis per biennum  
Obiit die XXX. Augosti MDCLXXVI.

LI.





## LI.

## ÆMILIUS JACOMELLUS.

**E**Xtincto Scannapieco Generali, Ordinis Regimini Æmilius Jacomellus sufficitur, Romandiola Provinciae alumnus, & Medicinæ Conventus Filius. Natus est in eodem Medicinensi Castello an. Repar. Salut. 1607. in eoque Cœnobio Carmelitico Instituto se dedidit; expletoque studiorum curriculo, Magisterii Lauream sibi comparavit. Raro, & sublimi ingenio cum esset præditus, multos, & honestissimos gessit honores. Fuit primo Provinciae suæ Provincialis Prior: sub variis Ordinis Generalibus & Secretis: Terra Sanctæ Titularis Provincialis: atque in altero sexennio ab Orlando Generali incepto, Ordinis Generalis Procurator institutus; quo in munere ejusdem Orlandi postulatibus, Cephaludensis Episcopi jäm creati, a Pontifice Clemente X. Apostolico Brevi die 7. Julii 1674. ad aliud biennium fuit confirmatus. Defuncto, deinde Generali Scannapieco, juxtaque Generalis Capituli ann. 1648. præscriptum, Romæ Generali Congregatione celebrata, fuit ipsem a coadunatis Patribus ad finem usque sexennii Generalis totius Ordinis Vicarius unanimiter electus, die 18. Novembris 1676.

Hac Præfectura donatus Jacomellus, ea vigilantia, caritate, ac prudentia Ordinem sibi commissum triennio, & sex mensibus gubernavit, ut Carolus Vaghius ipsum appellat: *Virum miræ dexteritatis, & prudentiæ, in Religioso regimine conspicuum, & celebrem.* Atque in sequente Generali Capitulo anno 1680. ab ipso concito, Generalis Prior procul dubio fuisset creatus, atque in Regimine confirmatus, nisi eidem præfati Generalis Capituli anni 1648. restitisset statutum, quod diserte præcipit, *Generalis Vicarius, si in dicta Officio duraverit per triennium, careat voce passiva, quemadmodum*

pa-

palam, altaque voce congregati Patres protestati fuere, dolentes, quod eorum iteratis precibus non potuerunt impetrare vocem passivam a SS. Domino, ut ipsum possent eligere, uti peroptabant, ut ex Act. Capit.

Generalibus itaque Comitiis Romæ die 1. Junii 1680. celebratis, novus elititur Generalis Prior, & Jacomellus in patrium Medicinæ Conventum secessit; ubi tandem meritis juxta atque annis onustus, mortales reliquit exuvias, vii. Idus Januarii anno Christi MDCLXXXVII. atque ætatis suæ LXXX. Ecclesiam regente Innocentio XI. P. M.

*Res memoria dignæ sub Jacomelli regimine:*

1676. **S**CANNAPIECO Generali defuncto, magna Romæ orta est contentio inter Urbis Provincialem Joannem Michaelem Puccium, atque Ordinis Generalem Procuratorem Æmilium Jacomellum, quis eorum Generalis esset Vicarius, Religionemque deberet regere; illo munus istud sibi vindicante ex Constitutionum præscripto par. 4. cap. 2. hoc vero ex statuto Generalis Capituli anni 1648., quod sane Constitutionibus posterius est. Sed re a novo Pontifice Innocentio XI. peculiari Cardinalium, aliorumque Prælatorum Congregationi commissa, ab eadem met, auditis hinc inde ac discussis rationibus, decreto diei 6. Novembris hujus anni decisum est: *Servandum esse decretum anni 1648., contrariis quibuscumque minime obstantibus.* Quod sane decretum fuit etiam a Pontifice confirmatum. Ea igitur publicata Sententia, Generalis Procurator, ac Vicarius Jacomellus Generalem Congregationem sub die 18. Novembris convocavit; inque ea ipse met per secreta suffragia Generalis Vicarius proclamatus est; Generalis vero Procurator Antonius Maria Casanova, Longobardiz Provincialis, qui biennio dumtaxat munus exercuit, ipsi deinde Ferdinando Tartaglia subrogato. *Ex Papy. Ord.*

1677. Cum anno 1675. Clemens X. S. P. Officium de proprio Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo concessisset, die 16. Iulii cunctis in Regnis, ac Dominiis Catholici Regis recitandum, sicque etiam in Flandriis, tum ipsi subjectis; Antuerpiæ Episcopus, quorundam suasionibus, qui ægre ferebant, in 2. Nocturni Officii Lectionibus ore affirmare debere, quod litteris, ac calamo perfracte negabant, *Sacræ Con-*

Congregationi die 17. Decembris hujus anni exposuit, quod cū Lectio-  
nes illæ Carmelitarum a S. Propheta Elia Successionem continerent,  
aliasque res, quas illic in dubium tum plures Eruditi revocabant, satis  
e re foret, potestatem facere, præ 2. Nocturno de proprio, alicujus  
Sancti Patris Sermonem recitandi, quemadmodum tunc in SS. Rosarii  
Officio servabatur. Sed en Sacra Congregationis responsum, ac decre-  
tum - „ Sacra Rituum Congregatio, audita relatione Episcopi Antuer-  
„ piensis, & responsione facta a Fratribus Carmelitis circa Officium pro-  
„ prium B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo exhibitum, nihil respon-  
„ dendum censuit, sed oretenus advertendum Procuratorem Generalem  
„ Ordinis,. Quin etiam eadem S. Congregatio ad alia deinde Regna,  
ac Provincias, sine ulla mutatione, idem extendit Officium. Ex Regest.  
S. R. Congreg. Villalobos de Orig., & Progres. Monast. pag. 858.

Cum Daniel Papebrochius, post primæ partis Armamentarii Fran-  
cisci nostri Bonæ Spei editionem, nihilo temperantior calamo factus,  
Carmelitarum antiquitatem, ac monumenta magis, magisque impeteret,  
adeo ut Revisor 2. partis Armamentarii P. Jacobus Emans pronuncia-  
verit: *inborui dum legi R. P. Danielis Papebrochii, insignis ceteroquin Hagiographi, passim obvias, quas in Vita S. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani 8. Aprilis, & in Propyleo antiquario, in S. Religionem no-  
stram, ejusque antiquitatem, venerandasque traditiones, effutivit ca-  
lumnias, contumelias, subsannationes, sarcasmos, satyras, nec non injuri-  
rias, quibus &c. Hinc sane factum est, ut idem noster Franciscus Bo-  
næ Spei, ob tot opera in lucem edita præstantissimus, iterum calamum  
sumere coactus sit, atque hoc anno 1677. secundam sui Armamentarii  
partem typis mandare, e cuius una Epigraphe argumentorum suorum  
vim, ac robur licet deprehendere. En igitur Titulum.*

„ Historico-Theologici Carmeli Armamentarii Pars II. Proferens  
„ omnis generis Scuta, sive Sacra Scripturæ, Summorum Pontificum,  
„ SS. Patrum, Historicorum, Geographorum, & Doctorum, tam an-  
„ tiquorum, quam recentiorum Auctoritates, traditiones, & rationes,  
„ quibus omnium Amicorum dissidentium, præcipue vero e Societate  
„ Jesu RR. PP. Godefridi Henschenii, & Danielis Papebrochii Tela;  
„ sive argumenta novitia, in Ordinis Carmelitarum antiquitatem, ori-  
„ ginem, & ab Elia sub tribus votis essentialibus, in Monte Carmelo  
„ hæreditariam Successionem, hucusque legitime non interrumptam, vi-  
„ brata, fortiter, & suaviter enervantur, & ad perpetuam concordiam  
„ disponuntur.

1678. Cum ea tempestate S. P. Pontifex Innocentius XI. cunctas Indulgentias suspendisset, donec a S. Congregatione ad id deputata recognitæ fuissent, atque ad trutinam revocatæ, nonnulli adversarii ausi sunt Romæ per vulgare, Indulgentias Carmelitico Scapulari concessas non modo suspensas esse, sed etiam fore irritandas. Hinc Ferdinandus Tar taglia, Ordinis tunc temporis Generalis Procurator, ac Commissarius, Summum Pontificem statim adivit; qui palam professus est, numquam mentem ejus fuisse, Privilegia suspendere, atque Indulgentias, a Decessoribus suis Sacro Scapulari Virginis Mariæ, Carmelitarum Patronæ Concessas, a qua singularem acceperas gratiam, pressus mortali fistula, enjus insignia, ac vestigia abduc in brachio gerebas. Quamobrem illico jussit, ut a S. Congregatione iterum adprobentur, atque typis earum Summarium publicetur, ut factum est. *Bull. Carm. Villalobos pag. 174.*

Eodem anno veterem nostrum Gedani Conventum, jam ab anno 1180. (ut ibi diximus) a Subislao Duce erectum, Hæreticorum tumultuantium turma aggreditur, atque expoliat, vulneratis, expulsiisque Fratribus; & quod magis est, depopulata Ecclesia, iidem humi deiciunt, pedibusque proterunt quicquid Catholicae Religionis venerabile erat, atque sacrum. Sed pientissimi Poloniæ Regis Joannis III. minis, ac severissimis mandatis, in Cœnobium Fratres redeunt, & capitali poena quorundam primorum reorum, multata est Civitas viginti quinque millibus florenorum pro damnis Conventui illatis refaciendis. *Bull. Carm. tom. 2.*

1679. Die 18. Februarii hujus anni, ac primo Quadragesimæ Sabbatho, magna Neapoli in mari oritur tempestas, quæ præter damna portui illata, aquas in domos usque littori proximas invexit. Hinc perterriti Cives ad Carmeli Ecclesiam, solitum Neapolitanorum in adversis Asylum, confluunt, & SS. Crucifixi Imagine vix detecta: ea nempe, quæ Alphonsi Aragonensis temporibus Caput prodigiosissime inclinavit, quæque semel in anno dumtaxat aperitur, mare illico conquiescit, aquæ recedunt, atque aer nubibus undique conspersum tranquillatum est. Hinc in tanti beneficii monumentum quotannis primo Quadragesimæ Sabbatho sollemniter, selectissimaque cum Musica Hymnus *Te Deum* in eadem Carmeli Majoris Ecclesia decantatur. *Ex Hist. SS. Crucifixi.*

Die 14. Martii hujus anni, petente Portugalliz Regina Maria Francisca Elisabeth, Innocentius XI. Apostolico Brevi Officium, & Missam B. M. Virginis de Monte Carmelo ad totum Regnum, ac Portugalliaz Dominia extendit. *Bull. Carm. tom. 2.*





LII

*Ferdinandus Tartaglia*  
*Medicinensis*

*Electus Gnalis in Comitijs Romae habitis 1 Iunij 1680. Prae-  
fuit annis 2. Decessit Catane 1 Martij 1682. Etatis sue an: 56.*

*Arnold. W. Westerhout Sculps.*

## LII.

## FERDINANDUS TARTAGLIA.

Ferdinandus Tartaglia, Supremus Ordinis Carmelitarum Moderator quinquagesimus secundus, & quintus, qui parvum Medicinæ Oppidum ac Conventum clariorem reddit, ortus est anno D. 1626. Qui sane Carmeli Institutum amplexus, eximia ejus virtute, ac doctrina non modo patrum Cœnobium, & Romandiola Provinciam, sed Religionem quoque suam illustravit. In Cathedra doctor insignis, in suggestu Orator celebris. In illustrioribus Italiæ Urbibus divinum verbum magno cum omnium plausu, atque animarum fructu disseminavit; Publicus in Romanæ sapientiæ Archigymnasio Lector fuit; Rituum Congregationis Consultor; suæ Romandiola Provinciæ, uti & Scotiæ, Hiberniæ, & Terræ Sanctæ Provincialis; item Transpontinæ Conventus Prior, in cuius Ecclesia, cum Festum Canonizationis S. Mariæ Magdalena de Pazzis celebraretur, Panegyricam Orationem de Sanctæ laudibus, Auditorum maxima cum admiratione habuit, cui titulum tribuit: *Vigna mystica*, de qua Daniel noster mentionem facit. Anno Domini 1678. sub Generalis Vicarii Jacomelli regimine erat ipse Procurator, ac Generalis Commissarius, cum ab Innocentio XI. confirmationem, & novæ editionis Summarii Indulgentiarum a SS. Pontificibus Ordini concessarum licentiam obtinuit. Anno tandem 1680. Generali Capitulo celebrato, in Ordine satis memorabili, tum Patrum, qui ibidem interfuerunt, gravitate ac sapientia, tum statutorum, quæ in eo condita sunt, sanctitate, fuit idem Ferdinandus communi omnium plausu totius Ordinis Generalis Prior renuntiatus.

Ad sublimem hanc dignitatem electus Tartaglia, ra-  
L 1 2 tus,

tus, Ecclesiasticas Prælaturas non tantum honori esse, quam oneri, ac sane juxta Tridentinum Concilium, *Angelis humeris formidando*, statim Gregis sibi crediti visitationem suscepit. Visitata prius Romana Provincia, ad Carmeli Majoris Neapolis Conventum visendum se contulit, atque hinc Siciliæ Provincias adivit. Sed hic morbo ex itineris laboribus (scribit Cosmas Villiers Bibl. Carm.) & variorum climatum mutationibus contracto, eoque quinque mensium spatio tolerato, cum nec adversa, qua affligebatur valetudine, a visitatione desisteret, Catanæ tandem ultimo decumbere coactus est, ubi omnibus Sacramentis munitus cum perfecta spiritus in Deum resignatione inter Fratres suos orantes animam exhalavit.

Accidit itaque nostri Præfulis Catanæ obitus Kal. Martii, anno Domini MDCLXXXII. ætatis vero suæ LVI. postquam biennio nondum expleto Religionem suam moderatus est. Christi Ecclesiam tunc regente Innocentio XI.

*Res memoria dignæ sub Tartagliæ regimine.*

1680. **R** Omæ G. Capitulo habito, Tartaglia Ordinis Generalis eligitur, Procurator vero Angelus Monsignani; in eoque inter alia statuta: 1. S. Joseph præcipuus Ordinis Protector eligitur: 2. præcipitur, ut *Confiteor Deo* addatur B. Patri nostro Eliæ: 3. ut post Vesp. vel Completorium Antiphona recitetur *Ave Stella matutina*: 4. ut die 15. Novemb. Commemoratio, atque Officium fiat omnium Ordinis defunctorum: 5. ut in libris a Nostris typis edendis, Auctor titulum adhibeat, non jam Carmelitæ, sed Fratris Ordinis B. D. G. semperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo. *Ex Papy. Ord.*

Declarato hoc anno S. Cajetano Panormi Patrono, ut jam erat S. Albertus, S. R. C. contra Theatinos contrarium contendentes sic decernit: *Fiat translatio S. Cajetani, & manuteneatur S. Albertus*. Utriusque enim Festum in eundem diem 7. Augusti incidit, *Bull. Car. I. 2.*



III

ମହାନ୍ତିର ପଦ୍ମନାଭ

କବି

ମହାନ୍ତିର ପଦ୍ମନାଭ  
କବି



LIII

*Angelus Monsignani  
Foroliuiensis*

*Electus Gralilis in Congregatione Romæ habita 4.<sup>a</sup> Aprilis 1682. Praefuit annis  
Decesit Foroliuij die 1.<sup>a</sup> Aprilis 1697. Etatis sue ann. 69*

*Arnold. Van Westervelt ad Tivum del. et sculp.*

## LIII.

## ANGELUS MONSIGNANUS.

Forum Livii, veterem Italiæ in Romandiola Urbem, patriam habuit Angelus Monsignanus, qui ibidem ortus est anno post Christum natum 1628. Tertio ætatis lustro jam exacto, in Carmeli Ordine Deo, ejusque Matri Mariæ per Professionem se votit; ubi adeo studiis profecit, ut eximios inter sui Ordinis Magistros, ac Doctores adnumeratus fuerit. Doctrinæ raram fatis in gubernando prudentiam adjunxit; ideoque multis, variisque honoribus, ac muneribus fuit semper decoratus; & præsertim Romandiæ suæ Provinciæ per triennium Præfecturam gessit; a Matthæo Orlando Cephaludensi Episcopo, olim Ordinis Generali, suæ Dioœcesis Generalis Vicarius fuit institutus; atque a Generali Vicario Jacomello Saxoniæ Provinciae Titularis Provincialis; quo charactere insignitus, cum Capitulo Generali anni 1680. interesset, fuit ibidem per secreta suffragia totius Ordinis Generalis Procurator destinatus; sed quemadmodum biennio dumtaxat munus suum exercuit Generalis Prior Ferdinandus, ita biennio etiam Generalis Procuratoris, ut & Commissarii Officium gessit Monsignanus. Hinc mortuo, secundo Generali latus sui anno vix expleto, Tartaglia, juxta Generalis Capituli anni 1648. decretum, Generalem Ordinis Congregationem ipse concivit; in eaque Romæ habita, Præsidente Cardinale Protectore, totius Ordinis supremus Moderator renuntiatus est usque ad complementum incœpti sexenii, non jam Vicarii, sed Generalis Ordinis Prioris adpellatione, ex præcedentis Generalis Capituli præscripto. *Deinceps (sic statuit Capitulum) is, qui in locum defuncti, assumpti, vel amoti Prioris Generalis per electionem succedet ad complendum tempus Offi-*

*Officii illius, non amplius Vicarius Generalis erit, sed sicuti eadem, qua Prior Generalis, plenaria potestatc potitur, ita pro eo tempore Prior Generalis erit, & ab omnibus Prior Generalis compelletur.*


Interea Generalis noster Monsignanus Religionem suam quatuor rexit annis communi omnium plausu, ut & summo studio, ac prudentia: iisque elapsis, anno 1686. Generale Capitulum convocavit, creatoque successore, ad Patrium ipse Foroliviense Cœnobium secessit; ubi ætatis suæ anno LXIX. felicissimum vitæ cursum peregit Kal. Aprilis A. D. MDCXCVII. Christi Ecclesiam moderante Innocentio XII. P. O. M.

*Res memoria dignæ sub Monsignani regimine.*

1682. **G**enerali Tartaglia in Sicilia extinto, ubi primum Romam sui Obitus nuncius pervenit, die 14. Aprilis Generalis Congregatio concitur; in eaque, Præsidente Cardinale Protectore, Generalis Prior ad sexennii usque finem Angelus Monsignanus destinatur, & Generalis Procurator Daniel Scoppa Neapolitanus, qui postea Nolanus Episcopus creatus est. *Ex Papy. Ord.*

Die 27. Augusti ejusdem anni, magnæ Hetruriæ Ducissæ, ac Juuenis Reipublicæ postulatibus, S. R. Congregatio Officium, ac Missam de proprio B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo ad utrumque extendit Dominium. *Bull. Carm. tom. 2.*

1684. Maria Johanna Baptista, Sabaudiæ Duci Victoris II. Vi-dua, S. R. Congregationem precatur, ut Officium, ac Missam Beatisimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo ad Sabaudiæ extendat Domi-nia, eaque Decreto diei 11. Martii, quod petitur, concedit, æque ac aliis concesserat. *Bull. Carm. tom. 2.*



Digitized by Google



## LIV.

## PAULUS A SANCTO IGNATIO.

**P**AULUS a S. Ignatio, alias Gambaldus, natione Pedemontanus, Sobrici, Astensis Dioecesis Oppidi, natus est anno Repar. Salutis 1614. Magister, ac Doctor sui Ordinis, elati ingenii, integerrime vite, & in omni humaniori scientia doctissimus, ut eum compellat Carolus Vaghius suis in Comment. Hinc Pontifex Alexander VII. Brevi diei 12. Aprilis 1658. Longobardiae Provinciae, quæ tunc etiam Pedemontana Cœnobia complectebatur, Provincialem ipsum instituit. Generali Capitulo anno 1660. habito, Generalis Hieronymus Ari Generalem Ordinis Procuratorem eum elegit; deindeque Vicarium suum, ac Generalem Commissarium, donec ab Urbe ipse abesset, constituit; quo tempore in Pontificio Sacello coram Pontifice Alexandro doctissimas habuit Orationes, quas postea in lucem edidit, inscripsitque: *Orationes latine habite in Sacello Pontificio coram Alexandro VII.* Eo munere summa cum laude expleto, in Patrium Pedemontanum solum rediit, ubi solitariam, atque eremiticam egit vitam in Pini Cœnobia, quod ipse laboribus suis, industria, vitaque, ac morum exemplo reædificavit, adauxit, ac pulcherrimo illustravit Templo. Ibique dignitatibus, & honoribus omnino ejuratis, vicennio commoratus est, sibi unice intentus, arctiorique observantiæ, ac Reformationi restaurandæ, tum in suo Pini Conventu, tum in tota Pedemontana Provincia, tunc ab illa Longobardiae distincta; ideoque a nostro Daniele nuncupari meruit: *Unus ex illis præcellentibus Patribus, qui observantiam illam ( Taurinensem ) sustentarunt, & claram reddiderunt.*

Sed Pauli nostri eximiæ virtutes, ac merita haud diu  
in

in solitudine illa potuerunt abscondi : Generali namque Capitulo Romæ convocato anno 1686. , etiamsi absens , unanimis omnium suffragiis Generalis Prior renuntiatus est. Hinc de sua electione nuncio ad eum misso , Romam venit , ac Regimen sibi demandatum suscepit . Hac dignitate donatus , humilitati , ac regulari observantiæ , quam semper coluerat , impensius incubuit . Pro monastica disciplina , & scriptis legibus obtemperatione , quarum ipse severissimus custos fuit , summo flagrabat zelo , sed cum severitate lenitas , cum rigore caritas fuit semper conjuncta ; tantaque modestia , integritate , doctrina , & morum suavitate præfulsit , ut non modo Subditorum , sed totius almæ Urbis Romæ amorem , admirationemque sibi conciliaverit .

Completo tandem gloriosissimi sui muneris sexennio ; anno 1692. in Divi Martini ad Montes Cœnobium se contulit ; ubi veteris vitæ ratione instituta , Episcopatum sibi ab Innocentio XII. oblatum constantissime recusavit . Nonagesimum demum ætatis annum agens , ibidem diem obiit supremum Pridie Nonas Aprilis anno a Virgineo Partu MDCCIV. Clemente XI. Summo Pontifice .

*Res memoria dignæ sub Generalis a S. Ignatio regimine.*

1686. **S**ueto Pentecostes tempore , sub die vicesima tertia mensis Maii , in Romano Transpontinæ Conventu Generalia habentur Comitia , in quibus præter morem , antequam electiones fierent , a Præside Cardinale de Alteriis , Summi Pontificis , oraculo , novem Ordinis Patres ad Generalatum nominantur ; e quibus per secreta suffragia Paulus a S. Ignatio , licet absens , Generalis Prior eligitur , creato interim ad adventum usque novi Generalis Generali Vicario Seraphino a Jesu ; Procurator vero Generalis Angelus de Cambolas Gallus destinatus est . Eligitur etiam hoc in Capitulo novus Lusitanæ Provincialis , ob alterius obitum , qui dum ad Capitulum se conferebat , in mari periit . *Ex Papy. Ord.*

1687.

1687. Novi Generalis jussu sex Turonensis Provinciæ Patres in Angliae Regnum profiscuntur , ad Evangelicas Missiones instituendas , siue potius restaurandas , Generali Apostolico Commissario Germano & S. Petro constituto .

1688. Ven. Seraphina de Capreis suis precibus effecit , ut quatuor tantum panes , qui in suo Monasterio erant , Monialibus saturandis sufficerent , quæ numero erant sexaginta & una ; & quod magis est , maxime Divinæ Providentiaz portentum , reliquæ post mensam collectæ ejusdem ponderis , ac illi quatuor panes erant , reperiuntur . *Ex ejus Vita.*

1689. Die 12. Augusti hujus anni magno cum omnium Christianorum luctu S. P. Innocentii XI. obitus accidit . Sapissime sanctissimus hic Pontifex ab Urbe per Religiosos viros Ven. Seraphinæ orationibus se commendabat , eamdem obsecrans , ut apud Deum intercederet , tum ut ipsum ab humanis rebus citius eriperet , tum ut post mortem a Purgatorii pœnis liberaret . Quod quidem a Dei Serva assidue efficiebatur , ob id sacram etiam cunctarum Monialium Communionem offerens . Et sane Altissimum illius preces exaudisse videtur ; nam primum die 3. Iunii hujus anni , ab oratione surgens , Pontificis obitum haud obscure prædixit , Moniali cuidam inquiens : *pauci sunt S. Beatitudinis dies ;* & revera die 16. ejusdem mensis Pontificis morbi nuncius allatus est . Die postea 12. Augusti sub vesperam , vultu valde hilari eamdem Monialem percontata est : quomodo inciperet SS. Pontificum Missa ; cui illa cum respondisset . *Statuit ei Dominus , statim subdit Ven. Seraphina :* *O. bac est Missa , quæ canitur in Cœlis ;* atque amore divino ebria Cœlos versus clamabat : *Paradiso , Paradiso , o Beato Pontefice : Paradisus , Paradisus , o Pontifex Beate.* Paucos post dies nuncius pervenit , die 12. Augusti horam circiter vicesimam secundam Pontificem obiisse : atque a signis , quæ dederat Dei Serva , judicarunt omnes , animam illius ad Paradisi gloriam recta convolasse . Ita *ex ejus Vita .*

1690. Quemadmodum hisce temporibus Danielis Papebrochii S. J. in Belgio contra Carmelitas perdurabat persecutio , quorum antiquitatem , Historiam , ac monumenta omnia acri stylo , pungenti calamo , & nigro atramento undique conabatur evertere ; ita præter nostrum Franciscum Bonæ Spei jam supra memoratum , e nostratis complures alii sapientissimi Viri Religionem tuendam suscepereunt ; quos hic una cum titulis Operum juvat recensere , iisque sunt sequentes .

Valentinus a S. Amando . Ejus autem opera sunt . 1. *Prodromus Carmelitanus , sive R. P. Danielis Papebrochii Jesuitæ Acta SS. colligentis*

M m

erga

erga Elianum Ordinem sinceritas velisatim, & remisse discussa. 2. Heresia Carmeli Regula a cuiusdam mystici Scriptoris vilipendiss vindicata. 3. Pomum discordiae, sive dissidii inter P. Papebrochium Jesuitam, & Carmelitas, origo, progressus, & fructus. 4. Harpocrates Jesuiticus P. Danielis Papebrochium Jesuitam salutaris silentii, & debite Palinodia monens.

Daniel a Virgine Maria. Speculum Carmelitanum, sive Historia Eliani Ordinis tom. 2. in fol.

Joannes Feixous de Villalobos, qui postea Ordinis Generalis fuit. 1. Historico-Sacro, & Theologico-Dogmatica Differentio, in qua Mari-Eliane Carmeli Religionis per Theses dearticulata Historia afferitur, & propugnatur. Quæ aucta deinde, typis fuit mandata in Civitate Nolana, opera illius Episcopi Danielis Scoppa Carmelitæ, anno 1697. 2. Brevis Cbronologia Religionis perfectæ.

Jacobus a S. Antonio. Consultationes Canonicae, in Appendice.

Thomas Cantonus. Vita S. Angeli vindicata &c.

Maximilianus a S. Maria Carmelita Discalceatus. Harpocrates Carmelitarum.

Joannes ab Assumptione Discalceatus. Promptuarium Carmelitanum. Carolus ab Assumptione Discalceatus. Enodatio Difficultatum. Gallico Idiomate.

Petrus Thomas Pugliesius. 1. Heraclens lapis, quo Papebrochii figura deteguntur. 2. Epistola gravis, & plena rerum, sub nomine Anagrammatico, Petri Pauli Strigofritbænsi. 3. Responsum Apologeticum ad memoriale P. Antonii Beltrani Jesuite. Italico idiomate conscriptum sub nomine anagrammatico Pauli Magrifiestos.

Sebastianus a S. Paulo. 1. Libellus Supplex ad SS. D. Innocentium XI. pro origine, & antiquitate Ordinis Carmelitarum. 2. Exhibitus errorum, quos R. P. Daniel Papebrochius S. J. suis in Notis ad Acta SS. commisit, ad Innocentium XII. oblata anno 1693. 3. Motivum juris pro libro, cui titulus: Exhibitus Errorum &c. anno 1694. 4. Appendix ad Motivum juris, anno 1694.

Ex hisce Sebastiani Libris, Supremæ Hispaniæ Inquisitioni exhibitis, decem & octo tomi prohibiti sunt Operis inscripti: Acta Sanctorum, Papebrochii, Consociique ejus Henschenii, ut infra dicemus ad an. 1695.

1691. Ven. Seraphina Daemonem vidit, qui formosi juvenis instar citharam sedens sonabat: Moniales alliciendi cauffa, ut e Cellis exirent, ut interrogatus respondit: At invocato nomine Jesu, statim evanuit. Et ejus Vita.

L.V.





LV.

## JOANNES FEYXOO DE VILLALOBOS.

Joannes Feyxous natione Hispanus, non modo genere, sed pietate etiam, ac doctrina clarissimus, Vallisoleti ortus est, sive, ut alii scribunt, in ipsa Villalobos, unde & avitum nomen, A. D. 1644. Tertio ætatis lustro nondum exæto, honores, ac divitias Domus nihil pendens, Methymnae Campi Carmeliticam Religionem amplexus est. Expleto studiorum curriculo, Scholasticas disciplinas Salmanticæ prisaum, deindeque Vallisoleti publice edocuit; ubi suo marte primariam Theologæ Cathedram in inclito illo Lyceo sibi comparavit, eidem postea Regali Diplomate confirmata. Varia insuper in suo Ordine gessit munera; præ certis munus Praefulsi Provincialis Capituli, Toleti anno 1684. celebrati; item Socii Generalis, in Generali Capitulo Romæ habito anno 1686. eidem collatum; ac demum Siciliæ Provinciarum Generalis Visitatoris, ut & S. Angeli Provincie eadem in Insula anno 1692. Provincialis. Sed hujus Praefeturæ possessionem vix consecutus, ad celfiores alias dignitates merita sua ipsum extulerunt; nam mense Maii ejusdem anni, Generalibus Comitiis Romæ concitis, ad supremum universi Ordinis honorem electus est.

Incredibilis sane fuit sollicitudo, quam Joannes in exercendo hoc munere præ se tulit. A Litteris primum exorsus, novis decretis, Apostolica etiam confirmatione munitis, veteri nitori studia restituit. Religionis Visitationem, Apostolici etiam Visitatoris auctoritate, suscepit, a Portugallia, atque Hispaniæ incipiens Provinciis; ubi Congregationes convit, Capitula celebravit, atque in omnibus statuta, ac decreta condidit, ad legum observantiam, & regularem disci-

M m 2

pli-

plinam restaurandam vel maxime conducentia . Madriti honorum Hispaniarum Magnatis pro se , suisque successoribus redintegrationem obtinuit , qui jam a Catholicis Regibus Ordinis Generalibus fuerant concessi , sed postea oblitterati , ab Aula recesserant . Asperrimas inter controversias , quæ tum vigebant , Ordinem a Danielis Papebrochii injuriis vindicavit , non modo litteris , sed etiam gestis , efficiens , ut a supra Hispaniæ Inquisitione illius libri damnarentur , & proscriberentur . Per Catholicum Regem illud & egit , ut Pontifex Innocentius XII. controversiam Carmelitas inter , & Jesuitas tunc versantem , ad se avocaret , & tandem perpetuum imponeret silentium . Quamobrem merito a nostro Villiers nuncupari meruit : *Vir in rebus gerendis dexteritate donatus maxima , & in omnium Scientiarum genere versatissimus* . Atque ob hæc , totque alia pro sua Religione præclare gesta , non modo apud suos , sed etiam apud exterorū nomen suum immortalitati consecravit .

Tandem Ordinem maxima cum laude sexenio moderatus , in Generalibus Comitiis anno 1698. celebratis munus resignavit , & paullo post in patrium Hispaniarum solum secessit . Ubi deinde anno 1703. a Catholico Hispaniarum Rege , cui acceptissimus erat ; ad Gaditanam sub Hispalensi Metropoli Sedem nominatus , a Clemente XI. illius Ecclesiæ Episcopus fuit creatus ; quam sane ubi ipse quatriennio sanctissime gubernavit , in eademmet mortales reliquit exuvias , iv. Idus Februarii anno Domini MDCCVII. ætatis suæ LXIII. Summo Ecclesiæ Antistite Clemente XI.

*Res memoria dignæ sub Feyxoo regimine .*

1692. **P**aulo a S. Ignatio Generalatus munere jam functo , mense Maii hujus anni in Transpontinæ Conventu Generale Capitulum celebratur ; in eoque sub Cardinalis Protectoris auspiciis Generalis

rafiis Prior Joannes Feyxous de Villalobos electus est, Generalis vero Procurator Daniel Scoppa Neapolitanus, qui postea ab Innocentio XII. anno 1695. ad Nolanum Episcopatum electus, Franciscum Ximenes de Medrano habuit successorem. *Ex Papy. Ord.*

1693. Etsi Hispaniarum Magnatis honores, ac privilegia coram Rege caput operiendi, jam ab anno 1566. Generali Joanni Baptista de Rubeis a Philippo II., atque anno 1606. Generali Henrico Silvio, ac Successoribus a Philippo III. fuerint concessa; attamen, quia Regalis Concessio non fuerat in Regio Regesto descripta, idem honos fuit postea aliis Generalibus in Hispaniam profectis denegatus. Sed hoc anno Generali de Villalobos a Catholicico Rege Carolo II. Regali Diplomate diei 30. Septembris iterum Regale Privilegium concessum est, ac confirmatum hisce verbis: „Che se continue en el Reverendissimo P. Magistro F. Ivan Feyxoo de Villalobos General de toda la Orden de la Madre de Dios de el Carmen, y a sus Subcesores en esto Empleo, la posecion, en che sta su Religion de cubrirse en la Real presencia de su Magestad sus Generales &c. „ ut in *Bull. Carm. tom. 2.* Hinc idem Generalis in Hispaniam jam profectus, ut Regali Privilegio frueretur, initio mensis Octobris hujus anni maxima cum pompa, ac solemnitate ad Regium pergit Palatium; ac primo quidem publice Madridum ingreditur, centum, ac triginta curribus quadrijugis, & sexijugis comitatus; inde, ubi Regale introivit Palatium, ab omnibus Magnatibus magnifice excipitur, ab iisque suetis cum cæremoniis ad Regem ductus est, a quo præter honorem caput operiendi, sibi statim tributum, alia etiam Regalis benevolentiae signa accepit; quæ omnia fuse descriptis publica *Relatio Madriti edita die 8. Octobris 1693.*

1694. Pontifex Innocentius XII. Bulla, quæ incipit: *Christi Fidellum*, die 16. Februarii hujus anni edita, Cardinalium Ordinum Protectorum facultates limitat, & coercet; quæ antea amplissimæ erant, quasque experientia rerum Magistra satis docuerat, magis damno, quam utilitati bono Religionum regimini fuisse. *Bull. Carm. tom. 2.*

1695. Supremæ Hispaniarum Inquisitioni denuntiatis erroribus, a nostro Sebastiano a S. Paulo detectis per suum libellum: *Exhibitio errorum Oc. in Actis Sanctorum Godefredi Henschenii, ac Danielis Papenbrochii*, ab eadem suprema Toletana Inquisitione, post maturum examen, ac discussionem, decreto diei 14. hujus anni quatuordecim Tomi in fol. eorum Operum damnantur: „Por contener (sunt Decreti verba) propositiones erroneas, hæreticas, sapientes hæresim, periculosas in si „ de,

» de , scandalosas , piarum aurium offensivas , schismaticas , seditiosas ;  
 » graviter offensivas a muchos Summos Pontifices , a la Sede Apostoli-  
 » ca , a la Sacra Congregacion de Ritos &c. y affirmisimo por contener  
 » proposiciones ofensivas al Estado Religioso , a muchos Religiones , y  
 » especialment a la del Carmen , y a sus Escritores graves &c. En la  
 » Sala de nuestra Audiencia del S. Oficio de la Inquisicion de Toledo ,  
 » a catorze dies del mes de Noviembre . 1695. „ . Idemque Decretum  
 contra eosdem libros eodem anno pronunciarunt Inquisitio Aragonia ,  
 Madritensis , atque etiam illa Lusitania die 20. Januarii sequentis an-  
 ni . Bibl. Carm. tom. I. pag. 843

Atque hoc sane successu confirmata videtur S. Theresez predicio ,  
 dux ad quendam Societatis Patrem scriptit : *Namquam credam , quod*  
*Iesus Christus permittat , Societas en illa cauffa magnis ponderis , quan-*  
*to magis ex adeo levia , contra sua Matris Ordinem agere Gc. et si per-*  
*mittere contingat , quod hac parte hinc sperabitur , centum forsan par-*  
*tibus emortetur . Et quidem perennis Carmelitarum imbecillitate , atque*  
*inertia , ac Jesuitarum potentia , & in rebus ageadis sollertia , non sine*  
*prodigio id factum videtur . Valentinus a S. Amanda.*

Sed nec etiam Carmelites illotis manibus superfederunt : nam tuti  
 Carmelitarum Calceatorum Generalis Joannes Feyxous de Villalobos ,  
 tum Excalceatorum Generalis Joannes ab Annunciatione Catholica Re-  
 gis patrocinium implorarunt , ut justissimam eorum Cauffam tueretur ,  
 ac defenderer ; qui fane pientissimus Rex ad Pontificem Innocentium XII.  
 scriptit , eundem obsecrans , ut ad se Cauffam avocaret , ac decerneret ,  
 quod fibi ex re magis videretur , ut statim ille egit , & videre est in  
 Regis ad Pontificem Responso a nostro Bull. relato tom. 2. p. 663.

1696. Die 8. Decemb. hujus anni miraculis , ac prophetiis clara  
 ad divinum migravit Sponsum Ven. Maria-Anna Azavedo a Purificatio-  
 ne , Ulyssiponensis , Beja Monasterii Professa . De hac inclyta Moniali  
 dicere solebat noster Generalis de Villalobos , quod suarum Visitationum  
 in Regionibus tam longinquis labor commodius levaretur ex solatio ,  
 quod in mutuis Matris Mariz Annz Azavedo colloquiis suaviter haurie-  
 bar . Villiers Bibl. Carm. tom. 2.

Hoc anno , quo ad se Pontifex avocavit cauffam Jesuitas inter  
 & Carmelitas , a S. Romana Inquisitione Propyleum ad Acta SS. P. Pa-  
 pebrochii damnatur . Auct. supra cit.





Carolus <sup>LVI</sup> Philibertus Barberius  
Baconisius

Electus Gratiis in Comitiis Romæ habitus 17 Maij 1698. Praefuit annis 6.  
Decessit Romæ die 6 Februarij 1722. Etatis sue an 70.

Arnold. V. Wauterhout Sereniss. fecit. Francisci Farnorij Parvum et plac. Ducis Sculptor ad uitam dedit et sculpsit.

## LVI.

## CAROLUS PHILIBERTUS BARBERIUS.

**G**enerali de Villalobos Carolus Philibertus Barberius successit, natione Pedemontanus, & Racconisii sub Taurinensi Diœcesi ortus die 8. Februarii, anno Æra Vulgaris 1652. Die 4. mensis Martii 1668. Mundo vale dicto ad Carmeli Claustra convolavit; ubi elato ejus ingenio, quo erat a natura præditus, & laborioso studio, insignis prope diem evasit Philosophus, ac Theologus, & in omni eruditionis, ac scientiarum genere versatissimus; adeo ut jam ab anno ætatis sue vicesimo secundo publicus Lector in Taurinensi Civitate fuerit destinatus, atque a Serenissimo illius Principe Urbis ipsius declaratus Theologus. Hinc Romam accitus, in Romana Sapientia Lector, atque in Transpontinæ Collegio studiorum Praefectus institutus est, & insuper Sacrae Indicis Congregationis Consultor, ac Sanctæ Romanæ Inquisitionis Qualificator. Quibus in muneribus tantam sibi existimationem conciliavit, ut Generalibus Comitiis Romæ concitis anno 1698. a Venerabili illo Confessu supremus Ordinis Praeful fuerit renuntiatus. Id quod voluptati sane fuit, ac plausui, non modo apud omnes sui Ordinis Fratres, sed etiam apud Pontificem, Cardinales, Civesque omnes Romanos, quibus Caroli doctrina, ac merita satis innotuerant.

In excelsa hac dignitate præstantissimus noster Praeful constitutus, tanta erat (inquit Carolus Vaghius suis in Comment.) illius benignitas, benevolentia, & humanitas, tanta iustitia, ac prudentia in regimine, & conversatione erga Religiosos Subditos, ut ab omnibus universaliter amaretur, & timeretur. Sub ejus prudentissimo regimine compositam tandem vidit inter Carmelitas, ac Jesuitas Controversiam, quæ jam pri-  
dem

dem Religionem totam commoverat , celebri Bulla perpetui silentii a Pontifice Innocentio XII. emanata . Summo pro Dei gloria flagravit zelo , quo non solum pro Regularis Observantiae in Subditis conservatione , & augmento sollicitus fuit , sed etiam quo magis Catholica Fides in Infidelium regiones invehernetur , Missionibus undequaque consulens , quas noster habet Ordo in Anglia , Hibernia , Scotia , Batavia , nova Gallia , atque in Conterminis Americae Regnis . Hinc de ipso merito cecinit Joseph noster Parascandolus lib. Fa-  
storum :

*Carmeli nunc summa tenes , patefactus ab alto ,  
Eliae totum pascis , amasque Gregem .  
Sis Felix , Pater alme , & natus ad alta Magister  
Munere dum munus , culmine culmen adis .  
Desere Carmeli Sedem , si Roma requirat ,  
Per Vaticanas dum spatiere Rosas .*

Præfuit itaque Religioni Philibertus pari semper studio , ac prudentia per sexennium , quo exacto ad primævas , ac litterarias exercitationes redivit , nimirum publici Lectoris in Romanæ Sapientiae Archigymnasio , quo in munere ad obitum usque perduravit ; qui accedit Romæ anno Salutis MDCCXII . ætatis annum agens LXX . Innocentio XIII . Summo Ecclesiæ Pastore .

*Res memoria dignæ sub Barberii regimine .*

1698. **R** Omæ Pentecostes tempore Generalis Ordinis Synodus con-  
vocatur , Cardinale de Alteriis Religionis Protectore præ-  
sidente ; in eaque Generalis Prior Carolus Philibertus Barberius renun-  
tiatur , Angelo de Cambolas Generali Procuratore instituto . In eo autem  
Capitulo hæc præcipue statuta sunt . Primo mutua inter nos , & Fratres  
Minores amicitia , de qua etiam hi caverant Generali eorum Capitulo  
anni 1694 . Secundo Assistentes Generales in Ordine introducti Generali  
Capitulo anni 1660 . , deindeque a Clemente X. anno 1672 . suspensi ,  
in

in perpetuum restituantur; et si non perpetuam deinceps durationem habuerint. *Ex Pap. Ord.*

Eodem anno Carmelitarum postulatibus, votisque annuens Innocentius XII. Bulla, quæ incipit: *Redemptoris*, sub die 20. Novembris, perpetuum Controversiæ imponit silentium, eo ævo, & maximo cum Fidelium scandalo agitatæ, super primæva Institutione Ordinis Fratrura B. Mariæ de Monte Carmelo, illiusque successione a SS. Prophetis Elia, & Eliseo, sequentibus verbis: „ motu proprio, & ex certa scientia, „ & matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine super „ præfata quæstione de primæva institutione, ac successione Ordinis su- „ prædicti a Prophetis Elia, & Eliseo, perpetuum silentium tenore pra- „ sentium imponimus, illudque a Defensoribus utriusque sententie, „ neo non ab omnibus, & quibuscumque aliis cuiuslibet gradus, status, „ conditionis, Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, tam in „ scriptis, dissertationibus, & libris imposterum typis edendis, quam in „ publicis disputationibus, & thesibus, sub excommunicationis latæ fer- „ tentiæ poena, ipso facto incurrenda, perpetuo servandum esse, decerni- „ mus, & ordinamus. Præterea libros, theses, seu scripta quæcumque „ contra eorundem præsentium formam in posterum edenda, harum fe- „ rie prohibemus sub poenis, & censuris in Regulis Indicis Librorum „ prohibitorum contentis, illaque eo ipso absque alia declaratione pro- „ expresse prohibitis haberi volumus, & mandamus &c. „. Quæ sane Bulla fuit publicata, & solita forma in publicis Romæ locis affixa:

*Bull. Carm. tom. 2. De eadem vid. ad an. 1725.*

1699. Die 17. Martii hujus anni, ætatis annum agens septuage- simum & septimum, menses quinque, ac dies viginti quatuor, ad æternam convolavit quietem Ven. Seraphina de Deo, de Capreis vulgo nuncupata, Carmeli filia, & sex Monasteriorum ejusdem sui Ordinis Fundatrix, virtutibus, ecclasiis, visionibus, signis, & miraculis per ejus intercessionem a Deo tam ante, quam post ejus obitum editis, percelebris. Variis post mortem portentis Servam hanc suam illustravit Dominus; & primo quidem per undecim dies, quibus corpus ejus in sepultum mansit, incorruptum, cunctisque in partibus flexible semper fuit, ac suavissimum spirans odorem. Præterea dum Missæ in Ecclesia, ubi elatum fuerat, celebrantur, a Consecratione celebrantis ad finem usque consummationis specierum Christi Sacramentati, facies ejus apparebat rubore tota conspersa, ac mirum in modum accensa; & quod magis est, triginta trium horarum spatio, postquam occubuit, calor in ca-

N n

da-

davere servatus est ; nec sane defitit , nisi ubi , ipso aperto , avulsus ab eo cor fuit , quod , quasi adhuc esset divina caritate astuans , illius caloris causa erat , & origo . Sed hic ne cessarunt quidem portenta ; nam in corde ipso parvum vulnus repertum est , inque medio ipsius veluti sagittæ cujusdam punctio ; insuper in sinistra pectoris parte , ut & in manibus , ac pedibus livores quidam trium circiter digitorum latitudinis : quæ quidem , velut stigmatum signa , & vulneris a Divino ejus Sponso in pectore accepti anno 1664. , ut ibi diximus , merito habita sunt .

Dei Servæ cor etiamnum incorruptum servatur in Capreensi Monasterio , ubi decessit , et si arefactum ; sic etiam sanguis ejus a venis post obitum emissus , qui adhuc liquidus exstat , ut testatur ejus vita Scriptor anno 1723. , quo eam typis mandavit , & a quo nos cuncta haec hausimus .

1702. Cum nostri Discalceati Carmelitæ ea tempestate in Peruviam se contulissent , ad extruenda ibidem Coenobia , invenerunt quosdam , qui legitima auctoritate carentes , Carmeli Scapularia benedicebant , fidelibusque distribuebant , *forsan sub figmento attributa sibi facultatis surpis lucri gratia* : idcirco hoc anno Generalis Procurator Hispanæ Congregationis ad Sacram Congregationem recurrit ; quæ per Cardinalem Sacripante declarat , ac definit , folis Carmelitarum Calceatorum , & Discalceatorum Generalibus S. Mariæ de Monte Carmelo Confraternitatum erectionem competere , ad eosque etiam , vel ab iisdem deputatos , Sacrorum Scapularium benedictionem pertinere ; & Confraternitates omnes aliter erectas , haud legitimas , ac nullas esse , eosque omnes , qui Scapulare ab aliis benedictum deferunt , nullimode Indulgentiarum , ac Privilegiorum Sacro Scapulari concessorum fore participes . Quod sane Decretum a Clemente XI. Brevi diei 24. Novembris hujus anni confirmatum est . *Bull. Carm. tom. 2.*

Nec Mantuanæ Congregationis Generalis Vicarius hanc erigendi Confraternitates facultatem habet , nisi in sua Congregationis Ecclesiis tantum , ex Pauli V. speciali concessione . *Bull. Carm. ibid.*





LVII

*Angelus de Cambolas  
Tolosanus*

*Electus Gral. in Comitijs Romæ habitis 10. Maij 1704. Praesul annis 6  
Decessit Tolose die 1716. Etatis suæ an. 80.  
Arnold. V. Westerhout Scul.*

## LVII.

## ANGELUS CAMBOLAS.

**T**olosæ, quæ egregia Galliæ Urbs est, ortum habuit Angelus Cambolas a Parentibus generis nobilitate conspicuis : *Inter Priscos, & Primates Tolosates nemini, secundus audit idcirco apud Puglisium in dicator. in Exposit. Reg. Carm.*) quippe cuius Familia *Toga, Sago, Infulis, Armis, litteris, titulisque tum Sacri Tolosani Consilii Presidentis, tum Consiliarii, tum Marchionis sit decorata*. Carmeliticum Institutum in patrio Coenobio amplexus, in Turoniam Provinciam ad exsplendum studiorum curriculum missus est. Scientias adeo excoluit, ut nervosam ingenii industriam acuminis suo adnecessens, unus ex insignioribus suorum gentis viris evaserit. In celebrioribus Galliæ Cathedralibus, omnium cum plausu vicennio concionatus est. Tolosanæ Provinciæ ter Provincialis, Galliarum Provinciarum undecies Visitator, ac Generalis Commissarius, majoris Parisiensis Conventus Prior, ac Generalis Commissarius, quater Generalis Definitor, ac Generalibus in Comitiis anni 1686. totius Ordinis Generalis Procurator electus est. Ob omnes hujusmodi honores probe, & sedulo gestos, Pontifex Innocentius XII. eumdem decoravit, ut ait in Brevi diei 12. Junii 1692. *Reverendissimi Titulo, cunctis cum exemptionibus, immunitatibus, gratiis, ac privilegiis huic Titulo adnexis*. Generali Capitulo anno 1698, celebrato, iterum Generalis Procurator destinatur ; atque hinc, alio Generali Capitulo Romæ habito anno 1704., ad supremam tandem Ordinis Praefecturam ascendit.

Hoc in loco constitutus Cambolas, nihil eo in suo regimine ( inquit Cosmas Villiers ) non molitus est ad Pontificum, Regum, & Principum gratiam sebi præmerendam, siue splendorem

rem Ordinis quocumque modo promovendum. Et quidem Pontifici Clementi XI. ea tempestate Regnanti acceptissimus fuit, qui eum & universalis Romanæ Inquisitionis Qualificatorem, & Apostolicum Generalem constituit Commissarium, amplissimis cum facultibus absolvendi etiam, ac dispensandi super censuris, in quas quomodocumque incurrisse Subditi. Christianissimo Galliarum Regi Ludovico XIV. valde etiam arrisit, qui præ ceteris annuam pensionem sexcentum librarum eidem assignavit. Quoad Ordinem vero sibi commissum, nil effugit laboris, quo Regularem disciplinam, ac litterarum decus magis magisque promoveret.

Interea sexennio sui muneric gloriofissime expleto, in Generali Capitulo habito anno 1710. Successori locum cessit, ipseque in patrium Tolosanum Conventum secessit; ubi aetatibus annum LXXX. agens, vitam finivit, anno Reparatæ Salutis MDCCXVI. Christi Ecclesiam moderante Clemente XI. P. M.

*Res memoria dignæ sub Cambolas regimine.*

1704. **D**ie 30. Aprilis, sueto Pentecostes tempore, Romæ Generali Capitulo coacto sub Cardinalis Ordinis Protectoris auspiciis, Angelus Cambolas Generalis Prior renuntiatus est, Generalis vero Procurator Andreas Capero Hispanus; qui postea anno 1711. per Catholicum Hispaniarum Regem Philippum V. ad Lucensem in Gallicia Ecclesiam nominatus, Episcopus creatus est. Electi itidem fuerunt quatuor Nationum Assistentes. Varia in hoc Capitulo conduntur decreta, novis in Constitutionibus inferenda; quarum editio parabatur, facultates præsertim Generalium Assistentium declarantia. Præterea statuitur, ut totius Capituli nomine Pontifici Clementi XI. humillimæ reddantur gratiae, quod Ordini concederat, ut Sancti nostri Patriarchæ Eliæ marmorea statua in Vaticana collocaretur Basilica: quod ceteroquin executioni demandatum non est, nisi sub Benedicti XIII. Pontificatu, ut suo loco dicetur. *Ex Papy. Ord.*

Eodem anno, Regis Poloniæ postulatis, Sacra Rituum Congregationis decreto sub die 30. Augusti Officium sollemnis Commemorationis B. Virginis de Monte Carmelo ad utrumque Clerum in Poloniæ Re-

Regno extenditur, modo jam compluribus aliis Regnis, ac Dominiis concessio. *Bull. Carm. tom. 2.*

Die 11. Octobris ejusdem anni 1704. e vivis excessit Ven. Maria Anna Emmanuel a Christo, Hispana, quæ in Oppido *Oriola*, seu *Oribuella* sub Valentino Archiepiscopatu, die 2. Februarii anno 1666. ortum habuit; atque ad habitum Tertiatarum nostri Ordinis die 20. Aprilis 1698. admissa, vitam prodigiis, & miraculis plenam duxit, inquit Cosmas Villiers *Bibl. Carm. tom. 2.* Quam typis edidit anno 1702. Antonius Alaxamora Carmelita.

1705. Complures gratias hoc ævo elargitur Deus per defunctæ Servæ ejus Seraphinæ de Capreis intercessionem, ac merita. Quas inter hæc una præsertim fuit. Salvator quidam Vitalis Neapolitanus in Caprearum Insula apoplectico morbo correptus, lingua, ac voce amissis, in proximum vitæ discrimen Medicorum sententia adductus fuerat. Inter hæc eidem suadet Confessarius, ut Matrem Seraphinam ex toto corde invocet, & Medicus ipse gutturi suo chartulam quamdam immisit, in qua duo Dei Servæ capilli erant; eamque ægrotus variis pietatis argumentis accipere visus est. Hora circiter elapsa, infirmus, soluta jam lingua, ab astantibus dicere auditur: *Madre Serafina, Madre Serafina:* tum vero appropinquantibus, qui aderant, ille fani instar, explicataque lingua ait, Matrem Seraphinam apud lectum adeo pulchram, splendentemque aspexisse, ut totum illuminaret cubiculum, ejusque collo dextera imposita, adlocutam sic esse: *latet esto, jam sanus factus es.* Neque hoc infirmi delirium sane fuit; nam confessim magna cum omnium admiratione e toro surrexit, quasi morbum numquam esset passus. Prodigiousum hujusmodi successum Episcopus rite probavit, ut in ejus Vita describitur.

1706. Aliud prodigium haud minus insigne circa hæc tempora contigit. Capreensi cymba prope Liburnium mari jactata, Nautæ res omnes projecerant, jam jam naufragium passuri: cum unus ex illis, nomine Innocentius Cotugnus, recordatus, Ven. Matris Seraphinæ habitus pauxillum in marsupiolo se habere, multa cum fide socios alloquitur: *Commendemus nos omnes Matris Seraphine patrocinio, & cuncti simul eam invocemus, ut opem nobis præfer in periculo.* Ac sane, magna elata voce, cuncti Dei Servam invocarunt; eodemque temporis articulo Cotugnus eamdem crumenam in mare projectit; atque en subito, tranquillato æquore, sedati sunt fluctus, & pro majori prodigi confirmatione, dum cymbæ illius vela, funesque aptant nautæ, idem

In-

Innocentius in prora crumenam invenit, quam paulo ante in mare projecerat. Multas alii gratias eodem anno per Seraphinæ intercessionem obtinuerant, quas nos miracula appellare non audemus, donec talia a S. Sede non declararentur, apud quam Beatificationis suæ Caussa agitur.  
*Ex ejus Vita.*

1709. Montis Sancti Provincia, Primi Instituti nuncupata, quæ ex Siciliæ, Neapolis, & Status Ecclesiastici Reformati Conventibus componebatur, in duas hoc anno dividitur Provincias, Siculam nempe, ac Romanam, Sacrae Congregationis super Episcoporum, & Regularium Negotiis Decreto. *Bull. Carm. tom. 2.*

1710. Ineunte hoc anno, die nempe 16. Februarii, in Carmelo Majori Neapolis felicissimus ad aliam vitam transitus accidit incliti Dei Servi Julii Castaldi Placentini, doctrina, ac vita Sanctimonia clarissimi, qui in extremis laborans, cum canticum *Benedictus* recitaret, ubi ad ultimi versiculi verba pervenit: *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*, in Creatoris manibus spiritum exhalavit; & cum magna apud omnes pietatis suæ effet opinio, oportuit ut cadaver triduo in Ecclesia insepultum maneret, quo Populi multitudini, qui undique confluerebat, fieret satis; perque totum hoc tempus Julii Corpus incorruptum, & canantis in partibus flexible permanxit, & vultus, qui, dum viveret, semper fuit squallidus, rubore perfusus apparuit. Triduo post, necessariis cum solennibus, & coram multis piis, doctisque viris, ac duobus publicis Notariis, a Chirурgo pedis vena aperitur, eaque vivum, fluentem, ac rubrum sanguinem emisit. Hæc omnia, quæ post Julii obitum acciderunt, nos hic pro miraculis, ac supernaturalibus defiaire non audemus; nam nos minime fugit sapientissimi Pontificis Benedicti XIV. doctrina, qui lib. 4. de Canoniz. Sanctorum cap. 31. ait, a caussis etiam naturalibus illa posse procedere, *dummodo non succedant post lapsum multi temporis.*

Fuit deinde Dei Servi Corpus in peculiari Ecclesiæ loco sepultum, ubi in tumulo hæc leguntur:

Hic jacet

Servus Dei P. Batt. Julius Castaldo Placentinus.

Qui

Plenus meritis obdormivit in Domino

Die 16. Februarii A. D. MDCCX. LXII. ætatis.

Eximii hujus Dei Servi vitam late scripsimus in nostro primo libro de viris illustribus Carmeli Majoris Neapolis.

LVIII.



John Smith

1770 - 1840



LVIII

Petri Thomas Sanchez  
Leocatensis

Electus Gnatii Romæ in Comitiis habitiis 7 Junij 1720.  
Praefuit annis 6. Decessit Leocate die 27 Iunbris 1720. Etatis suæ 58.  
Arnold. Van Westerhout ad Eum declin. et scul.

## LVIII.

## PETRUS THOMAS SANCHEZ.

**P**Ræstantissimus hic Præfus natione Siculus, Professione Carmelita, ac D. Angeli Provinciæ alumnus, Leocatæ, quæ egregia Siciliæ Urbs est, sed Divi Angeli Hierosolymitani martyrio in primis inclyta, ortus est iv. Idus Januarias MDCLXII. Vir sane fuit, tum in humanis, tum in divinis litteris versatissimus, in iisque docendis totam fere vitam consumpsit. Reconditam Bacconii nostri doctrinam doctissimis illustravit Commentariis, ac per totum evulgavit Ordinem. Lectoris in Sicilia munere diu functus, Romam deinde accitus, in primo Ordinis Transpontinæ Collegio Regens fuit constitutus; ubi doctrinæ, ac virtutis suæ adeo præclara exhibuit specimina, ut Apostolica auctoritate primum Romanæ Cleri Examinator, indeque in Leoninæ Civitatis Ecclesiastico Collegio perpetuus Theologiæ Lector fuerit creatus: quod sane munus tanta cum laude, atque illorum Ecclesiasticorum profectu gessit, ut potentibus Cardinalibus Colloredo, atque Imperiali ejusdem pii Loci Patronis, a Pontifice Clemente XI. Brevi anni 1704. cuncta privilegia, gradus, honores, ac præminentiaz sibi fuerint concessa, quibus in nostro Ordine Sapientiæ Romanæ gaudent Lectores; hinc eo diplomate fretus cum suffragii jure interfuit primum Generalibus Comitiis eodem anno 1704. celebratis, deindeque aliis sequentibus, Romæ etiam concitis anno 1710.; in iisque tandem ad supremam Ordinis dignitatem fuit sublatuſ.

Quanta autem Petri Thomæ fuerit vigilancia, ac zelus, quem toto sui regiminis tempore erga Gregem sibi commisum præ se tulit, satis colligere est a Regulari Observantia, quam suis in Subditis vel restaurare, vel augere studuit; a

Bul-

Bullarii Carmelitani editione, Ordini adeo utilis, ac necessaria, quam ipse promovit, atque a summa sollicitudine, quam semper pro studiis habuit, quæque ipse veteri splendori restituit, in Italicis præsertim Provinciis, tum novis Decretis, a Sancta etiam Sede confirmatis, tum ejus doctissimis MSS., egregie elaboratis.

Anno tandem 1716. Generalatus munere magna cum laude absoluto, Petrus noster ad veteres litterarias exercitationes rediit; sed dum eximia ejus merita grandiores illi pollicebantur honores, en invida mors vitæ rupit stamina; quod accidit in patrio ejus Leocatensi Cœnobio, quo se per breve tempus contulerat, v. Kal. Octobris anno MDCCXX. ætatis annum agens LIX. Regnante in Christi Ecclesia Clemente XI. Conditus est in ejusdem Cœnobii Templo, ejusque tumulo a mœrentibus Fratribus sequens Epitaphium fuit appositum:

D. O. M.

Reverendissimo P. M. Petro Thomæ Sanchez Leocatensi  
Totius Ordinis Carmelitani Priori Generali  
Pietate, Doctrina, rerum administrandarum dexteritate  
& prudentia Præstantissimo

Qui

Inclytæ Patriæ novam Gloriam  
propria virtute comparatam adjecit  
Aliquot aureorum millibus collatis Ædem hanc, & selectissima  
Librorum copia Bibliothecam auxit, & ornavit:

Cum in Pontificem Cephaludensem  
destinatus esset, præpostero fato

Obiit die XXVII. Septembris MDCCXX. Ætatis anno LIX.  
Relictis nullo ævo interituris doctrinæ, ac pietatis monumentis  
Tanto Viro doctissimis MS., & nominis immortalitate superstite  
PP. hujus Conventus gratitudinis, & obsequii monumentum hoc

P. Anno 1742.

Res

*Res memoria dignæ sub Sanctissi regimine.*

1710. **E**xpleto jam Cambolas Generalis regimine, Romæ in S. Maria Transpontinæ Conventu sueto Pentecostes tempore Generalia Comitia habentur, in quibus, Cardinale Sacripanti Ordinis Patrono præsidente, Generalis Prior Petrus Thomas electus est, Generalis vero Procurator Eliseus Montignanus Feroliviensis; non jam a Capitulo, prout de more, sed Apostolica auctoritate creatus. Eadem Pontificia auctoritate electi quoque fuere quatuor Nationum Assistentes, seu Socii Generales; & quidem absoluто jam Capitulo, Pontificio Brevi diei 14. Junii hujus anni. Inter cetera memorata digna eo in Capitulo statuta, Decretum est, quo præcipitur (uti cautum etiam erat in præcedenti Capitulo) ut in Officio Commemorationis Defunctorum Fratrum, ac Sororum nostri Ordinis, Commendationes eodem modo recitentur, ac fit in die Commemorationis omnium Defunctorum, mutatis mutandis. *Ex Papy. Ord.*

1711. Varia sane fuerunt statuta, eaque diversis facta temporibus pro Ordinis studiis, ac studentibus graduandis: præcipua vero sunt illa in antiquis nostris Constitutionibus contenta *p. r. 1. cap. 17. & 18.* Anno 1680. in Generali Capitulo prioribus statutis alii additi sunt articuli, et si numquam executioni demandati. Anno 1692. Generalis de Villalobos, omnibus aliis abrogatis, nova condidit pro studiis decreta, ab Innoc. XII. etiam confirmata; verum nec ista diuturnam habuerunt observantiam. In Generali enim Capitulo anno 1704. celebrato, post maturum illorum examen, & discussionem, & anteacti sexennii experientia, eadem non modo difficultia reperta sunt, sed quæ in Italicis Provinciis executioni demandari omnino nequeant, ob illarum præfertim inopiam, quæ Collegiorum numerum in iisdem designatum ferre minime valeant. Hinc sane factum est, ut hoc in Capitulo anni 1704. alia pro studiis, & graduandis condita sint decreta, antiquis Constitutionibus omnino consona, additis dumtaxat duobus aliis decretis, in Generalibus Capitulis anni 1641., & 1660. publicatis. Hæc autem Decreta, ut perpetuo durarent, atque in Ordine adamissim servarentur, hoc anno Generalis Sanchez effecit, ut a Summo Pontifice Clemente XI. Apostolico præsidio munirentur, Bulla quæ incipit; *Exponi Nobis*, sub die 10. Novembris edita. Atque hæc ad præsens pro Italiae studiis servantur; quæ sane si rigide, ac fideliter tum Studentes, tum Lectores, sed Superiores in primis exequerentur, satis profecto

O o

ef.

essent, ut litteræ, ac scientiæ in Ordine florescerent. *Bull. Car. ro. 2.*

1713. Ea potissimum tempestate inclytus Romæ redditur Ven. Angelus Pauli portentosus rerum multiplicationibus, quas pro pauperibus in manibus ejus Divina operabatur Providentia. Siquidem ipse modo paucis panibus inopum multitudinem; qui ad ipsum, veluti ad Patrem confluabant, satiat; modo tribus vini amphoris centum & ultra homines siti liberat, scypho unicuique distributo; & modo duabus bellariorum libris in S. Joannis Lateranensis Hospitali tercentum recreat infirmos. Sed quod magis portentosum videbatur; capulus suæ tunicæ sinister erat, e quo omne eduliorum genus, aliaque multa, pro ut erat in votis, prodibant, etiam si pera in illo minime adesset. De prodigiosis hisce multiplicationibus complurimæ in ejus Processibus leguntur, quas sane miraculosas esse nulli dubium videtur; cum de iis tres illæ conditiones, a Pontifice Lambertino *lib. 4. de Canonizatione Sanctorum* requisitæ, omnino verificantur, ut ibidem videre est. *Ex ejus Vita.*

1714. Ven. Joannes Dominicus Lucchesi, natione Lucensis, ac nostræ Mantuanæ Congregationis Alumnus, vitæ sanctitate per celebris, Viterbii die 18. Martii hujus anni Sanctorum morte, qui eorum vixerat more, pientissime obiit, secundo, & sexagesimo ætatis suæ anno. Plurima pia Opuscula scripsit a nostro Villiers *Bibl. Carm.* relata, ubi eadem a S. R. Congregatione, & a Benedicto XIV. anno 1743. adprobata fuisse, addit.

1715. Exeunte mense Augusti hujus anni cum Romam pervenisset nuncius, Ludovicum XIV. Galliarum Regem gravi morbo laborare, Clemens XI. S. P. præcepit, ut preces Deo O. M. pro bona illius valetudine funderentur, utque in cunctis Urbis Ecclesiis inter celebrandum pro infirmo recitaretur Oratio. Interea quidam ejus Amicus Ven. Angelum Pauli percontatus est, num & ipse pro ægroti valetudine oraret: cui ille statim respondit: *Il Re di Francia è già morto, e conviene pregare ora per la salvezza della di lui anima.* Et sane quod ipse prædictum est; namque triduo post Romam tristissimus nuncius Ludovici Regis obitus pervenit, qui die 1. Septembris hujus anni contigerat. *Ex vita Ven. Angeli.*





LIX  
*Carolus Cornacchini*  
*Mediolanensis*

*Electus Generalis Romæ in Comitijs habitis 31 Maij 1716.*

*Præfuit annis 6 à Benedi: xiiii Creatus Episcopus Bobiensis. An. 1721*

*Ubi Decessit 17. Ian. 1737. Æt. an. 69*

*Arnold. Van Wasterhout ad uiuum del. et sculps.*

## LIX.

## CAROLUS CORNACCIOLE.

**N**atus est Mediolani præclarissimus hic Præsul anno Re-  
paratæ Salutis 1668. Parentes habuit generis nobili-  
tate clarissimos, Simonem nempe Cornacciolum, atque An-  
dronicam Mediceam e Malegnani Marchionibus, Borromæis  
Mediolanensibus, Magnisque Hetruriæ Ducibus Mediceis san-  
guine conjunctis. At Carolus majorum nobilitate, ac divi-  
tiis, mundique illecebris contemtis, expleto vix tertio æta-  
tis lustro, humile Carmeli Institutum amplexus, Deo, San-  
ctissimæque ejus Matri per Monasticam Professionem se vovit.  
Ob eximum, quo pollebat, ingenium, jam a prima Ado-  
lescentia docendis litteris fuit destinatus; ac primo Philofo-  
phiam in Carmelo Majori Neapolis, deinde Theologiam in  
patrio Mediolanensi Cœnobio tradidit; posteaque sueto stu-  
diorum curriculo absoluto, Magistrali laurea fuit decoratus.  
In eademmet Mediolanensi Urbe, ut & Papiæ, Florentiæ,  
Romæ, atque in aliis Italiz celebrioribus Civitatibus Aposto-  
lico Ministerio functus est, non sine ingenti nominis sui fama,  
atque Christiani Populi fructu, ut scribit noster Villiers. Me-  
diolanensem, ac Romanum S. Mariæ Transpontinæ Conven-  
tum rexit Prior, suæque Longobardiæ Provinciæ Provincialis  
præfuit. Præterea sub Cambolas Generalis regimine Genera-  
lis Socius destinatur. Variis itidem Generalibus Capitulis in-  
tersuit; ac postremo, cum iterum Transpontinæ esset Prior,  
in Generali Capitulo Romæ habito 1716. unanimis omnium  
suffragiis supremus Ordinis Antistes fuit renuntiatus.

Tanta autem dignissimi hujus Præsulis in regendo fuit  
prudentia, tanta in conversando humanitas, eaque vitæ san-  
ctitas, ut statim pacem, ac fraternalm in Ordine caritatem;

atque in Subditis perfectam legum observantiam revocaverit. Pro studiorum , ac litterarum incremento totis viribus contendit : in patrio proinde Cœnobio celebrem a fundamentis Bibliothecam erexit , librisque selectissimis ditavit . *Libris Aedem, Scientiis libros, Patriæ, & Ordinis Palæstram, erexit, ditavit* , ut in Inscriptione ibidem apposita legitur .

Denique sexto Generalatus sui anno jam elapso , in Generali Capitulo Romæ habito anno 1722. demandatum sibi Ordinis gubernium ingenti cum sui nominis gloria Cornaciolus absolvit ; atque in ipsa alma Urbe permanxit , sic jubente S. P. Innocentio XIII. , cui , æque ac fuerat ejus Decessori , acceptissimus erat , quiq[ue] ipsum Romæ Sapientiæ Lectorem instituit . At munus hoc haud diu exercuit ; nam novus Pontifex Benedictus XIII. anno 1726. ipsum , et si renuentem , Bobiensem Episcopum creavit . Ad hanc novam dignitatem electus , vix dici potest , quantus ejus zelus fuerit , vigilancia , ac Pastoralis cura pro ovibus sibi commissis regendis ; Synodos enim celebravit , integrum Diœcesim plures perlustravit , perexcelsa etiam montium ascendens cacumina , & tenebrosas vallium latebras pervadens , ubi gentem illam rudem omnino , atque agrestem ipsemet instruebat , atque eleemosynis adjuvabat ; deque Mensæ redditibus , necessariis , ac parcissimis sibi reservatis alimentis , ceteros omnes pauperibus , & Ecclesiis erogabat . Hinc concivi suo , atque affini Divo Carolo Borromæo non immerito fuit comparatus . Laboribus tandem , atque annis fractus XVI. Kal. Februarii anno MDCCXXXVII. magna cum sanctitatis fama obdormivit in Domino . Illius laudes recitavit Joachim Pontaltius , tunc Studiorum Regens , inde Ordinis Generalis , posteaque Pharenensis , & Ascolonensis Episcopus , docta ejus , atque erudita Oratione , habita in nostra Mediolani Ecclesia , tempore , quo Defuncto supremi honores indicti persolvebantur .

*Res*

*Res memoria dignæ sub Cornaccioli regimine.*

1716. **R** Om̄ Generalia Comitia habentur, Pr̄sidente Cardinale Sacripante Ordinis Protectore, in iisque die 31. Maji Ordinis Generalis Prior Carolus Cornacciolus renuntiatur; Generalis vero Procurator ex speciali Pontificis mandato Eliseus Monsignanus iterum nominatus est. Inter cetera autem statuta, Generalium quatuor Nationum Assistentium abolitio fuit, per secreta suffragia decreta. *Ex Papy. Ord.*

Unus e Candidatis, qui in eo Capitulo Generalatum consequi maxime contendebat, Eliseus Monsignanus erat, Generalis Procurator, vir de sua Religione optime meritus, ob duas Bullarii Carmelitani Partes in lucem editi, jamque Generalis futurus videbatur in primis, quod Clementi XI. ac Sacripanti Cardinali Pr̄sidenti acceptissimus erat, & major Italicae Nationis pars ipsius favebat partibus. Sed nihilominus Ven. Angelus Pauli, Capitulo jam concito, Religioso cuidam, eumdem sciscitanti, apertissime dixit, Monsignanum nec tum, nec umquam Generalem fore: quod omnino confirmatum est; cum Eliseus nec in illo, nec in duobus subsequentibus Capitulis, quibus interfuit, Generalis fuerit creatus. *Ex vita Angeli Pauli.*

Eodem anno aliud Ven. Angeli vaticinium, visionemque ex ejus Vita colligimus. Ineunte mense Augusti, dum Pontificis iussu per integrum noctem ferventissimas Deo fundit preces pro Christiano Exercitu, qui jam in Hungaria sub Principis Eugenii e Sabaudia imperio cum fortissimis Turcarum copiis centum quinquaginta millium Militum erat præliaturus, Dei Servus in ecstasim rapitur, & in spiritu pugnam inter duos Exercitus pugnatam vidit, atque insignem tandem Christiani Exercitus a Turcis reportatam victoram. P. Angeli visio ad Pontificis usque aures pervenit, exitusque expectabatur; eo magis, quod nuncius Romam attulerat, Eugenium Principem committendo prælio diem Assumptionis Deiparæ destinasse. Quum en die 15. Augusti nuncius Romam lætissimæ victoriae pervenit, quam Eugenius retulerat die 5. mensis Augusti, S. Maria ad Nives sacro, modo Angelo Pauli revelato, *ibid.*

Hoc eodem anno, cuncta Religione petente, ac Generalis Capituli decreto, a Clemente XI. Bulla, quæ incipit: *Alias postquam*, sub die 12. Septembris, Generales Assistentes perpetuo supprimuntur: Sicque vetus regiminis ratio restituitur, a nostris præscripta Constitutionibus: Prioris nempe Generalis una cum duobus Generalibus Sociis, atque Ordinis Secretario; etsi postea alia etiam supervenerit mutatio, ut infra suo loco dicemus. *Bull. Carm. tom. 2.*

In.

Inter Putignani, Apuliæ Oppidi, Dominicanos, ac Carmelitas orta controversia super præcedentia in Supplicationibus, aliisque Sacris Functionibus; iis vi suorum privilegiorum, hisce prioris fundationis vi eamdem ad se pertinere contendentibus, Decreto diei 22. Januarii a S. Episcoporum, ac Regularium Congregatione pro Carmelitis decisum est. *Bull. Car. ibid.*

1719. Die 24. Decembris obitus Romæ accidit Patris Magistri Anastasii Gonzalez Neapolitani Conventus alumni, virtutem, morumque integritatem, atque animarum zelo præstantissimi, cuius mors teti Urbi maxime displicuit, in primis Clementi Summo Pontifici, qui magno cum mærore Generali Ordinis Cornacciolo ait: *Padre Generale avete colla morte del Padre Gonzalez perduto il vostro Successore;* indeque subdit: *Noi abbiamo celebrate tre Messe per la sua anima.* Illius Cadaver in Transpontinæ Ecclesia fuit sepultum. Gonzalesii vitam in lib. Viror. *Illustr. Carmeli Majoris Neapolis descriptimus.*

1720. Ven. Angelus Pauli, postquam Carmeliticum Ordinem virtutum suarum nitore illustravit, ut & multis miraculis, quæ D. O. M. per ejus intercessionem edidit, die 20. Januarii hujus anni, die mortis suæ prænuntiato, ætatis annum agens septuagesimum octavum, ad æternam convolavit quietem, totius Romæ maximo cum mærore, ac luctu; præsertim pauperum, erga quos ipsius caritas magis enituit, ideoque *Pater Pauperum* adpellatus. Tanta erat pietatis fama, quam de ipso omnes habebant, ut Pontifex Clemens XI. speciali mandato jusserit, ut per totum sequentem Dominicum diem in Ecclesia infsepultum maneret, ne numerosissimi, qui illuc confluebat, Populi fraudaretur pietas. At eodem hoc tempore insigne sane accidit portentum; nam sex cerei, qui circa illius feretrum ardebant, etsi a mane illius diei ad Vesperum usque semper essent accensi; integri tamen, ejusdemque ponderis, ac mensuræ fuerunt reperti.

Fuit deinde in eadem Ecclesia Conventus SS. Sylvestri, & Martini ad Montes, ubi obiit, peculiari in loco sepultus; atque ejus canonizationis Caussa in Sacra Rituum Congregatione summo studio agitur, absolutis jam primo, ac secundo juridicis Processibus. *Ex ejus Vita.*

1721. Tres nostri Ordinis Brasiliæ Vicariaæ, nempe Bahiæ, Bernabuci, ac Fluminis Januarii nuncupatae, Clementis XI. Brevi in Provincias hoc anno erectæ sunt. *Bull. tom. 4.*



Ven: P. ANGELUS PAOLI Carmelita antiq: observantiae S.S.<sup>mi</sup> Nominis IESU  
cultor eximius, ac Pauperum Pater vulgo dictus: Obiit Romæ in Coenobio  
S. Silvestri, et Martini in Montibus die 20. Ianuarii 1720. Aetatis sue 75.





xx  
Rudolfus Dauvay  
Musico  
Gothic



LX  
*Caspar Pizzolanti*  
*Leocatensis*

*Electus Genlis Romæ in Comitijs habitis 23 Maij  
Prefuit annis 6 & Beneti: XIII Creatus Episcopus Cerviensis  
Deceserit 31. Dec. 1765. Etatis an. 91.*

*Arnold. V. Wijerhout fecit*

*Sebast: Conca Pinx:*

## G A S P A R P I Z Z O L A N T I.

**G**asper Pizzolantius natione Siculus, Patria vero Leocantensis, natalem diem sortitus est die 14. Februarii anno a Virgineo Partu 1674. Ex Ephebis egressus, Carmelitico Ordini nomen dedit; expletoque studiorum curriculo Magistri, ac Doctoris in Sacra Theologia Laurea decoratus est. Sed de hujus speciosi tituli honoribus nihil sollicitus; illius tantum oneri, atque officio sedulo semper incubuit, quod nimurum alios docendi est: & quidem id munera tanta cum laude gessit, ut scientiis in variis Cœnobitis prælectis, Regens tandem in primo Ordinis Transpontinæ Collegio institutus sit; ubi plures per annos ea doctrinæ exhibuit argumenta, eamque apud suos, atque exterros existimationem sibi comparavit, ut Generali Capitulo Romæ coeterno anno 1722., cuique ipse Titularis Saxonie Provincialis charactere interfuit, totius Ordinis Generalis Prior fuerit renuntiatus. Supremo huic honori, ac muneri additis ab Innocentio XIII. Apostolico ejus Brevi Commissarii, ac Visitatoris Apostolici Facultatibus, quamplures Conventus, ac Provincias in Italia visitavit. Benedicto XIII. S. P. in primis arrisit, quippe qui sub ejus prudentissimo regimine beneficiis, ac gratiis Ordinem locupletavit Carmelitarum; quas inter eminet præsertim Pontifícia concessio, statuam Sancti nostri Patriarchæ, ac Prophetæ Eliæ in Vaticana Basilica collocandi, ea cum Inscriptione: *Universus Ordo Carmelitarum Fundatori suo S. Eliæ Prophetæ*. Singularis etiam est nova adprobatio Officii una cum propriis lectionibus sollemnis Commemorationis B. V. Mariæ de Monte Carmelo, ejusdemque recitatione, die 16. Julii, universo totius Catholici Orbis

bis Clero præscripta: adeo ut pastorali quadam epistola merito Generalis noster Fratres suos ita alloqui potuerit: Quæ duo Domesticorum, atque Exterorum consensu semper habita sunt ornamenta Ordinis nostri clarissima, origo videlicet, ac Titulus, altera ab Elia Prophetarum maximo, alter a Virgine Dei Matre petitus, nunc demum, Fratres carissimi, felicissimo hoc tempore, quo bona omnia, una cum Pastore optimo, summum fastigium consecuta videntur.

Sed Sanctissimus hic universæ Ecclesiæ Antistes non modo Religionem nostram, sed Pizzolantium ipsum, ejusdem Generalem, beneficiis cumulavit: siquidem regimine suo nondum expleto, die 25. Junii 1727. Cerviensem Episcopum, ac simul Domesticum Prælatum, atque Episcopum Pontificio Solio Assistentem, eumdem destinavit Pontifex; ita tamen ut una cum Episcopatu Religionem ad sexennii usque finem regeret. Quanta autem fuerit Pizzolantii Episcopi pro novo Grege sibi commisso, suaque Ecclesia Pastoralis sollicitudo, satis testantur Episcopalis illa Mensa ingenti ejus labore annuis redditibus aucta; sacra Templa vel restaurata, vel ornamentis ditata; ac potissimum Dicecisis Pauperes, pro quibus alendis cunctos Episcopatus redditus distribuebat, reservatis sibi dumtaxat pro suo vieti, ac vestitu necessariis, qui sane religiosus, ac frugalissimus semper fuit usque ad mortem.

Ecclesiam hanc pari semper studio, ac pietate rexit triginta, & octo annorum spatio; quibus exactis, annis tandem, meritisque onustus in sua Cerviensi Ecclesia naturæ concessit, Pridie Kal. Januarii, anno a Reparata Salute MDCCLXV. Clemente XIII. S. P. ætatis vero suæ nonagesimo primo.

Res

*Res memoria dignæ sub Pizzolantii regimine.*

1722. **E**odem Cardinale Sacripante Ordinis Proteetore præsidente, Romæ die 23. Maii Generalia Comitia habentur, in quibus Ordinis Generalis Prior Gaspar Pizzolantius proclamatus est; Generalis vero Procurator Emmanuel Fereyra Brasiliensis: *vir integritate vite, & singulari doctrina præclarus*, uti a Carolo Vaghio nuncupatur, ac biennio post capessitum munus extinctus. Inter cetera vero eo in Capitulo statuta, hæc fuerunt. Primo Procurator, ac Postulator constituitur pro Cauffa Beatificationis Ven. Angeli Pauli prosequenda. 2. Præcipitur, ut nostri S. Eliæ Patriarchæ Festum cunctis in nostris Ecclesiis majori, qua fieri potest, celebritate ac pompa celebretur. *En Papy. Ordinis.*

1723. Aperto hoc anno necessariis cum facultatibus, & triennio circiter post mortem, Ven. Angeli Pauli sepulcro, ejusdem corpus suavissimum emisit odorem, isque etiam manibus eorum triduo adhaesit, qui sacra Angeli ossa tetigerunt. Deinde in duabus capsis hæc reposita iterum in sepulcro collocantur, hac Inscriptione adposita.

*Hic quiescit. Corpus R. P. Angeli de Paoli. Carmelitæ ab Argiliano. Sarzan. Diæc. Pauperum Patris. Obiit an. Salutis MDCCXX. die XX. Januarii. Ætatis suæ an. LXXVIII.*

Die 10. Septembris ejusdem anni Pontifex Innocentius XIII. Chirographo suo Generali Ordinis potestatem facit perpetuas Missas reducendi, ad rationem eleemosynæ scutorum Romanorum sexaginta pro qualibet singulis annis in cunctis Europæ Conventibus, facultate isthac ad triennium valitura. *Bull. Carm. tom. 4.*

1724. Etsi D. Andreæ Corsini canonizatio jam ab anno 1629. ab Urbano VIII. facta fuerit, attamen tunc Litteræ Decretales, sive Bullæ ab ipso emanatae minime fuerunt; ideoque hoc anno sub die 4. Junii a Benedicto XIII. tunc Pontifice electo, editæ sunt. *Bull. Carm. ibid.*

Eodem hoc ævo incipit in Provincia S. Alberti Siciliæ Reformatio, quæ deinde in Provinciam erecta S. Maria de Scala Paradisi appellata est. *Bull. ibid.*

1725. Bulla edita die 7. Augusti hujus anni idem Pontifex Benedictus cunctis vetat Regularibus, ad Ecclesiasticas Dignitates evectis, bona secum extra Claustra deferre, quæ quolibet modo, dum in Religione erant, habebant, *exceptis dumtaxat scriptis, propriis indumentis, & Breviario*; sub gravissimis poenis, tum Prælatis ipsis, tum Re-

gularibus Superioribus , qui id permittant , infligendis . *Ibid.*

Alia Bulla , in Romana etiam Synodo publicata , idem Pontifex statuit , ac declarat , in Italia , atque Insulis conterminis Regulares , eti priviliati , ad quartam Funerariam Parochis persolvendam teneri Defunctorum , qui in suis sepeliuntur Ecclesiis . *Ibid.*

Insuper alio Brevi novam erigit Neapolitanam Provinciam a veteri ( nunc Terræ Laboris , ac Basilicatæ nuncupata ) distinctam , decem Carmeli Majoris Neapolis Grancias , aliquosque Conventus complectentem . *Ibid.*

Eodem anno 1725. idem Benedictus XIII. Chirographo sua manu signato sub die 26. Junii Carmelitico nostro Ordini gratiam concedit S. Eliæ Prophetæ in Vaticana Ecclesia Statuam collocandi , sequenti cum Inscriptione : *Universus Ordo Carmelitarum Fundatori suo S. Eliæ Prophetæ erexit* , non obstante Constitutione Innocentii XII. Redemptoris incipiente , die 21. Novembris 1698. emanata , quæ perpetuum impo- fuit silentium , super quæstione de primæva Institutione , ac successione Ordinis Carmelitani a Prophetis Elia , & Eliseo .

Quod sane Villiers noster Bibl. Carm. tom. I. pag. 316. animadver- tens , ait : „ Innocentii XII. Bulla revocata videtur a Benedicto XIII. „ anno 1725. Statuam Eliæ Prophetæ in Basilica S. Petri Romæ inter „ alias Ordinum Religiosorum Fundatores , ac Patriarchas erigi permit- „ tente , cum inscripto propria ipsius Pontificis Maximi manu isto ti- „ tulo . *Sancto Eliæ Prophetæ Fundatori suo erexit* . Et pag. 845. addit : „ Silentium suspendere , suamque a Prophetis Elia , & Eliseo successio- „ nem sustinere , Carmelitis permittere visus est Benedictus XIII. &c. „ . Hinc Eliseus Monsignanus Generalis Ordinis Procurator Epistola quadam , tunc temporis ad Ordinis Præsules missa , ait : *tempus advenit , quo Carmelitis etiam tacontibus , lapides , & marmora dicent : Eliam Prophetam esse Carmelitarum Patrem , & Fundatorem* .

Eadem marmorea Statua totius Carmelitici Ordinis Calceati , ac Discalceati ære collato statim extructa est , statutoque loco erecta ; eti artificis culpa peritis haud satis arriserit : pro qua nihilominus plus scutorum 4000. erogata fuere .

In ejusdem nostri S. P. Eliæ honorem idem Summus Pontifex confici etiam concessit sacras ceras , *Agnos Dei* nuncupatas , cum ipsius S. Prophetæ imagine in una ex earum parte impressa , illasque solitis sacris ceremoniis benedictas , distribui jussit . Quarum forma in sacro Apostolico Palatio , ut moris est , adservatur .

In-

Insuper in ejusdem Sancti Festo, quod ab universo Carmeli Ordine die 20. Julii celebratur, plenariam indulgentiam impertivit cunctis fidelibus, qui Confessi, ac *sacra Communione refecti* eo die Carmelitarum Ecclesias visitaverint, ut ex Decreto diei 27. Aprilis 1728. typis R. C. A. edito.

1726. Ven. Dei Serva Rosa Maria Serio, a S. Antonio nuncupata, Hortunii in Apulia orta die 16. Augusti 1674., die 1. Octobris 1690. Carmeli alumna in Fasani Cœnobio facta, ecstasibus, raptibus, prædictionibus, prodigiis, ac supernaturalibus donis clarissima, die 9. Maii hujus anni in Cœlestis Sponsi manibus spiritum exhalavit, annum ætatis agens quinquagesimum secundum. Mirabilem illius Vitam, e Procesibus ab Ordinario loci confessis erutam, scripsit P. Joseph Gentilis Jesuita, typisque edidit Romæ anno 1741. In cuius libri initio memoratu dignum est, quod in Præfatione ad Lectorem scribit Auctor. „ La „ Religione Carmelitana (inquit ipse) Madre sempre seconda di am- „ mirabili Eroi di Santità, in questi ultimi tempi però, e nell' età „ nostra, in cui appare sì raro, e non poco intrepidito il fervore di „ una sublime Santità, si è ella resa molto più segnalata: imperocchè „ nella sola nostra Italia, e nel breve spazio di 38. anni del corren- „ te secolo vanta il gran pregio di numerare ben più di cento tra Re- „ ligiosi, e Religiose insigni e per santità, e per miracoli; di alcuni „ de' quali leggonsi imprese le vite, di altri formansi attualmente i „ Processi, e di altri pendono nella Sacra Congregazione de' Riti le „ Caüse della loro Beatificazione; tra quali non meno, che il Princi- „ pe de' Pianeti fra le Stelle, a moltipliati raggi risplende la Ven. „ Madre Rosa Maria Serio. Ex ejus Vita.

Ex hujus Auctoris verbis facile colliget Lector, non omnes Dei Servos nostri Ordinis, ac pietate illustres in nostra hac Historia recensuisse; neque enim singulos referre nobis in animo fuit umquam, sed insigniores dumtaxat; & ubi dicendorum methodus, atque brevitas, quas nobis a principio indiximus, id facere fivit. Ceterum si quis Catalogum eorum desiderat, legat Danielem nostrum *Specul. Carm. rom. 2. par. 4. in fine*, & Cosmam Villiers *Babl. Carm.* variis in locis, aliosque.

Ejusdem Rosæ Beatificationis Caussa jam ab anno 1741. in Sacra Rituum Congregatione introducta fuit; sed cum Dei Servi post mortem quoque communis Hostis persecutionibus subjaceant; hinc factum est, ut, cursu Caussæ retardato, etiam vetita, aut suspensa ejusdem Vita fuerit anno 1746: donec corrigatur. Quamobrem tempus expectatur,

tur , quo Dóminus Servæ suæ Sanctitatem patefacere velit in terris ; qui uno horæ momento omnia potest e medio tollere impedimenta .

Officium sollemnis Commemorationis B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo cum secundi Nocturni Lectionibus ( in quibus præcipua Carmeliticæ Historiæ monumenta continentur ) , jam ex variis Pontificum Concessionibus cunctis fere Europæis Regnis concessum , hac tempestate Pontifex Benedictus XIII. , postquam ipsum noviter adprobavit , ad totam extendit Ecclesiam : *atque ab omnibus Christifidelibus utriusque sexus , qui ad horas Canonicas tenentur , sub Ritu duplice majori pro die 16. Iulii quotannis recitari mandavit ; ut in Decreto diei 24. Septembris scriptum reperitur . Bull. Carm. tom. 4.*

1727. B. Joannes a Cruce , Antiquæ Observantiæ Carmelitarum Professus , & primus deinde Discalceatorum Pater , hoc anno in Sanctorum numerum est relatus , post trium Miraculorum ad ipsius preces , & merita a Deo patratorum examen , & approbationem . Illius Canonizatio magna cum pompa , ac celebritate in Vaticana Basilica a Benedicto XIII. celebrata est , ac Bulla , quæ incipit : *Pia Mater Ecclesia , sub die 27. Decembris ejusdem anni publicata . Bull. Carm. tom. 4.*

Ad hujus Sancti gloriam ostendendam , quamplurima ejus post mortem , operatus est Deus . Inter alia notatu digna , quæ a Scriptoribus de ipso traduntur , variæ sunt Imagines , quæ in ejus carnis particulis , ac Reliquiis solent apparere ; quas inter illa in primis recenseri meretur , quam refert Thomas Aquinas a S. Josepho , postque eum Daniel a V. M. hisce , quæ sequuntur , verbis : *Inter varias Imagines , quæ in illa carne apparuerunt , visa est semel , & iterum Imago Beatisimi Prophetæ Eliæ , longæva canitie venerandi , oculos ignitos , & zelum spirantes habentis , Carmelitarum babitu indui . Specul. Carm. tom. 2. pag. 787.*

Ejusdem Pontificis Brevi Carmelitici Ordinis Tertiarii ab Episcoporum jurisdictione eximuntur , & Generali subjiciuntur . *Bull. Carm.*

Eodem ævo Generalis Gaspar Pizzolantius Cerviæ Episcopus , in Ravennati Exarchatu , creatus est , potestate etiam sibi facta Generatus munus usque ad novi Generalis electionem exercendi . *Ibid.*





## LXI.

## ANTONIUS JOSEPH AMABILIS FEYDEAU.

Pizzolantio Generali Joseph Amabilis Feydeau successit, natione Gallus, ac Narbonensis Provinciæ Alumnus. Patriam habuit Molinam, ubi ex nobili genere ortus est anno a Christi nativitate 1658. Carmeli Lanas in Divionensi induit Conventu. Studiorum expleto curriculo, Sodales suos Philosophiam docuit, indeque etiam Theologiam in sua Narbonensi Provincia. In variis, atque insignioribus ejusdem Provinciæ Cœnobiis Prioris gessit munus, ac denique in magno Parisiorum Maubertino Conventu, cuius Conventualia filiationis jura antea fuerat consecutus. In Concionibus celebris extitit, quas in inclytis Galliarum Ecclesiis magno cum Auditorum habuit plausu. *Genealogiam, & Historiam vetustissimæ, ac nobilissimæ Prosapiæ de Conti* composuit, quam Pontifici Innocentio XIII. ejusdem gentis inscripsit; qui in grati animi testimonium aureum ei numisma Parisios misit. Sub idem tempus pro celebri Bulla *Unigenitus* scripsit, contra illius ævi suæque Nationis morem. Quo sane doctissimo Opere Summo Pontifici Benedicto XIII. oblato, tantam sibi Amabilis apud Pontificem existimationem conciliavit, ut Ordinis Generalis cum vacasset Procuratio, ob Emmanuelis Ferreyra obitum anno 1724., Romam vocatus fuerit, eique subrogatus muneri. Completo deinde Pizzolantii Generalatu, idem Pontifex totius Ordinis Generalem Priorem ipsum creavit Apostolico ejus Brevi, quod in Generali Capitulo, sive Congregatione, Ferrariæ celebrata anno 1728. lectum fuit, ac publicatum; ibique a congregatis Patribus pro supremo Ordinis Præfule lato animo habitus est, atque obsequenter exceptus.

Qua-

Qualis autem fuerit in hoc Generali virtutum præstans, quale regimen, satis docte expressit Villiers Bibl. Carm. tom. I. *Præful fuit (ait ipse) egregiis ornatus dotibus, Regulari observantia insignitus, multiplici ditatus scientia, præcellenti donatus ingenio, sacra dicendi facundia præditus, & colloquio jucundo hilaris, omnibusque suis amabilis Fratribus, quem purpurare sèpius cogitavit Benedictus XIII.*

Sed quamvis ille ad Cardinalitiam hanc Dignitatem, qua eum satis dignum putavit sapientissimus hic Pontifex, non pervenerit; fuit nihilominus a Christianissimo Rege Ludovico XV. Diniensi Episcopatui in Gallia Narbonensi destinatus: fuitque sub novo Pontifice Clemente XII. consecratus in alma Urbe Roma die 24. Septembris 1730., cum vix biennium, & menses quatuor Generalatus sui complevisset. Diniensem Ecclesiam undecim rexit annis maximo semper Pastorali zelo, ac vigilantia; quibus exactis, plenus meritis, ac laboribus fractus, migravit ad Superos Prid. Kal. Decembris anno Domini MDCCXLI., ætatis vero suæ LXXXIII. Benedicto XIV. S. P.

*Res memoria dignæ sub Amabilis regimine.*

1728. **F**Errariæ in S. Pauli Conventu Mantuanæ Congregationis, Ordinis Capitulum, sive potius Generalis Congregatio habetur, præsidente Gaspare Pizzolantio jam Cerviensi Episcopo creato, sed adhuc Ordinem moderante; ibique lecto, ac publicato Apostolico Brevi Benedicti XIII., quo Antonius Joseph Amabilis Feydeau Generalis fuerat creatus, a cunctis omni, quo par erat, obsequio excipitur, atque agnoscitur; Generalis vero Procurator Laurentius Fornarius, Patricius Mediolanensis, ac publicus Papiensis Lycei Lector, declaratur. Sed dignissimus hic Generalis Prior a provinciis Austriaco Dominio subjectis minime recognitus est: nimurum in utriusque Siciliæ Regno, Longobardia, ac Germania, Imperiali illa, ac summa Potestate prohibente. Quam ob rem nec Laurentius Fornarius, cum Mediolanensis esset, & Austria-

Austriaco Dominio subjectus , Romam adire potuit , ibique apud Generalem Priorem munus exercere suum ; hinc usquequo Feydeau Ordinem rexit , Fornarii vices Jacobus Albertus Gavina gesuit.

Inter cetera autem in ea Congregatione statuta , primum est , ut P. Benedicto XIII. humillimæ persolvantur gratiæ pro beneficiis Ordini collatis ; necnon præcipitur , ut cunctis in Conventibus in gratiæ animi testimonium quotannis Missa celebretur pro diuturna ejus salute , dum viveret ; & pro ipsius anima , cum naturæ debitum persolvisset . Statuitur præterea , ut Romæ Postulator destinetur pro Caussis Servorum Dei nostri Ordinis promovendis , ac præsertim B. Franci Canonizatione , quem posterioribus annis Omnipotens Deus multis miraculis apud Italos , & Hispanos illustrare dignatus est . Ex Papy. Ord.

Insuper in Generali illa Congregatione lectum , publicatumque est aliud Benedictinum Breve , datum die 5. Aprilis hujus anni , quo , Generalitii Regiminis quacumque alia abrogata ratione , Generale Consilium instituitur , quinque Nationum Patres complectens : nempe Italiæ , Galliæ , Germaniæ , Hispaniæ , & Lusitaniæ , qui deinceps non Assistentes , sed Socii , ac Secretarii Generales appellantur . Munera autem eorum , ac jura in eodem Brevi recensentur . Bull. Carm. tom. 4.

Inter ipsos Consiliarios , sive Socios , ac Secretarios generales Pontificio Rescripto diei 7. Octobris ejusdem anni idem Benedictus XIII. Servari jussit præcedentiam juxta antiquitatem Provinciarum , a quibus ipsi denominantur , quarum series præscribitur in Constitutionibus Ordinis part. I. cap. 2. ut primus scilicet sit Socius Italiæ , secundus Galliæ , tertius Alemaniæ , quartus Hispaniæ , & quintus Lusitaniæ . Bull. Car. to. 4.

Eodem hoc anno x. Kal. Maii ex hac vita discessit insignis Dei Servus Salvator Maria a SS. Trinitate , in sæculo Abbas Andreas Starella nuncupatus , ex Marchionibus Hypspiceundi in Sicilia natus anno 1679. & anno 1726. Carmelitico Ordini adscriptus in Provincia S. Alberti , cuius Syracusanæ strictæ Observantiæ , quæ nunc Reformatio S. Mariæ de Scala dicitur , promotor fuit , ac protector . Qui dum ad Generale Capitulum Ferrarensi hoc anno pro suæ Observantiæ negotiis se conferret , morbo in itinere correptus , ac laboribus fractus , Ari-manni in Conventu nostro S. Joannis diem clausit extremum . Tantam suæ sanctitatis opinionem reliquit , ut Corpus ejus in distinto sarcophago tumulatum fuerit , ac deinde in Siciliam translatum , & ejus Effigies insigni hoc Epitaphio insculpta ; in Bibl. Carm. tom. 2. relata :

D. O.

D. O. M.

Vera Effigies Venerabilis Servi Dei  
 Salvatoris Mariæ Statella a SS. Trinitate  
 Ex Principibus Marchionibus Hyspicefundī :  
 Qui præstans ingenio , & morum probitate ,  
 In Pauperes misericors ,  
 Pœnitentia , Contemplatione , & vita Mystica insignis ;  
 Vehementissimo animarum zelo flammescens  
 Sancti Spiritus impulsu ,  
 In Provinciam Sancti Alberti Carmelitarum  
 In Sicilia strictiorem introduxit Observantiam .  
 Ac tandem meritis plenus in Carmelo Ariminensi  
 XXII. Aprilis MDCCXXVIII.  
 Prope quinquagenarius occubuit  
 Fama sanctitatis celeberrimus .

Sub die 26. Junii ejusdem anni 1728. adacto jam Fratrum , ac  
 Conventuum Reformatorum numero in veteri Poloniæ Provincia , illa  
 per Breve Pontificium in duas dividitur , Reformatam unam sub nomi-  
 ne Provinciæ Majoris Poloniæ , & SS. Sacramenti , & non Reformatam  
 alteram , quæ Provincia Poloniæ Minoris nuncupatur . *Bull. Carm. ibid.*

Ad pias Serenissimæ Violantis Beaticis , Hetruriæ Principissæ , pre-  
 ces , Officium S. Mariæ Magdalena de Pazzis , alias sub Ritu semiduplici  
 in tota Ecclesia die 25. Maii recitari concessum , in posterum ab omni-  
 bus utriusque sexus Christifidelibus in Italia existentibus , qui ad Horas  
 Canonicas tenentur , sub Ritu duplo recitari indulxit , ac mandavit Pon-  
 tifex Benedictus Apostolico Rescripto ejusdem anni . *Bull. Car. tom. 4.*

1729. Idem Pontifex Rescripto diei 26. Martii Ordini nostro po-  
 testatem facit , in cunctis nostris Ecclesiis quater in anno generalem  
 absolutionem , ac Papalem Benedictionem Christifidelibus elargiendi .  
 Quod deinde Rescriptum Brevi Benedicti XIV. confirmatum est , ut suo  
 loco dicemus . *Bull. Carm. ibid.*

1730. Novus Ecclesiæ Pontifex Clemens XII. , die 12. Julii hujus  
 anni electus , ex inclita Corsinorum Familia , vix ad Petri Sedem eve-  
 stus , ejus erga agnatum suum S. Andream Corsinum amorem , ac  
 pietatem ostendit : in primo enim sui Pontificatus anno ipsius Offi-  
 cium cum Missa e Ritu semiduplici ad Ritum duplum in universa  
 elevavit Ecclesia , atque in Breviario Romano apponi jussit . *Bull. Car.*  
*codem tom. 4.*

EXIL.





## LXII.

## JACOBUS ALBERTUS CAVINA.

**G**enerali Feydeau ad Episcopatum electo, Jacobus Albertus Cavina in Ordinis regimine suffectus est: vir sane elati ingenii, singularis eloquentiae, multiplicis eruditionis, ac magnae probitatis laude per celebris. Natione Italus fuit, Provincia Romandiulus, & in Longobardorum Massæ Oppido natus die 28. Maii, anno Ærae vulgar. 1673. Tertium ætatis lustrum vix excederat, cum, Mundo derelicto, Carmelitico Ordini nomen dedit, die nempe 15. Julii 1689., atque inter Imolensis, sive Fori Cornelii Coenobii Alumnos adscitus est. Philosophiae, ac Theologiae curriculo exacto, tantum in iis profecisse Superioribus visus est, ut illas docendi facultates cura ipsi fuerit demandata; atque deinde Magistri, ac Doctoris laurea fuerit insignitus. In præcipuis itaque Ordinis Collegiis Sacrae Theologiae Regens fuit destinatus: nimirum Patavii, Senis, & Bononiae, ubi id munera multos per annos magna cum laude explevit. Apostolico quoque Ministerio in insignioribus Italiae Civitatibus, non sine magna sui nominis fama, & Christiani Populi profectu functus est. Duorum Imolensium Antistitum, nempe Cardinalis Gozzadini, & Acoramboni, quibus valde erat acceptus, Synodali Examinator extitit.

Anno 1728. Generalibus Comitiis Ferrariae celebratis, a novo Generali electo Josepho Amabili Feydeau Romam Jacobus vocatus est, inque Laurentii Fornarii Generalis Procuratoris locum subrogatus; nam cum Fornarius Mediolanensis esset, ex Imperiali mandato interdictum ei erat cum eodem Generali commercium. Hanc sibi demandatam Provinciam tanto cum plausu gessit. Cavina noster, ut Generali il-

Q q

lo

Io Priore ad Infulas promoto , Clemens XII. novus Ecclesiae Pastor ipsum totius Ordinis Generalem Vicarium mense Septembris 1730. elegerit, ad futuram usque novi Generalis electionem.

Breve nimis fuit Jacobi regimen , cum Ordinem tresdecim dumtaxat mensibus fuerit moderatus ; sed magna ipsius sollicitudo , prudentia , ac zelus , quæ omnia hoc temporis intervallo pro illius gloria , atque incremento præ se tulit . Anno itaque 1731. Generale Capitulum Romæ indixit , ubi ineunte Novembribus mense , novo Ordinis Moderatore electo , ipse paullo post Roma discedens , ad Fori Cornelii Urbem se conculit , sibi ipfi , ac dilecto Conventui suo vacaturus ; quem sane laboribus suis , ac diligentia nendum restauravit , sed & novis ædificiis , ac redditibus auxit , atque Ecclesiam ( pro cuius majori cultu dotem scutorum mille constituit ) a fundamentis erexit , ut sequens Inscriptio supra illius majorem januam apposita satis ostendit .

D. O. M.

Quo Auctore

Templum

In Honorem Annuntiationis B. V. Marie

Difficillimis Temporibus mira celeritate excitatum

Insigni Civium Pietate singulari

Ulyssis Josephi S. R. E. Presb. Cardinalis Gozadini Episcopi

Qui primum jecit Lapidem

Cura confectum

P. M. Jacob. Alb. Cavina Fabricæ Præfектus Carm. Min.

Devoti , ac grati animi monumentum

P.

Meritis tandem æque ac annis omustus , in eodem Conventu magna cum animi hilaritate , ac pietatis exemplo naturæ concessit , ætatis annum agens LXXVI. , XIII. Kal. Aprilis A. Reparatæ Salutis MDCCXLIX.

LXIII.





LXIII.

*Ludovicus Benzoni  
Mediolanensis*

*Electus Generalis in Comitijs Romæ habitis die 17 gbris 1734 Profuit  
annis 6. Et à Clemente XII Creatus Episcopus Eleusice 1738 Deces  
Petrus Nelli del et pinxit 28. Feb. 1758. Aet. an. 82. Nic d'Orsay Sculps.*

## LXIII.

## LUDOVICUS BENZONI.

**L**udovicus Benzonius Patricius Mediolanensis, e Marchionibus Benzonii Balsami, aliorumque Oppidorum Dominis, ortus est Mediolani anno Aëræ Vulgaris 1675. Ætatis suæ tertio lustro completo, Domus divitias cum humilibus Carmeli lanis commutavit; studiorumque exacto curriculo, Magistri, ac Doctoris in Sacra Theologia laurea decoratus est. Summa prudentia, ac singulari in agendo follertia cum esset præditus, complurima in suo Ordine gessit munera: Provinciarum Terræ Sanctæ, atque Hibernæ Provincialis Titularis fuit; Capitulorum Provinciarum Longobardiae, Tusciae, Neapolis, ac Sanctæ Mariæ de Vita Præses; & Generalibus Comitiis anno 1710. celebratis, a Reverendissimo Sanchez Socius suus, ac Secretarius Ordinis electus est. Post hæc munera, quæ magna cum laude, plausuque gessit, in Generali Capitulo anno 1731. Romæ habito supremus totius Ordinis Moderator unanimi omnium consensu fuit creatus...

Hac in dignitate constitutus vigilantissimi Pastoris partes numeris omnibus absolvit; Italæ Provincias magna ex parte visitavit, Capitula celebravit, salutaria edidit decreta, & statuta Monasticæ Observantiae, ac studiorum profectui longe perutilia publicavit. Erat ipse in agendo integerimus, in malos severus, & cum bonis humanissimus, ac præfertim in difficillimis, atque arduis peragendis negotiis admirabilis: hinc ipsi satis convenire videbantur, quæ de magno Themistocle Cornelius Nepos scripta reliquit: *Non minus in rebus gerendis promtus, quam excogitandis erat: quod de instantibus verissime judicabat, & de futuris callidissime conjiciebat.* Quapropter amorem sibi, atque existimationem non modo apud

subditos, sed Prælatos etiam, ac Principes conciliavit.

Ordinem Benzonus pari semper cum laude sexennium & menses septem rexit; quibus elapsis, ceteris omnibus Ecclesiasticis dignitatibus cum Animarum cura conjunctis, repudiatis, Eleusinæ Ecclesiæ Episcopatu, in Infidelium Partibus posito, fuit contentus. Ea insignitus Prælatura, in Mediolanensem Patriam secessit; ubi a Concivibus suis communi plausu exceptus est, & maximo semper in honore habitus. Illic tandem annis, ac meritis plenus, tributum naturæ persolvit Pridie Kal. Martii anno D. MDCCLVIII. ætatis vero suæ LXXXII., & Benedicti XIV. Pontificatus ultimo. In nostra Ecclesia magna cum pompa conditus est, ipsius tumulo sequenti Inscriptione a fratribus filiis adnexa:

D. O. M.

Ludovico Benzono Mediolanensi

Carmelitarum Ordinis Moderatori

Episcopo Eleusino

Sacroque Solio Adstanti

Magnis, gravissimisque muneribus

Singulari prudentia, & integritate perfuncto

Nobb. Marchio, & Fratres Benzoni

Patruo optim. B. M.

Vixit an. LXXXII. mens. V.

Obiit A. D. MDCCLVIII. Prid. Kal. Mart.

Res

*Res memoria dignæ sub Benzoni regimine.*

1731. Neunte mense Novembris hujus anni , tempore à Pontifice Clemente condicō , Romæ Generalia Comitia habentur , ubi præsidente Nicolao de Judice , novo Ordinis Protectore , Generalis Prior Ludovicus Benzonus renuntiatur , & Eliseus Monsignanus Generalis Procurator tertio nominatus est .

Eo in Capitulo actum est de novarum Constitutionum Ordinis editione , jam pridem exoptata , & zelo Cardinalis Protectoris res committitur , novique Generalis curæ , ut deinde iis peractis , S. Sedis confirmatio obtineatur : pro quo sane magni momenti negotio peculiaris Congregatio quinque Cardinalium a Pontifice destinata fuit : sed ne novæ quidem Constitutiones editæ deinde fuere , nec Apostolica confirmatio obtenta . *Ex Papy. Ord.*

1732. Vetus Bohemiæ Provincia , ab Hæresibus , ac bellis desolata , cujusque unus extabat titulus , priscis jam recuperatis Cœnobiis , ac restauratis , hoc anno Brevi Clementis XII. in realem Provinciam noviter erigitur , hodie *Bohemiam* , & *Austriæ Provinciam* appellatam . *Bull. Carm. tom. 4.*

1733. Die 12. Aprilis hujus anni in Palliani , Prænestinæ Dioecesis Oppido , migrat ad Dominum Dei Serva Angela Victoria Turelli , Tertiæ nostri Ordinis Monialis , ætatis suæ anno vicesimo tertio ; sed Christianarum virtutum exercitio , brevi explevit tempora multa , a Deo ecstasibus , visionibus , atque Prophetiis donata . Dum hæc in Sæculo adhuc erat , majoremque perfectionem exoptans , Divinum obsecrat Spomnum , ut eidem statum ab ipsa eligendum revelet , in quo ipsi melius posset deservire , ac placere : „ In una mattina ( verba sunt ejus Vitæ „ Scriptoris ) facendo Orazione vide all' improvviso comparire nella sua „ stanza la Beata Vergine , accompagnata da' Santi Alberto , Simone , „ ed Angelo Carmelitani , ed osservò , che la B. Vergine porgendole „ un' Abito bianco , che portava nelle sue sagrissime mani , le disse : „ *Piglia Figliuola , vestiti del mio abito Carmelitano* „ . Per hanc Visionem cum cognovisset Dei Serva Cæli voluntatem , in nostra Prænestina Ecclesia magno cum spiritus fervore Tertiæ Carmelitani Ordinis habitum induit , Vigilia Nativitatis Domini anno 1732. Ita in ejus Vita Romæ in lucem edita a P. Francisco de Simone ex PP. Piis Operariis anno 1735.

1734. Die 10. Novemb. magna cum Sanctitatis fama Roncilionis

e vita decepsit Maria Angela Virgili nostri Tertii Ordinis Monialis Professa ; Cujus Corpus triduo infsepultum jacens , incorruptum , flexible , ac suavem spirans odorem semper permanxit ; conditum deinde in nostra Ecclesia hoc cum Epitaphio :

D. O. M.

*Mariae Angelæ Virgili Roncilionen.  
Tertium Carmelitarum Ordinem Professa*

*Hic conditæ*

*Pauperes , Orphani , Vidua*

*.Matri Pientissima PP.*

*Vixit annos LXXIV.*

*Obiit IV. Id. Novemb. MDCCXXXIV.*

Eius Vitam scriptit idem P. Franciscus de Simone , Romæ anno 1737. editam.

Hoc anno deciditur in Sacra E. & R. Congregatione contentio orta Dominicanos inter , & alios Mendicantes Ordines super præcedentia , quam primi sibi contendebant præ omnibus aliis , virtute Bullæ *Pretiosus* Benedicti XIII. ; atque Decreto diei 4. mensis Septembris eadem Congregatio decrevit , ac declaravit : *deberi præcedentiam in Professionibus junta Constitutiones Gregorii XIII. & Urbani VIII. & junta Consuetudinem in singulis locis servatam ante promulgationem Bullæ Pretiosus* . Quod Decretum a Clemente XII. Apostolico Brevi confirmatum est . *Bull. Carm. tom. 4.*

1735. In peculiari quinque Cardinalium Congregatione , nempe Petra , Gotti , Guadagni , Spinelli , & de Judice a Pontifice deputata pro nostrarum Constitutionum reformatione , hæc sequentia puncta resolvuntur . 1. Contra actualium Romæ Provincialium prætensiones deciditur , „ Conventus S. Martini , Transpontinæ , & Prænestinum esse „ in Provincia Romana , non tamen de Provincia , ac proinde nullam „ in eisdem Conventibus posse Provinciale exercere jurisdictionem ; „ sed de hoc vide ad ann. 1759. 2. In Capitulis Provinciæ Romæ ju- „ re suffragii frui posse dumtaxat Priorem Generalem cum Socio , Pro- „ curatorem Generalem , Piores supradictorum Conventuum , Lectorem „ Sapientiæ , & Regentem Transpontinæ . 3. Sociis Generalibus jus suf- „ fragii competere tam in Capitulis , quam Definitorio Generali . 4. So- „ ciis iisdem competere præminentiam in Religione dumtaxat in actua- „ li exercitio muneris . 5. Tandem Ex-Socios Generales , licet Romæ „ degant , jus suffragii non gaudere in electione Vicarii Generalis , mor- „ » tuo ,

„ tuo , amoto , vel promoto Priore Generali „ . Quæ deinde Resolutio-  
nes confirmatæ fuerunt , atque Apostolica auctoritate munitæ a Pontifice  
Clemente XII. Brevi emanato die 9. Decembris ejusdem anni . *Bull.*  
*Carm. tom. 4.*

1736. Dei Serva Maria Perpetua de Lox die 16. Augusti hujus  
anni ad sacrum Sponsum evolavit . Hæc autem die 14. Julii 1684.  
Beja , quæ Urbs Portugalliae est , mundi lucem adspexit , ibique vestem  
induit Carmelitanam in Monasterio *Spei* die 22. Octobris 1707. Vitam  
duxit virtutibus , prodigiis , ecstasibus , & miraculis plenam ; quam Lu-  
sitano Idiomate Ulyssiponæ edidit anno 1742. in fol. P. Josephus Pere-  
grinus a S. Anna Carmelita . *Ita in Bibl. Carm. tom. 2.*

1737. Die 10. Octobris hujus anni Clemens XII. , illius Regni  
Episcoporum , aliorumque Præsulum postulatis , Apostolico Brevi Hi-  
berniæ Vicariam in Provinciam erigit , ut erat antiquitus . Vetustissima  
est hæc Hiberniæ Provincia ; siquidem anno 1303. sub Rege Eduardo IV.  
triginta , & duos Conventus numerabat , & semper insignium Virorum  
Mater fuit fœcunda ; Sed Hæresi deinde in Regnum illud invecta , plu-  
ries eversa est , indeque restaurata . Fuit primum destructa , fugatis ,  
aut occisis Fratribus , sub Reginæ Elisabeth Imperio ; secundo sub Cro-  
muelis Tyrannide ; ac tertio demum sub Gulielmi III. dominatione ;  
cum ejecto Catholico Rege Jacobo II. , Fratres etiam nostri ab illo  
Regno discedere coacti sunt , atque in Galliam confugere . Sed post ul-  
timam hanc illius Provinciæ destructionem , iterum ipsa restauratur :  
nam Hiberni Fratres una cum aliis Turonensis Provinciæ e Gallia de  
novo in Hiberniam reversi , ex antiquis tot paullatim recuperarunt  
Conventus , ut anno 1729. decreto S. Congregationis in Vicariam ere-  
cti fuerint , deindeque hoc anno in Provinciam , ut jam dictum est .  
*Bull. Carm. tom. 4.*

Hæc Provincia complectitur hodie viginti , ac duos parvos Conven-  
tus , sive Domus ; quorum Fratres Missionibus , ac Fidei Jesu Christi in  
Catholicis conservandæ , tum prædicatione , tum Sacramentorum admi-  
nistrazione operam navant . Sed cuncta agunt clanculum ; nam etsi ab  
illo Hetherodoxo Magistratu tolerentur , non eis tamen publice hujus-  
modi exercitium permittitur ; ideoque profanum induunt habitum , sem-  
perque metuunt , ne vel morte , vel saltem exilio affiantur .

Eodem anno idem Clemens Summus Pontifex Rescripto diei 6.  
Decembris novum S. Andreæ Corsini Officium adprobat , a nostro P. M.  
Polycarpo Burgos Hispano , ac Romanæ Sapientiæ Lectore compositum ,

extollitque pro nostra Religione ad ritum duplicis majoris cum Octava; conceditque præterea , ejus Translationis Officium die 26. Octobris recitari . Fuit magnus hic Pontifex gloriosissimo illi Sancto , ex illustri ejus Familia orto , in primis devotissimus . Cum Cardinalis esset, Laurentius Corsinus adpellatus , Sancti Sacellum, quod in nostra Transponentinæ Ecclesia extat, sub suo, suæque Domus patrocinio exceptit, illudque nova Sancti Icone , aliisque picturis ornavit , ibidemque quotannis magna cum celebritate S. Andreæ recolebat festum . Factus vero Pontifex , cum Sacelli hujus moles animi sui magnitudini haud responderet, aliud magnificentum ad illius honorem in magna S. Joannis Lateranensis Basilica a fundamentis erexit, illudque exquisitissimis marmoribus , & rarissimis ditavit picturis , ibique suum Mausoleum construxit ; adeo ut non modo Sancti gloriæ , ac Pontifici sit honori , sed celebri illi Basilicæ maximum addat ornamentum. *Bull. Carm. codem tom. 4.*





Nicolaus Maria Ricchiali  
<sup>LXIV.</sup>  
Cryptaliensis

Electus Generalis unani<sup>m</sup>ini omni<sup>m</sup>um uoto ~  
In Comitūs Romae habitis die 24. May<sup>ij</sup> 1738  
Dignitati sponte cessit Mens<sup>e</sup> Januarij 1742  
Debet. Cryptaleif 19. Junij 1747. Et. an 73.

Nic. d'Orsi Scul:

## LXIV.

## NICOLAUS RICCHIUTI.

**B**enzono Generali Nicolaus Ricchiutus successit. Is autem Cryptaleis natus est (Oppidum est duodecim milliari- bus a Tarento, veteri Apuliæ Civitate, distans) die 23. Octo- bris 1674. nostroque Carmelitico Ordini adsciscitur die 25. Martii 1691. Litteris deinde cum animum advertisset suum, adeo profecit, ut Magistri, ac Doctoris laurea sibi compa- rata, maxima cum laude variis in Collegiis sacras docuerit facultates. Anno 1720. communi Comprovincialium plausu Appulæ Provinciæ Provincialis eligitur; indeque ab Ordinis Generali Transpontinæ Conventus Prior instituitur. Generali Capitulo Romæ celebrato anno 1731., a Benzono Generali Socius, ac Secretarius Generalis Italiz nominatus est. An- no 1737. defuncto Generali Procuratore Monsignano, hujus muneri & ipse subrogatus est. Atque in omnibus hisce ho- noribus ea fuit fama, quam sibi apud omnes comparavit, ut in proximo Generali Capitulo habito anno 1738. totius Ordinis Generalis Prior fuerit renuntiatus.

Supremam dignitatem nactus, demandatum sibi munus totis viribus explere studuit: Erat idcirco Monasticarum le- gum observantiaz studiosissimus, communis boni, ac Religio- nis decoris amantissimus, ut ex Gratiis, & Privilegiis pro illa a S. Sede obtentis satis colligere est; ac præsertim cun- cūtis in rebus suis integerrimus, & nimis religiosus. Sed hæc omnia effecerunt, ut se, antequam munus expleret, Genera- latu abdicaret: nam familiaribus quibusdam morbis, æque ac annis oppressus, ratus, officii sui oneribus se satisfacere non posse, muneri sponte cessit, ineunte anno 1742., postquam Ordinem quatriennium, & menses septem moderatus fuerat.

R r

In-

Inde ab Urbe discedens, in Patrium Cryptalearum Conventum secessit; ubi morbo magis magisque ingravescente, maxima cum patientia vitam cum morte commutavit XIII. Kal. Julii anno MDCCXLVII. ætatis vero suæ LXXIII. sub Benediti XIV. Pontificatu. Fuitque in ejusdem Conventus Ecclesia sepultus, tumulo suo sequenti adposito Epitaphio:

D. O. M.

Reverendissimo P. M. Nicolao Maria Ricchiuti  
E Cryptaleis &c.

Universæ Carmelitarum Familiaæ Priori Generali  
Viro integerrimo, & Sapientissimo  
Laboribus ultra vires, honoribus citra meritum  
Cumulato

Abdicata ex infirmitatè Ordinis Præfectura  
Ad suos huc reverso

Et XIII. Kal. Jul. A. D. MDCCXLVII.  
Heinc e Terris sublate, & Cælo redditio

Cœnobii hujus mæstissimi Alumni  
Patri Beneficentissimo, & Socio desideratissimo  
Heu cum lacrymis nolentes

P.

Vixit annis LXXIII.

*Res memoria dignæ sub Ricchiuti regimine.*

1738. **S**Ueto Pentecostes tempore Generalia Comitia in Transpontinae Cœnobio habentur, præsidente Cardinale de Judice Ordinis Protectore, in iisque Nicolaus Maria Ricchiutus Generalis Prior electus est, ac Generalis Procurator Columbanus a S. Spiridione, jam pro sua Germanica Natione Socius, ac Secretarius Generalis. Inter cetera vero eo in Capitulo statuta hæc sunt. I. Sociis, ac Secretariis Generalibus Nationum post Generalem Procuratorem præcedentia conceditur. II. Eisdem Generalibus Sociis, expleto munere, privilegia, quibus Ex-Provinciales suis in Provinciis gaudent, conceduntur, *dummodo in*

*in usu sint, ac per integrum saltem triennium officium suum in Curia exercuerint.* III. Constituta jam Bohemiz reali Provincia, Titularis Bohemiz Provincialatus suppressus est. *Ex Papy. Ord.*

Eodem anno Brevi diei 9. Octobris Pontifex Clemens XII. Altare Privilegiatum concedit cunctis in nostris Ecclesiis, tam erectis, quam erigendis, ut quandocumque Sacerdos aliquis Missam Defunctorum pro anima cuiusque Christifidelis, quæ Deo in caritate conjuncta ab hac luce migraverit, ad predictum Altare celebrabit . . . , a Purgatoriis Pœnis liberetur. Bull. Carm. ibid.

Atque hic advertere est, quod etsi hæc Pontificia concessio de solis Defunctorum Missis loquatur, iisque solis Altaris Privilegiati Indulgentiam concedi videatur; nihilominus ceteras omnes quascumque Missas complectitur, quando iis diebus Missæ Defunctorum celebrari non possunt, ut declaravit Pontifex Innocentius XI. in Constitutione *Alias postquam* edita die 4. Maii 1688., qua declarat, ac statuit, Missas, quæ in Altari Privilegiato celebrantur diebus Festis Duplicibus, Dominicis, Feriis, aliisque diebus, quibus juxta Rubricas Sacrificia pro Defunctis prohibita sunt, Animabus, pro quibus applicentur, suffragari eodem modo, ac si Missæ Mortuorum essent. Bull. Roman.

Eamdem Altaris Privilegiati Indulgentiam idem concedit Pontifex alio Chirographo sub die 5. Decembris cunctis Missis, quæ juxta Constitutionum Ordinis præscriptum pro Fratrum, ac Sororum Ordinis nostri Animabus post eorum obitum celebrantur, in quocumque nostrarum Ecclesiarum Altari; & perinde suffragentur, ac si ad Altare Privilegium celebrata fuissent. Bull. Carm. tom. IV.

1739. Idem Summus Pontifex Rescripto diei 2. Januarii hujus anni Ordini nostro concedit S. Andreæ Corsini Officii bis in mense (diebus non impeditis) recitationem; etiam Adventus, ac Quadragesimæ tempore, ultima dumtaxat utriusque hebdomada excepta. *Ibid.*

Episcopus Fexulensis, cum in hac sua Urbe Carmelitanarum Monialium Monasterium sibi subditum haberet, Fidelibus Sacra Scapularia benedicendi potestatem, eamque Capellano etiam illius Monasterii communicandi, ad se pertinere contendebat; consuetudini innexus, atque jurisdictioni, quam in eodem Carmelitanarum Coenobio exercebat. Sed cum id Discalceati Carmelitæ in dubium revocassent, postquam ibidem eorum erexerunt Coenobium, Episcopus Sacram Indulgentiarum Congregationem adiit: sed contra ipsum ab eadem deciditur res, hujusmodi decreto die 22. Maii hujus anni emanato. „ Sacra Congregatio Indulgen-

„ tiis , Sacrisque Reliquiis præposita , declaravit non spectare , nec spe-  
 „ ëtasse ad Episcopum Fexulensem facultatem benedicendi Scapularia ,  
 „ seu parvos habitus B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli , non ob-  
 „ stante consuetudine ; & aggregati recurrent ad Superiores Ordinis pro  
 „ nova aggregatione „ . Quod quidem decretum eodem anno confirma-  
 tum est , atque Apostolica auctoritate munitum a Pontifice Clemente  
 Brevi , quod incipit : *Emanavit* . *Ibid.*

Eadem tempestate signatur a Pontifice Gratia pro causa Beatifi-  
 cationis , ac Canonizationis Ven. Angeli Pauli introducenda ; atque a  
 S. Rituum Congregatione decretum publicatur . *Ibid.*

1740. Petente Ordinis Generale , idem S. P. Clemens Rescripto  
 suo facultatem Ordini concedit S. Patriarchæ Eliz Officium recitandi  
*semel in mense , die tamen non impedito , ex exceptis Adventus , Qua-*  
*tuor Temporum , Vigiliarum , ac Quadragesimæ temporibus , sub ritu se-*  
*miduplici.* *Bull. Carm. tom. cit.*

1741. Novus Pontifex Benedictus XIV. Encyclia Epistola diei 30.  
 Junii eorum avaritiam detestatur , qui Missas ab ipsis majori stipendio  
 collectas , eas eodem in loco , aut alibi celebrare faciant , acceptæ  
 eleemosynæ parte aliqua retenta ; eosque , si sint laici , excommunicati-  
 onis poenæ ipso facto subjicit ; si Clerici , suspensioni ; quæ utraque  
 poena Summo Pontifici reservata est . *Bull. Roman.*

Eodem anno , Brevi diei 27. Julii idem Pontifex in realem erigit  
 Provinciam , ab illa S. Alberti in Sicilia distinctam , Syracusanam Ob-  
 servantiam , sive Reformationem , octo comprehendentem Conventus ,  
 sub titulo S. Mariæ de Scala Paradisi . *Bull. Carm. ibid.*

Die 16. Septembris ejusdem anni signatur Gratia pro causa Bea-  
 tificationis , & Canonizationis Ven. Dei Servæ Rosæ Mariæ Serio in  
 S. Rituum Congregationem introducenda . Quæ deinde Apostolica auctorita-  
 te suspesta est , nec ulterius progreßa , propter objectiones zelo forsan  
 factas a quibusdam Ecclesiasticis etiam in Dignitate constitutis ; quos in-  
 ter Episcopus Hortunensis fuit ; qui tamen in mortis articulo dicta sua  
 revocavit ; voluitque per Confessarium suum , post ipsius obitum , suam  
 revocationem statim publicari . Et quidem Episcopi revocatio typis postea  
 edita est Mediolani anno 174... *Bull. Carm. ibid.*





LXV

*ALOYSIVS LAGHIVS Foroliviensis  
a' BENEDICTO XIV. P. O. M. institutus*

*Vicarius Generalis 20. Ianuary 1742.  
et in Caplo Genli Romæ celebrato 23. Maij 1744.  
electus Generalis Præside eodem Summo Pontifice,  
et denuo Bononiae electus in Comitiis Genitibus anno Jubilæi 1750  
Decet: 3. Nov. 1758. Et an. 67.*

*Nic. d'Oracey Scul:*

## LXV.

## ALOYSIUS LAGHI.

**A**loysius Laghius, natione Romandiolas, patriam habuit Forum Livii, ubi ortus est anno Repar. Salut. 1690. Carmeliticum Institutum amplexus, inter Anconæ Conventus Alumnos primum adscriptus est, indeque patrii Forolivienfis Cœnobii filius electus. Suetis studiis laudabiliter expletis, Magistri, ac Doctoris lauream in Sacra Theologia fuit consecutus; atque etiam destinatus Theologus Cardinalis, tunc temporis Bononiæ Archiepiscopi, Prosperi Lambertini, apud quem in solio quoque Pontificio constitutum in magna semper fuit existimatione. Anno 1738. Clementis XII. Brevi Romandiolæ suæ Provinciæ Præfectus creatus est. Anno 1741. Socius, ac Secretarius Generalis Italiae a Generali Ricchiuto nominatur; sed in munere hoc quinque vix mensibus expletis, Generalis Ricchiutus cum se munere abdicasset, a Benedicto XIV. Brevi diei 20. Januarii 1742. totius Ordinis Generalis Vicarius declaratus est. Convocatis deinde Romæ Generalibus Comitiis anno 1744. sub auspiciis ejusdem Pontificis Benedicti, universi Ordinis Generalis Prior fuit renuntiatus. Sexennio post, anno scilicet 1750., alio Bononiæ concito Generali Capitulo, cui & ipse præfuit, fuit iterum in eadem suprema Præfectura ad aliud sexennium confirmatus. Hinc Religionem rexit annis quatuordecim, ac mensibus quatuor: quo regiminis sui tempore peculiari semper gratia, ac patrocinio Pontificis Benedicti XIV. gavifus est, ut satis luculenter testantur tot Concessiones, Gratiae, Rescripta, ac Brevia, postulatibus suis tum pro Religione, tum pro ipso edita, atque in nostro relata Bullario.

Expleto tandem anno 1756. Generalatus sui munere,  
in

in patrium Foroliviensem Conventum Laghius noster se constituit ; de quo quam optime fuerit meritus , verba , quæ in quodam Clementis XIII. Brevi leguntur , satis ostendunt , suntque hujusmodi : *Ex pecuniis , quæ tunc temporis (sui nempe Regiminis) jure merito , & gratuito ad manus suas perveneruru , & parsimonia addibita sibi comparavit , summam circiter decem millium scutorum monetæ Romanae in ornamentum , & pretiosam supellectilem Ecclesie , & Sacrificie Conventus Civitatis Foroliensis laudabiliter impendit ; totidemque & ultra forsan in emptione , & reparacione cuiusdam Prædii &c.*

Mortuus est in eodem Cœnobio III. Non. Novembris A. D. MDCCLVIII. Pontificatus Clementis XIII. anno primo , cum ætatis annum sexagesimum septimum , ac menses decem ageret : sicutque in eodem Templo sepultus sequenti cum Epitaphio :

D. O. M.

Aloysio Laghio

Per XIV. Ann. totius Carmeli Ordinis

Generali Magistro

Quod huic Templo

Exædificando , Ornando , Ditando

Cœnobii sui

Domi , Forisque commodis augendis

Patriæ suæ honestandæ

Pecunia copiose attributa , erogata

Largissimus , & Munificentissimus fuerit

Hujus Familiae Fratres

Perenne hoc grati animi munus

Lachrymabundi V. P.

Vixit Ann. LXVII. Mens. X.

Decessit III. Non. Nov.

A. Sal. MDCCLVIII.

Res

*Res memoria dignæ sub Lagbii regimine.*

1742. Post Ricchiuti Generalis abdicationem Pontifex Benedictus XIV. Brevi diei 20. Januarii Aloysium Laghium usque ad Generalis Capituli celebrationem Generalem creat Vicarium. *Bull. Car. to. 4.*

Eodem anno Ignatius Olyveira Lusitanus, pro sua Natione Socius, ac Secretarius Generalis, deindeque ex gratia etiam Ex-Generalis Prioris appellatione donatus, Summi Pontificis assensu, ac venia, trium millium scutorum dotem monetæ Romanæ super locis Montium Romæ constituit, quæ pro caussa Beatificationis, & Canonizationis Ven. Angeli Pauli prosequenda unice impendi deberent; lege ea, ut annui ipsorum fructus in novis emptionibus pro caussâ prædictâ insumerentur, ut in Apostolico Brevi latius dicitur. *Bull. Ibid.*

1744. Vigilia Pentecostes hujus anni Romæ Generalia Comitia habentur, iisque idem S. P. Benedictus XIV. præesse voluit: ipse enim, defuncto anno præcedenti Cardinali Protectore Nicolao de Judice, Carmelitarum Patrocinium, singularemque illorum curam cum universalis Ecclesiæ Supremo regimine apud se retinere non fuit designatus; atque ante electionem eruditam, ac doctissimam ad coadunatos Patres orationem habuit, a nostro *Bull. tom. 4.* relatam. Ibique coram Summo Pontifice idem Generalis Vicarius Aloysius Laghius per suffragia secreta Ordinis Generalis Prior creatus est; Generalis vero Procurator Arsenius Duillie Gallus, Gentis suæ tunc Socius, ac Generalis Secretarius. *Ex Papy. Ord.*

Huic Capitulo Siculi Vocales non interfuerunt, ob pestem tunc temporis Messanæ graffantem, qua maxima Fratrum nostrorum pars ibidem periit. Neapolitani Vocales, quos inter & ego fui, interfuerunt quidem, sed postquam in Læmocomio Anxuris Urbis, sive Terracinæ, quadraginta diebus detenti sunt, ut a pestis suspicione purgarentur.

Eodem tempore orta controversia inter Imolæ Cathedralis Capitulum, atque illius Urbis Carmelitas circa Supplicationem, quæ in Octava Corporis Christi ab hisce fit, ac re ad S. R. Congregationem delata, in eadem hac proposita deciduntur dubia.

„ Primo, an Patres Carmelitæ induere possint sacras vestes ad formam eorum Ritualis in Processione facienda extra Claustra, & ambitum Ecclesiæ infra Octavam SS. Corporis Christi; in casu &c. 2. an liceat eisdem Patribus Benedictionem impetriri Populo in propria Ecclesia sub triplici signo ad formam ejusdem Ritualis „? *Ex S. Congre-*

*gre-*

gregario, visis iuribus binc inde deductis, rescribendum censuit. Ad pri-  
mum affirmative, exceptis Fratribus Laicis. Ad secundum licere. Et ita  
decrevit, ac servari mandavit bac die 16. Maii 1744. Bull. Car. to. 4.

1745. Facultas anno 1729. Ordini nostro a Benedicto XIII. per  
Rescriptum concessa, absolutionem, ac Pontificiam benedictionem quater  
in anno Populo nostris in Ecclesiis impertiendi, Apostolico Brevi hoc  
anno a Benedicto XIV. confirmata est; pro eadem assignatis die S. Ste-  
phani, tertio die festo tum Paschatis Resurrectionis, tum Pentecostes,  
ac sollemnisi Commemorationis B. M. V. de Monte Carmelo; quibus  
diebus Prioribus nostris concedit Pontifex: ut supra omnes Christifideles  
in praedictis Ecclesiis existentes Benedictionem suo nomine impetriri, ab-  
solutionemque indicere libere, & licite possint, & valeant.

Ea deinde facultas fuit ex parte aliqua ab eodem Pontifice refor-  
mata anno 1748. Encyclia ejus Epistola ad omnes Regularium Gene-  
rales missa, quibus idem Privilegium concessum est, qua Epistola illius  
Benedictionis formulam præscriptit; ac præcipit insuper, ut non triplici,  
sed unico signo Crucis impertiatur.

Et Pontifex Clemens XIII. aliis Encycliis Epistolis diei 3. Septem-  
bris 1762. (quibus eamdem facultatem Episcopis concedit Pontificiam Be-  
nedictionem bis in anno impertiendi) præcipit, hujusmodi ritum, & for-  
mam servari a Benedicto XIV. præscriptam, declaratque per Benedic-  
tionem Apostolica auctoritate, sive per Episcopos, sive per Regulares im-  
pendendam, nullam prorsus a censuris, & paenit Ecclesiasticis scienter,  
vel ignoranter incursis, absolutionem concedi. Atque insuper prohibet  
Regularibus, ne illam dent iis diebus, quibus eam Episcopi Populo  
impertiunt; quinimo nec sine illorum prævia licentia; ut ex ejusdem  
Brevi anni 1763. Bull. Carm. rom. 4.

1747. Opera, & consilio Patris Mæcenatis, Mantuanæ nostræ Con-  
gregationis Religiosi, virique sollertissimi, Borussorum Rex Fridericus II.  
Berlini extrui permittit magnificam pro Catholicis Ecclesiam, ob eam-  
que rem suis in Dominiis eleemosynas colligi: & magni hujus operis  
Præfectum eumdem Mæcenatem constituit. Primus Templi lapis die 13.  
Junii hujus anni magna cum sollemnitate, ac Regis nomine jactus est,  
qui ænea contextus lamina hanc præ se ferebat Inscriptiōnem.

*Super. Hanc. Petram. Aedificabo. Ecclesiam. Meam. Matt. 16.  
Sedente. Benedicto. XIV. Pontifice. Opt. Max. Reginante. Federico II.  
Borussorum. Rege. Cuius. Concessione. Aedificandi. Templi. Romano.  
Catholic. S. Hedwigi. Principi. Dicari. Lapis. Angularis. Positus. Est.*

*An.*

*Anno MDCCXLVII. Die XIII. Mensis Junii. Ex historia hujus anni.*

1750. Aliud Bononiæ Generale concitum in Conventu S. Martini, cui idem Generalis Laghius præsidet, cum voce etiam paf-  
fiva, Apostolico Brevi eidem concessa; atque, iterum Laghius ipse Ge-  
neralis electus est, Generali Procuratore nominato Emanuele Barrera  
Hispano, suæ Nationis tunc Socio, ac Secretario Generali.

In eo Capitulo, cui a Pontifice pro ejus voto requirendo remissa erat, controversia Generalem inter Priorem, & Procuratorem jam exorta, majore suffragiorum numero hoc modo deciditur: „ Quod Prior Generalis non  
„ teneatur Commissarium Generalem constituere Romæ, nisi quando ita ab  
„ Urbe discedat, ut sit etiam ab Italia egressurus; & tunc relinquendum  
„ esse arbitrio ipsius, ut in hujusmodi Commissarium Generalem depu-  
„ ter quemcumque Religiosum maluerit, & cum facultatibus sibi be-  
„ nevisis „. Quæ postea Capituli definitio ab eodem Pontifice Benedicto  
adprobata, confirmataque est Brevi diei 9. Novembris anni 1753. Ex  
*Papy. Ord. & Bull. Carm. tom. 4.*

1751. Die 1. Novembris hujus anni; omnium Sanctorum Festo, horribilis accidit Ulyssiponæ terræmotus, qui præter quamplurimorum hominum cladem, maximam ædificiorum partem evertit; ac præ ceteris eximum Conventum, atque Ecclesiam nostram; excepto Sacello mirificæ Imaginis Beatissimæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quacum pauci illi Fratres, qui mortem evaserunt, in agros sub tentoriis se contulerunt; ubi eadem SS. Virgo complurimas Populo ad illam confluentis clargita est Gratias. Remoto deinde periculo, pientissimi Regis auxilio Conventus, atque Ecclesia pristino nitori restituuntur.

1755. Florentiæ insigne SS. Virginis de Monte Carmelo miraculum experta est pia quædam Matrona, Anna Pacchi nuncupata; quæ gravissimo morbo correpta, atque ad extremum vitæ agonem jam adducta, cum se Dei Matri per sacram ejus Scapulare, cui devotissima erat, voto suscepto se commendasset, magno oppressa sopore, Mulierem pulcherrimam vidit, albis indutam vestibus, quæ Crucis signo in ejus Corpus facto, ita eamdem allocuta est: *Ecce sana facta es omnino omnino*. Neque somnium illud fuit, aut sensuum deceptio, sed vera cælestis visio; nam e sopore illo experrecta, sana omnino inventa est, ut ei prædictum fuerat. Quæ repentina sanatio a Medicis diligenter perpensa, mira, ac portentosa habita est; quemadmodum iidem testati sunt in Relatione Florentiæ eodem anno typis mandata.

Nec inaudita, aut nova sunt prodigia isthæc a Glorissimæ Dei  
Ss. ms.

Matris caritate prodeuntia , quæ *Salus Infirmorum* est , & ab Ecclesia compellatur . Innumera quippe sunt exempla salutis etiam corporalis ad invocationem B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo , vel per ejus facri Scapularis gestationem , fidelibus praestitæ ; e quibus variis ex Auctoriis quamplurima collegit Daniel noster a V. Maria , & in suo *Specul. Carm. tom. I. par. 2. num. 2448.* & seq. refert . Hinc insignis Theophilus Raynaudus in eruditissimo ejus libro de Scapulari Mariano *par. I. cap. 6.* hæc verba protulit : *Qui morbis citum , & præsens auxilium a facri Scapularis gestatione senserunt , occurrunt tam multi , ut non possit hic iniri numerus Cœ.*

Pro hisce autem portentis , aliisque hujusmodi , quæ in nostro hoc Volumine sparsim continentur , ab re minime erit , hic verba addere , memoratu sane dignissima , quæ in *Oratione de Annunt. Deipara* , S. Basilius Seleuciensis Episcopus scripta reliquit : „ Quis ( inquit ipse ) magnum Dei Genitricis virtutem non veneretur ? quis quanto eos omnes intervallo post se relinquat , quos Divorum loco nos habemus , non miretur ? si enim Christus tantam gratiam conferre dignatus est , ut solo contactu , imo vero sola Corporis umbra ægris subsidium afferre possent ; nam ( ut Auctorum liber exponit ) infirmi in plateis ejecti , umbra tantum Petri contacti , liberi a morbo evadebant . Non deerant quoque , qui linteo , quo Apostolus Paulus corporis sudorem extersebat , accepto , infestos dæmones profligarent ; qualem vim adversus omne morborum genus Virgini Matri collatam fuisse , putandum est ? an non multo majorem , quam ceteris Christi imperio subjectis ? omnino res clara est „ . Haec tenus S. Presul .

Audiant interim hæc male feriati , ac parum religiosi homines , ii , inquam , qui miracula quælibet vel omnino rejiciunt , vel in dubium revocant . Enimvero si linteum Pauli , & umbra tantum Petri e corporibus dæmones , ac morbos ejiciebant ; cur hæc , & majora facere non poterit Marianum Scapulare , & virtus illius , quæ Mater Dei est , & Sanctorum omnium Reginæ , ac Domina ? Verum nec nos omnes gratias , atque beneficia a Sanctis accepta inter vera miracula recensemus ; sed illa dumtaxat , quæ , juxta Tridentini Concilii præscriptum , ab Ecclesia , sive Episcopis , ut talia declarata sunt , atque adprobata ; cetera vero admiranda vocamus , donec testimonio illo munita non fuerint .





LXVI

F. Joachim Maria Pontalti Veronensi  
Conventus Venetiarum Filius  
In Comitijs Generalibus Cesene habilis  
Prior Generalis Carmelitarum electus  
Die 5<sup>a</sup> Junij Anno 1756  
A Clemente XIII P.M. Electus Epis Pharensis Die 23 Nov 1761  
Decessit 20 Jul 1772 Aet: An: 63

Bartolomeus A.

## LXVI.

## JOACHIM MARIA PONTALTI.

**V**eronæ, quæ Venetæ Ditionis Urbs est amoenissima, diem natalem fortitus est Joachim Pontaltus die 8. Julii anno D. 1709. Cum jam a prima ætate Religioso Statui animalium appulisset, Reverendissimus Pater Cavina eximio ejus ingenio permotus, ipsum ad Carmeli lanas induendas in proprio suo Imolensi, sive Fori Cornelii Cœnobio induxit. Romam deinde, ut studiorum expleret curriculum, vocatus, ibidem, cum adhuc adolescentulus esset, Clementis XII. S. P. gratia, ac patrocinio gavisus est. Sacerdos vix factus, scientiis, quas celeriter adeptus erat, tradendis destinatur; quod munus vicennio magna cum laude exercuit; primum Ronciloni, deinde Mediolani, ac postremo Imolæ; ubi, præter Theologicas facultates, humaniores etiam litteras publice tradidit. Neque interim Apostolicum omisit Ministerium; namque Dei verbum in insignioribus Italiæ Ecclesiis disseminavit, tantoque plausu, ut apud omnes, nedum insignis Theologi, sed celebris etiam Oratoris sibi laudem comparaverit. Cum se Venetias concionatum contulisset, id sane virtutis, ac doctrinæ specimen exhibuit, ut sapientissima illa Respublica inter Veneti Cœnobii alumnos eumdem jusserit adscribi. Atque illic statim variis honoribus fuit decoratus: nempe Sacrae illius Inquisitionis Consultoris, Patriarchæ Synodalis Examinatoris, ac Librorum Censoris. Interea Venetæ Provinciæ Socius Provincialis electus, ad Generale Capitulum Cæsenæ indictum anno 1756. se contulit. Atque ibi totius Ordinis Generalis Prior renuntiatus est, utque scribit P. Blanciotti, qui Capitulo interfuit, in Epist. nuncupatoria 1. Tom. Valdensis: *Nullo ferme opitulante, nullo noxiū errorem detegente, nullo omni-*

*omnino promovente, sed solo Deo, qui corda scrutatur, & renes, Electorum animos invisibili quadam occulta vi, & inspiratione flectente, præter suam expectationem, & omnium spem, Generalis Ordinis Moderator fuit renuntiatus.*

Munus ubi capeſſivit Pontaltus, cum illa eſſet donatus laude, quam in Principibus valde exoptabat Seneca lib. I. de Clement. Sermone affabilis, accessuque facilis, vultu, qui maxime populos demeretur, amabilis, facillimum ei fuit, amisſam in Ordine pacem revocare, veterem studiis splendorem restituere, Gradus atque honores juxta leges, ac meritum impertiri; unde confirmari videbatur illud Isaiae cap. 32. *Juſtitia in Carmelo ſedebit, & erit opus juſtitiae pax.* Varias itaque visit Provincias, Capitulis præfuit, & præſertim Mantuanam quoque Congregationem, jampridem ab Ordinis Generalibus haud visitatam, visitavit.

Sapientissimo ſuo regimine amorem ſibi, magnamque estimationem non modo apud Subditos, ſed etiam apud Principes, Purpuratos, aliosque Eccleſia Præſules conciliavit; immo & Pontificem ipsum Clementem XIII., cui acceptiffimus ſemper fuit. Hinc in prima Cardinalium promotione ab eodem Pontifice facta, & Romæ, & alibi rumor incessit, unum ex Candidatis Pontaltum fuiffe, eamque etiam mentem fuiffe Pontificis; fed quemadmodum humana voluntas mutabilis eſt, ita & vana, quæ increbuerat, fama fuit. Populi tamen permansit judicium, Purpura digniſſimum eſſe.

Sed quinto Generalatus expleto anno, idem Pontifex die 23. Novembris 1761. Episcopum Pharenſem in Dalmatia Joachim, eti invitem, creavit, atque etiam Pontificii Solii Adſiſtentem Prælatum; quacum Dignitate Ordinem adhuc rexit, uſque ad Veneti Capituli celebrationem, cui & ipſe præfuit. Eccleſiam vero illam ad annum uſque 1767. gubernavit; nam ratus, ob Illyrici sermonis Regionis illius dif-

difficultatem , qua nec oves poterant vocem Pastoris , neque hic Ovium vocem poterat audire , fatis suo muneri facere haud posse , eadem Ecclesia se sponte abdicavit . Hinc a Pontifice ad Titularem Ascaloniæ Episcopatum translatus est , atque Episcoporum Examinator etiam constitutus . Romam ergo reversus , in S. Martini Cœnobium inter Confratres suos secessit , sibi ipsi vacaturus ; ubi tandem apoplexiæ morbo correptus , post diuturnam infirmitatem , per quatuor menses mira patientia toleratam , inter suos efflavit animam xiv. Kal. Augusti A. MDCCLXXII. ætatis suæ LXIII. Sepultusque est in ejusdem Conventus Ecclesia sollemni pompa , funebri Oratione a Sapientiæ Lectore nostro Hyacintho Tertio recitata .

*Res memoria dignæ sub Pontalti regimine .*

1756. CÆsenæ in Romandiola Generale Capitulum celebratur , Praesidente Pontificis jussu Eminentissimo Cardinale Stoppani titulo SS. Sylvestri , & Martini , ac tunc Urbini a Latere Legato , in quo Generali Priore Joachimo Pontalti creato , Generalis Procurator Bruno Tewis a S. Antonio Germanus , ac Coloniensis Lycei publicus Regens , destinatus est .

Inter cetera memoratu digna , quæ in eo Capitulo statuta sunt ; primo institutio novæ Silesiæ Vicariæ confirmatur , quatuor dumtaxat Conventus comprehendentis , a conterminis Germanicis Provinciis separatos ; quod egerat præcedenti anno Generalis Laghius , ut Serenissimi Borussorum Regis voluntati obsecundaret , sub cuius imperium præteritis bellis Cœnobia illa fuerant redacta . 2. Provincia Polono-Ruthena in duas dispescitur , quarum una Ruthena S. Joseph , altera Lithuania S. Georgii nuncupatur ; quæ postea divisio a Benedicto XIV. adprobata , confirmataque fuit . 3. Statuitur , Procuratores Provincialium illorum , qui Generali Capitulo interesse nequeunt , deinceps ejusdem Provinciæ filios esse debere ; quod sane optimum ; ac salutare statutum ab omnibus existimat . 4. Tandem S. Archangelus Gabsiel Secundarius Ordinis Protector eligitur . *Ez Papy. Ord.*

1757. Brevi , die 22. Januarii emanato , Benedictus XIV. Plenariam in nostris Ecclesiis Indulgentiam concedit die Festo S. Annæ Deiparæ

paræ Matris. Jam ab anno 1731. Indulgentia hæc exoptata fuit , ac Generalis Capituli Patres Cardinalem Protectorem , & Præsidentem rogavunt , ut ipsam a Pontifice in Templis nostris demerendam impetraret . Et quidem jure ; etenim Ordo noster erga gloriosam hanc Divam a vetustissimis temporibus specialem semper pietatem professus est , utpote Genitricem ejus , quæ Carmelitarum Mater est , ac potissima Patrona . Hinc scribit Abbas Trithemius lib. 2. de B. Virgine in Urticeto . „ Carmelitæ maxime honorant Dominicam Parentelam , D. videlicet Joachimus , & SS. Conjugem Annam , Parentes intactæ Virginis Matris Dei , Sanctum quoque Joseph Sponsum Dominæ nostræ Sanctissimum , & Castissimum : & paullo inferius . Præcipue tamen omnes Carmelitani Ordinis Fratres , devotione Dei Genitricis Virginis Mariæ , Matrem honorant , colunt , & venerantur Annam , usque adeo , quod raro reperitur in eorum Sancta Religione Conventus , in quo non sit Altare , vel Capella sub ejus memoria , & honore consecrata . Bull. Carm. tom. 4. C. Trithemius .

Sed pro supra enunciata plenaria Indulgentia , aliisque consimilibus , quæ Fidelibus conceduntur vere pœnitentibus , & Confessis , ac Sacra Communione refectis C. ut in Brevibus dicitur , advertere hic placet , quod etiæ ex decreto S. Congregationis Indulgentiarum , a Clemente XIII. die 19. Maii 1759. approbato : *Confessio Sacramentalis* , quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiarum consecutione , peragi omnino debeat , etiam ab iis , qui sibi lethalis peccati consciæ non sunt . Nihilominus idem postea Pontifex ad multorum preces die 3. Decembris 1763. benigne indulxit : pios Fideles , qui semel saltem in hebdomada , dummodo legitime non sint impediti , Sacramentum Pœnitentiaz recipere consueverunt , & nullius culpæ gravis post peractam ultimam Confessionem a se commissæ consciæ sunt , omnes , & quascumque Indulgentias consequi posse , etiam Confessione non præmissa , a superiori præscripta decreto . Sic refert noster Bartholomæus del Valle in suo *Theologia Moralis Compendio* pag. 433. novissime Romæ edito .

1758. Funestissimus Ulyssiponæ accidit casus , a P. Joanne Laurentio Berti Augustiniatio in Breviar. Hist. Eccles. hisce verbis descriptus . „ Fidelissimo Lusitaniz Regi Josepho Emmanueli anno 1758. die 3. Septembris mors laxata Rota , & ignitis glandibus fuit intentata . Detecti , punitique anno proximo sceleris Auctores . Religiosis Viris celererrimæ in Ecclesia Familiæ ( S. J. ) hac de cauſa e Lusitaniz Regnis anno 1759. ejectis , iniquissimæ conspiracyis machinationem „ Ulys-





Veram Effigiem Servi Dei F. HIERONYMI TERZO a Jesu M. et Joseph Laici Ordinis Carmelitarum Reformatae Syracusee Observantiae, qui Neti in Sicilia ortus virtutum, ac signorum famam cum apud suos, cum apud exterros claruit, quique in Convento S. Marie de Scala Paradisi apud Netum piissime obiit die 11. Aprilis 1758. quod juxta ac Ecclesiam, in qua quiescit, fidelium elemosinis crexit, et fundavit.

Franco P. M. JOSEPHO ALBERTO XIMENEZ totius Ordinis Carmelitarum Generali Amplissimo, ac Visitatori Apostolico

D.D.D

Fra Marianus à S. Joseph ejusdem Observantiae  
Ordinariae Populator

„ Ulyssiponenses Judices adscripsere . Præ ceteris ejus conspirationis Auctores declararunt Gabrielem Malagridam , Joannem de Mathos , & Joannem Alexandrum . Rex deinde ab acceptis vulneribus sanitati restitutus , ad nostrum Lusitanæ Provincialem Regale scriptit Chirographum , quo ipsum de scelere in se patrato certiore facit , simulque mandat , ut cunctis in Carmeliticis Ecclesiis publicas Altissimo persolvant gratias . quod ipsum a nece mirum in modum eripuerer . Quod postea Regale Chirographum Romæ typis editum est .

Die 11. Aprilis ejusdem anni in Sicilia moritur ætatis suæ anno septuagesimo quinto Dei Servus F. Hieronymus de Tertio a Jesu Maria , Provinciæ Reformatae de Scala Paradisi Laicus Carmelita . Vir sane virtutibus , & signis clarus , ac Sanctitatis fama in tota Sicilia inctitus . Hinc sequente Generali Capitulo anni 1762. Procurator , sive Postulator , ad illius Caussam promovendam , ac Processus in Syracusana Episcopali Curia conficiendos destinatus est . Qui jam absoluti , hoc anno 1772. ad S. R. Congregationem transmissi sunt . En Papy. Ord.

1759. Novus Pontifex , die 16. Julii præcedentis anni creatus , Clemens XIII. Apostolico Brevi die 2. Aprilis hujus anni emanato , quod incipit : *Sacrosancti* , ab immediata Generalis jurisdictione duos eximit Conventus : nempe illum S. Antonii Prænestis , aliumque SS. Sylvesteri , & Martini Urbis Romæ , eosque Romanæ Provinciæ adnectit , ac ejusdem Provinciali subjicit . Bull. Carm. tom. 4.

Eodem anno , Mariæ Amaliz postulatibus , Caroli III. tunc utriusque Siciliæ , nunc vero Hispaniarum Regis , Uxor , Brevi diei 28. Augusti , incipiente : *In supremo* , idem Pontifex adprobat , atque Apostolica auctoritate confirmat peculiares Regulas , sive Constitutiones Monialium Carmelitarum Regalis Monasterii S. Gabrielis Urbis Capuæ , opera , studio , diligenzia , consilio , & Religionis zelo P. M. Salvatoris Pagnani ejusdem Ordinis Fratris Professi erecti ; quodque deinde ab eadem pientissima Regina non solum sub Regali Patrocinio fuit positum , & Regia ejus præsentia crebro cohonestatum , sed beneficiis etiam cumulatum , ac illud [ sunt verba Brevis ] suis opibus sustentare non desinit ; ita ut Monasterium bujusmodi capax sit recipere , & retinere numerum 56. puellarum Monialium , Conversarum , & Educandarum . Bull. Carm. ibid.

Idem Sacrum Asceterium fuit postea speciali Regali Diplomatæ Regium declaratum : atque anno 1763. Sacra Congregationis Decreto in formale Monasterium , & Claustrum erectum . Eodemque decreto facultas etiam Monialibus concessa est in præcipuis sollemnitatibus e

janua interiori in Ecclesiam ingrediendi , ad Altaria expolienda , & ornanda : ac præterea Cœnobium illud Ordinis Generalis jurisdictioni subiectum . *Bull. ibid.*

Hinc Monasterium isthec , a quadraginta vix annis humilibus quidem primordiis erectum , est nostro hoc ævo unum ex insignioribus Monialium Cœnobiiis , quod Carmelitana habeat Religio . Et quidem in primis propter singulare regale , quo gaudet , patrocinium Clementissimi nostri utriusque Siciliæ Regis Ferdinandi IV. ejusque pientissimæ Uxorius Reginæ Mariæ Carolinæ ; quæ defunctæ Reginæ Mariæ Amaliæ vestigia persequens , sapissime ad illud se conferre dignatur , Clasuram ingreditur , atque Moniales omnes mira humanitate alloquitur , familiariterque cum illis versatur . Quinimo gloriosissimo Catholico Regi Carolo III. etiamnum acceptissimum est : adeo ut ab Hispaniis quoque , quas nunc feliciter regit , præter regia dona , quæ quotannis affluenter Monialibus mittit , crebras litteras propria manu exaratas Monasterii Priorissæ scribere non designatur , regia clementia , ac humanitate plenas , ejusdem , ac Monialium precibus Deo offerendis instantissime se commendans .

Sed quod illud magis venerabile , illustriusque reddit , est stricta , ac perfecta Regularis Observantia , singularisque pietas , quam Moniales omnes profitentur ; potissimum earum Priorissa Maria Angela , *del Divino Amore* nuncupata , morum sanctitate apud omnes inclyta ; quæ ob suam pietatem , atque eximiam prudenciam perpetua hujus sancti Loci Superiorissæ a S. Sede est constituta , illumque omnium plausu administrat , ac moderatur .

1761. Sacræ Rituum Congregationis Decreto diei 3. Martii , a S. Pontifice adprobato , publicus ab immemorabili cultus B. Angeli Mazzinghi Florentini adprobatur , confirmaturque : alioque Decreto Ordini conceditur , Missam , & Officium de communi Confessorum sub ritu duplici mi: de eo recitari die 18. Julii . Anno deinde 1765. ab eadem Congregatione adprobatae sunt Lectiones propriæ cum Beati Oratione ; & ejusdem Officium ad Florentiæ Civitatem , ac Dioceſim extensum est . *Bull. ibid.*

Die 19. Novembris ejusdem anni Generalis Joachim Pontaltus a Clemente XIII. Episcopus Pharensis creatus est , facultate sibi tributa Religionem ad Generale usque Capitulum regendi , sequente anno 1762. celebrandum , eidemque præsidendi . *Bull. ibid.*





LXVII.  
*F. Marianus Ventimiglia*  
Magni Neapolitani Carmeli Alumnus  
In Comitijs Generalibus Venetijs habitis  
Prior Generalis Carmelitarum electus  
Die 29. Maij. Anno 1762.

François Gourdin Neap. Reg. incis.

## LXVII.

## MARIANUS VENTIMIGLIA.

**S**upremos inter Latinos Carmeli Præsules septimum , ac sexagesimum hunc locum , si non merito , Chronologæ tamen ordine sibi vindicat Marianus Ventimiglia ; idem ipse , qui hæc scribit , quique hujus male contextæ Opellæ Auctor est . Et hæc satis .

Sciscitanti autem , cur vita ejusdem , ac gesta , uti de aliis Generalibus factum est , hic attexta non fuerint ? Ceteris omissis responsionibus , illud unum Marianus respondet , quod , teste Plutarcho , quibusdam admirantibus , cur alii homines statuas haberent , Cato vero nullam ? ipse inquit Cato : *Quare malo , quamobrem Catonis simulacrum hic non possum sit , quam cur possum sit ?*

*Res memoria dignæ sub Ventimiglia regimine.*

1762. **P**ræsidente speciali Pontificis concessione Joachimo Pontalto Pharensi jam Episcopo , Venetiis Generalia Comitia habentur ; in iisque Generalatus sors super Marianum Ventimiglia cecidit , Socium tunc , ac Secretarium Generalem Italiz ; Generalis vero Procurator Christophorus Alvarez de Palma Hispanus , et si a Capitulo absens , nominatus est . Capitulo huic Lusitani Vocales minime interfuerunt ; nam quemadmodum jam ab anno 1760. Lusitanam inter , & Romanam Aulam interceptum erat commercium , ita & Fratribus cum Ordinis Generali interdicta erat communio . *Ex Papy. Ord.*

Paullo post ejusdem Capituli celebrationem funestissimus casus quatuor nostris Bæticæ Provinciæ Fratribus contigit , dum in Hispaniam redeunt : nempe Reverendissimo P. Ex-Procuratori Generali Emmanueli Barrera , Laito ipsius , & duobus aliis Patribus . Hi enim in Januz Portu navem concidentes , dum iter feliciter prosequuntur , a Salatinis Piratis aggressi , servi facti sunt , atque ad Salæ portum in Mauritaniam ducti . Hinc cum in Fessæ Urbem , Marochii Regui Caput , transve-

T t

hua-

havatur, inter itineris labores, ac molestias P. Barrera vitam patientissime finivit; atque ex tribus aliis, qui in Urbem pervenerunt, unus paullo post febri correptus etiam decessit. Meliori fortuna usi sunt alii duo, qui pace composita anno 1766. inter Hispaniarum, & Marochii Reges, sine ullo lytro ad Madritum usque restituti fuere; atque hinc a Catholico Rege, multa etiam pecunia refecti, ad suos Conventus missi sunt.

Sed ante Capituli celebrationem, eodem anno alius luctuosior Neapoli acciderat casus in Carmeli Majoris Conventu. Hic enim die 27. Martii, ante Dominicam Passionis Sabbato, cum prope meridiem Vespertas in Choro canerent Fratres, ubi ad verba illa Responsorii Capituli pervenerunt: *Quoniam tribulatio proxima est, & non est, qui adjutus, fulmen extemplo de Cælo cadens, Turrim vehementissime impetit, ejus pergrandes lapides ex ictu concussi, obruentes super eam tecti Ecclesiæ partem, quæ supereminet Choro, tectum ipsum, deaurata laquearia, ac totum fere Chorum straverunt; Fratres vero Deo psallentes pulvere, lignis, lapidibus obruti sunt omnes: e quibus quinque diem clauerunt extreum, nempe tres Clerici, Subprior, & Professorum Magister; tresque alii lethaliter fauciati etiamnum vulnerum gestant vestigia. At ceteri omnes sub ruina quoque cecidissent, nisi eos Divina Misericordia, Deique Matris patrocinium a morte prodigiose eripuissest. Hinc in grati animi testimonium quotannis Sabbato ante Dominicam Passionis omnes hujus Conventus Fratres, præ prandio, in Refectorio gemiflexi pane dumtaxat, & coctis herbis vescuntur, ceteris ediliis distributis pauperibus.*

Statim post ejus ad Generalatum electionem, ab ipsa Venetiarum Urbe, novus Generalis humillima epistola sua S. P. Clementem XIII. de ejus promotione certiorem facit; cui litteris suis in forma Breviæ describere dignatus est Pontifex.

*Dilecto Filio Mariano Ventimiglia Ordinis Sanctæ Mariae  
de Monte Carmelo Priori Generali.*

C L E M E N S P A P A XIII.

*Dilecte Filii salutem, & Apostolicam benedictionem.*

» Renunciatum Te fuisse supremum istius Ordinis Praefectum, tuis  
» ex litteris die 5. labentis mensis datis, lubentissime accepimus, de-  
» votique animi tui sensus, quibus injunctum regimen a tua in Nos,  
» & hanc Sanctam Sedem observantia auspicaris, paterna benignitate  
» complexi sumus. Fore autem plane confidimus, ut Religionis, pie-  
» nata tatis,

„ tatis , amplificandæque regularis disciplinæ studia , quæ Te ad novos  
 „ delati Ministerii labores evocarunt , nostrum de tua virtute judicium  
 „ confirmant , & comprobent , tuæque vigilantiæ , prudentiæque fructus  
 „ expectationi respondeant , qua bonis omnibus commovisti , ut nimirum  
 „ clarissimi Instituti laudes florescant in dies magis , & Carmelitici Or-  
 „ dinis in Catholicam Ecclesiam merita , novis incrementis augeantur .  
 „ Tibi interea dilecte Fili , spiritum consilii , & fortitudinis a Datore  
 „ munerum depositentes , in præsidij cælestis auspiciam Apostolicam Be-  
 „ nedictionem permansuris impertimus . Datum Romæ apud Sanctam  
 „ Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Junii 1762. Ponti-  
 „ ficatus Nostri Anno Quarto .

Eadem benignitate , ac Regali Clementia responderant quoque Imperator , atque Imperatrix , & Hungariae Regina , Gallie , Hispanie , Neapolis , Sardinie , ac Poloniae Reges , Venetiarum , Januz , ac Lucie Republicæ , aliqui Principes , quibus aliis litteris , ut in more positum est , eandem electionem significavit Generalis .

1763. Die 17. Januarii hujus anni Neapoli in S. Maria de Vita Conventu ex hac vita migravit singularis pietatis fama inclitus Frater Stephanus Pelusius , Laicus Carmelita , ætatis annum agens septuagesimum quartum , Religionis vero quadragesimum septimum ; qui natus die 27. Januarii 1689. Sondrii , Vallis Teline Oppidi sub Comensi Diœcesi , Carmeli lanas induit in eodem , quo obiit , Cœnobia . Ejus cadaver , ut Populo satis fieret , quinque per dies jacuit insepultum , nempe ab hora viceima quarta diei 17. Januarii , qua mortuus est , ad horam usque vicefimam tertiam diei 22. ejusdem mensis , nullo corruptionis dato signo ; prout in sollempni cadaveris peritia ab Archiepiscopali Curia facta observatum est , atque etiam a Medicis , ac Chirurgis ibidem præsentibus eorum testimonio confirmatum . Inde in capsa quadam lignea repositum , pluribus in locis Generalis Vicarii sigillo obsignata , in peculiari Ecclesiæ loco sepultum est . Cuncta ex juridicis Actis , quæ in eadem Curia adservantur , colliguntur .

Complura sunt beneficia , quæ post illius obitum Fidelibus Dominus elargitur per Dei Servi preces , ut pie creditur ; quæ ab Apostolico , & publico Notario litteris consignantur .

1764. Contra Tranensis Archiepiscopi , ac Capituli postulata , qui Regulares ad subsidium conferendum pro Seminario Diœcefano cogere volebant , S. Concilii Congregatio , sententia , die 14. Maii emanata , ad dubium propositum : *An Patres O.c. teneantur ad takam pro Seminario?*

respondit, deciditque: *Quoad Patres Ordinum Prædicatorum S. Dominici, Minorum Conventualium S. Francisci, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Servorum B. Mariae Virginis, & Societatis Iesu: Negative.* Bull. Carm. tom. 4.

1765. Pontificis Oraculo Sacra Disciplinæ Congregatio Encycliis Epistolis cunctis Regularibus Superioribus, sub suspensionis, ac privationis Officii &c. poena, præcipit, ut singulis in Conventibus idoneum Patrem destinent, qui saltem semel in hebdomada doctrinam Christianam doceat; deque sui status officiis instruat, non solum Religiosos Laicos, sed Familiares quoque Seculares, qui ex *Sacrorum Canonum præscripto, & præsertim Clementis X. Constitutione ab immediata Parochorum cura sunt exempti*, ut ibi dicitur. Bull. Carm. ibid.

Eodem anno moritur Generalis Ordinis Procurator Christophorus de Palma, Religiosæ perfectionis vir studiosissimus; sollemnibusque inferiis, aliorum Ordinum Generalium Procuratorum interventu, ac funebri laudatione, in Transpontinæ Templo sepultus est: eique Joseph Albertus Ximenez substituitur.

1766. Incessit hac tempestate religio quædam in quosdam Ecclesiasticos Hispaniarum Prælatos circa Carmelitanas Litanias, quæ in nostris canuntur Ecclesiis, additis illis verbis: *Mater, & Decor Carmeli: Mater Carmelitarum &c.* motos fortasse Clementis VIII. Constitutione anni 1601. incipiente: *Sanctissimus*, qua prohibet, sine S. Rituum Congregationis venia, in publicum edi, aut publice recitari alias Litanias (*præter Lauretanas*) sub pœnis arbitrio Ordinarii, & Inquisitoris severe infligendis. Verumtamen Litanie, quæ a Carmelitis recitantur, non sunt novæ, sed in Ordine nostro vetustissimæ, immo juxta Mastellonium *Lect. super Litani. tom. I.* a Sancta quoque Sede adprobatae; quemadmodum adprobata sunt Carmelitarum Breviaria, Diurna, atque Officium parvum B. Virginis, in quibus Litanie illæ cum additionibus illis continentur. Immo Gregorius XIII. in peculiari Bulla, quæ incipit: *Ut Officium B. Mariae Virginis, quod antiquitus a Fratribus Ordinis Carmelitarum recitari consuevit &c.* edita die 15. Februarii 1585. præter alias Indulgentias, quas Officium illud recitantibus concedit; orationem aliquam in eodem Officio descriptam recitantibus 15. dies de injunctis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxat. Inter orationes autem in parvo illo Officio descriptas, sunt etiam Litanie, de quibus est sermo.

Nihilo tamen secius ad omnes tollendas difficultates, postulante Gene-

ne.



Effigies Servi Dei P. Ferdinandi Salvi Carmelitæ morum pietate,  
et in Proximos charitate claris. Bononiæ in S. M. Gratianum  
Cenobio extreum diem clausit 3 Septembris 1768. ætatis sue

I. Pedretti P.

An. 77. M. S. D. 24.

J. Foschi



nerali Ordinis Procuratore, Pontifex Clemens XIII. Rescripto diei 8. Augusti hujus anni, declarat, atque indulget, posse Carmelitas in illis recitandis Litanis juxta veterem consuetudinem pergere. *Bull. Carm.* tom. 4.

Eodem anno Hispaniae Congregationis Discalceati Carmelitae, quorum Prædecessores speciali Sixti V. permisso anni 1686. antiquum Carmelianum, atque Hierosolymitanum Ritum deseruerant, Breviarium, Missale, ac Rituale Romanum amplectentes, querunt, ut veteri eorum Matri fierent consoni quoad ritum in fine Missæ Antiphonam recitandi: *Salve Regina*, ac Paschali tempore: *Regina Cæli*: deque ea re Pontificem orant; qui Rescripto diei 29. Septembris petitam Gratiam ipsis impertitur. *Bull. Carm. ibid.*

Vetus Poloniæ Minoris Provincia Pontificio Brevi in duas hoc anno dividitur; quarum altera veterem Minoris Poloniæ titulum retinet, altera vero Lithuaniae omnium Sanctorum adpellationem accipit. *Ibid.*

Eodem ævo, cum Hispaniarum Rex, post popularem tumultum, qui Madriti accidit, ineunte hoc anno 1766., Regali suo Diplomate Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quam Regularibus mandasset, ut suis in Concionibus, aliisque functionibus tum publicis, tum privatis, erga Regem obedientiam, Regiosque Magistratus, ac Ministros debitum obsequium edoceant subditos, & ut a quibusdam oblocutionibus abstineant; hinc Ordinis Generalis Prior Encycliam Epistolam sub die 14. Decembris universis Fratribus suis in Hispania degentibus scribit, ut justissimæ Regis voluntati omni, qua par est, animi submissione obsequantur. Quæ sane litteræ Catholico Regi adeo gratae, & jucundæ fuerunt, ut jussiterit, eidem Generali gratias Regali ejus nomine agi; ut statim Regius Secretarius D. Emmanuel de Rhoda egit per Regium apud Sanctam Sedem Legatum D. Thomam Aspuru, eidem in hunc modum scribens: „ He dado a el Rey la Enciclica del Reverendissimo „ P. General del los Carmelitas ; la ha celebrado infinito S. M. Ver- „ daderamente està admirable ; de le VS. las gracias en nombre del „ Rey , che se ha acordado mucho del Padre Ventimiglia , y de que „ lo hizo Priore [ *Regalis nempe Carmeli Majoris Neapolis, cuius Prioris institutio est Regiae nominationis* ] aunantes de leer le yo a S. M. „ la clausula , en que lo acuerda , y agradeze &c.

Præterea tanto cum plausu Encyclia, sive Encyclica illa ab omnibus fuit excepta, ut Romæ semel atque iterum edita fuerit, & e Latino patrio redditæ idiomate Parisiis, Augustæ, Parmæ, ac Mantuæ

pu-

publicis Relationibus fuerit evulgata. Quin & V. Clar. Abbas Delaunay Parisiensis eamdem Gallico Epigrammate laudavit, Romam usque eidem Generali misso; quod per jocum, utque in hisce legendis Lectori tedium levetur, apponere hic placuit, estque sequens.

La vertu n'est donc pas de la terre exilée !  
 De l'y trouver encor mon ame est consolée.  
 Au Sein de Vintimilhe elle a gravé ses traits.  
 Qui peut la méconnoître, avec tous ses attraits.  
 Adouci ta rigueur Préjugé trop sévère :  
 L'honneur ne depend point des etats qu'on révère,  
 Des armes d'un Cesar, tel se voit décoré,  
 Qui sous un autre habit seroit deshonoré.  
 Dans son froc qu'à l'excès notre Siècle déteste  
 Un Carme ne peut-il être juste & modeste?  
 Vintimilhe en devient un exemple éclatant,  
 Périsse tout mortel, qui ne l'est pas autant.

1767. Die 2. Aprilis ejusdem anni [S. J. nimis memorandi] Je-faitæ omnes ab Hispaniis ejiciuntur, cunctisque Catholici Regis Domini-niis, Pragmatica Sanctione; qua e contra aliorum Regularium Ordinum doctrinam, fidelitatem, Monasticam legum observantiam, atque in Sa-cramentis administrandis zelum laudat Rex atque commendat.

In lacem prodiit hoc anno octavus, & ultimus Tomus Cursus Theo-logici, cui titulus: *Encyclopedion Theologicum Scholastico-Dogmaticum, junta mentem Joannis de Baccone*: a docto, atque erudito Viro Petro Andrea Gaugi, nunc Socio Generali, & a Secretis pro Italia, ad Ordinis Scholarum usum elaborati; atque Generalis Prioris jussu, & expensis typis editi, tum ut Carmelitæ Juvenes in doctrina essent concordes, tum ut Studentibus scribendi, Lectoribus legendi tolleretur incommodeum.

S. P. Clemens XIII. Generalis Ordinis Procuratoris postulatibus, Rescripto diei 1. Augusti Officium, cum Missa S. Prophetæ Eliæ [jam non solum pro Ordine nostro, sed etiam anno 1752. pro Regno Bosniæ adprobatum, & concessum], omnibus peculiariter pertinentibus recitari, concedit. Bull. ibid.

Hujusmodi Concessionis vi complurime sunt ad hunc usque diem Diœcœfes, quæ extensionem illam efflagitarunt, atque obtinuerunt.

at  
ion

is a  
] inas m.  
P. 193



LXVIII.

*F. Josephus Ximenez Regalis Caesaraugustani  
Conventus in Regno Aragoniae Alumnus in Comu-  
tatis Generibus Romae habitis unanimi om-  
nium voto Prior Generalis Carmelitarum  
electus die XXI. Maij MDCCCLXVIII.*

*in dñi o' pinc.*

*C. inc.*

## LXVIII.

## JOSEPH ALBERTUS XIMENEZ.

**G**eneralium Carmeli Chronologiam claudit Joseph Albertus Ximenez, natione Hispanus, Aragonia Provincia Professus, & Cæsaraugustani Conventus Alumnus. Præstans-tissimus hic Præful anno a Partu Virginis MDCCXIX. vi. Idus Septembris e nobilissimis ortus est Parentibus, ac de genere illorum, qui Ynfanzones, & Hijodalgos de los quatro Quartos apud Hispanos dicuntur. Sed hæc omnia nihili facient ipse, veram nobilitatem sibi comparare contendit, que a sola virtute est: *Nam genus, & proavos, & que non fecimus ipsi, Vix ea nostra voco;* hinc tertio ætatis lustro vix emen-  
so, Sacro Mari-Eliano Ordini nomen dedit in Regali, in-  
clytoque Cæsaraugustæ Coenobio, ubi & Tyrocinium exple-  
vit, & Religiosa Vota emisit die 10. Novembris anno Sal. 1735. Philosphicis deinde, ac Theologicis Disciplinis apprime im-  
butus, diu easdem Sodales suos docuit, usquequo, studiorum  
curriculo juxta Hispanicarum Provinciarum Municipales leges  
laudabiliter absoluto, Magistri, ac Doctoris Laurea fuit de-  
coratus, anno nimirum 1760. Interim in insignioribus Hispa-  
niz Ecclesiis Dei Verbum protulit, coram etiam Supremo  
Catholici Regis Consilio conciones habuit, & quidem maxi-  
mo cum omnium plausu. A variis Hispaniz Præfulibus suos  
inter Synodales Examinatores adscitus est; atque a Pontifi-  
cio apud Catholicum Regem Nuntio suus, & Apostolica  
Nuntiaturæ Theologus renunciatus; quo munere fuit quoque  
a Serenissimo Cardinale Duce Eboracenfe Romæ insignitus. An-  
no deinde 1762. Aragonia sua Provinciaz Socius electus,  
Generalibus Comitiis Venetiis celebratis intersuit, iisque abso-  
lutis, Romanam se contulit. Atque hac in Urbe, Terrarum  
Or-

Orbis Principe, voluit Deus virtutes, ac merita Josephi, qui usque adhuc intra Provinciæ suæ fines latuerat, patefacere, eumdemque singulari Providentiæ ductu ad supremum Religionis gradum extollere.

Ac primo quidem, quum vacasset paullo post præfati Capituli celebrationem Socii, ac Secretarii Generalis pro Hispanica gente munus, ob unius obitum, & alterius abdicationem, fuit Ximenesio nostro a Ventimiglia Generali idem munus collatum. Anno deinde 1765. cum provinciam hanc sibi demandatam numeris omnibus absolveret, en vacat etiam, ob Christophori de Palma obitum, Generalis Ordinis Procuratio, & loco ipsius ab eodem Ordinis Capite Josephus noster suffectus est. Idque munus quanta cum laude, ac Religionis utilitate exercuerit, vix sane dici potest. Quæ enim sollicitudo, zelus, ac vigilantia ipsius fuerint, satis superque testantur tot Brevia, Rescripta, ac Gratiaz, per ipsum Ordini a Sancta Sede concessa, quæque omnia in iv. nostri Bullarii Tomo referuntur: atque etiam testes sunt duo postremi Carmelitani Bullarii Tomi, Ordini nostro tam utiles, & jam pridem exoptati, sumptibus suis in lucem editi: quorum alter Tomus Bullas, aliaque vetera monumenta duobus aliis præcedentibus Tomis omissa, continet; alter vero cunctas Bullas, ac Pontificias Concessiones ab anno 1718. usque ad annum 1768. emanatas, complectitur; quæ omnia magno labore, & impensa a reconditoribus Romæ Archivis erui curavit. Quo sane factum est, ut ob summam ejus in agendo dexteritatem, cum animi sui magnitudine conjunctam, amorem sibi, atque existimationem non modo apud suos, sed etiam apud exteris, Administros, Prælatos, Cardinales, ac Summum ipsum Pontificem Clementem XIII. conciliarit.

Interea coacto Romæ Generali Capitulo anno 1768. communis approbatione, unanimisque omnium suffragiis, nemine pror-

prorsus discrepante (raro admodum exemplo, & nondum auditio), ad supremam Ordinis Præfecturam Albertus noster electus est; ejusque Electio nedum Ordini, sed universæ etiam Romæ adeo arrisit, ut gratulationes, laudesque ipsius Supremi Ecclesiæ Antistitis meruerit.

Exeunte primo sui Generalatus anno, ex Urbe Ximenesius Neapolim profectus est, atque hinc in Hispaniam, ubi maxima cum humanitate Madriti exceptus est, tum ab illius Aulæ Proceribus, tum ab ipso Catholico Rege Carolo III.; a quo etiam Hispaniarum Magnatis honoribus fuit decoratus: præterea negotia magni momenti eidem commissa sunt, omnianque magna cum laude, ac Regis voluptate executus est; atque Pastore viduato insigni Cordubæ Episcopatu, fuit & ipse unus ex tribus a Regali Consilio ad Ecclesiam illam nominatis; quemadmodum gestum quoque fuerat pro Segobrigensi, ac Septensi Ecclesiis. Pro Ordine vero suo concivit hoc tempore Capitula, Provincias visitavit, novasque condidit leges ac statuta, ad bonum earum regimen impræsentiarum magis accommodata, & a Regia Potestate probata valde, atque laudata.

Ceteras Generalis nostri laudes dicant alii; interim appreciamur nos, ut

*Protegat Omnipotens, pietatis munere: stobis  
Longævum & præstet, quem dedit esse Patrem.*

*Res memoria dignæ sub Ximenes regimine.*

1768. **S**ueto Pentecostes tempore Generalia Comitia in S. Marie Transpontinæ de Urbe Castobio habentur; Cardinale Friderico Lante Ordinis Patrono presidente. In iis rara animorum concordia, atque unanimis suffragiis Joseph Albertus Ximenes Generalis Prior creatus est, ab eoque Generalis Procurator Albertus Ercolini Venetus nominatur, jam antea Socius, aq. Secretarius Generalis Italicæ, sive Venetae Provinciæ Præfctus, atque illius Patriarchæ Syholalis Examinator.

Ad novi Ordinis Generalis Prioris preces , S. Ecclesiaz Pontifex Clemens XII. quam amplissimas gratias , ac facultates Capitularibus concedit , sequenti Apostolico Rescripto , sub die 28. Maii 1768. emanato .

„ Sanctissimus , Oratoris precibus annuendo , eidem , ejusque Prædecessori , ac moderno Procuratori Generali facultatem tribuit benedicendi sexcenta sacra Numismata , seu Imagines Sanctissimi Domini Nostri JESU CHRISTI ex ære tamen aliove metallo confecta , confectas que cum applicatione Indulgentiæ Plenariæ in articulo mortis , totidemque Coronas precatorias cum applicatione Indulgen. D. Birgittæ nuncupat. pro unoquoque eorum ; Vocalibus autem aliisque quatuor enunciatis (in precibus) Sacerdotibus tercentum sacra Numismata , seu Cruces totidemque Coronas precatorias , ut supra arbitrio uniuscujusque distribuen. , & ab unoquoque respective lucran. in forma consueta , & ab Apostolica Sede præscripta . Præterea Oratori , ejusque Prædecessori , modernoque Procuratori Generali , Indultum personale Altaris privilegiati tribus vicibus in qualibet hebdomada ; prædictis vero Vocalibus , ac Sacerdotibus , duabus vicibus in qualibet hebdomada concessit . Dummodo hujusmodi Vocales , ac Sacerdotes intuitu hujus Indulti nihil percipient præter consuetam manualem eleemosynam . Prædictis denique omnibus , & singulis , Indulgientiam Plenariam , ab ipsis , eorumque consanguineis , & affinibus usque ad tertium inclusive gradum , & ab aliis centum personis , ab unoquoque eorum , designandis , in uniuscujusque mortis articulo lucran. in forma confusa , atque præscripta benigne est impertitus . Voluitque Sanctitas Sua , supradictas gratias iis quoque suffragari , qui alias præfatam facultatem benedicendi , ac Indultum personale Altaris privilegiati , occasione aliorum Comitiorum Generalium obtinuerunt . Contrariis quibuscumque non obstantibus .

#### C. CARD. REZZONICO.

Inter cetera in eo Capitulo statuta , a cunctis Capitularibus approbatur , confirmaturque Decretorum præcedentium Collectio , a Generali Ventimiglia digesta , atque in lucem edita ; & quoad futurum tempus : ad præcavendum [ ut in Actis legitur ] eorumdem Decretorum multitudinem onerosam , & interdum etiam manifestam ad invicem oppositionem , sancitum est , instante eodem Generali Ventimiglia , Decreta Generalium Capitulorum , quæ deinceps condentur , servanda quidem usque ad subsequens Generale Capitulum ; ceterum perpetue

„ le-

„ legis indolem , ac naturam , ea non habere , nec iaducere obligatio-  
 „ nem , nisi in Generali Capitulo semel proposita a duobus aliis Capi-  
 „ tulis confirmantur . Præterea circa Decretum , in eadem collectione  
 §. 19. num. 145. relatum , ubi dicitur , Patentales Filiationis Litteras a  
 Generalibus dari solitas , nonnisi specialibus Benefactoribus prodesse :  
 „ Explicatum est communicationem spiritualium bonorum , quæ in eis-  
 „ dem litteris exhibentur , prodesse primo , & præcipue iis , qui propter  
 „ beneficia Ordini impensa , Benefactoris titulum habent , & rem : at  
 „ vero prodesse etiam quibuscumque aliis personis , quibus ex benepla-  
 „ cito Priorum Generalium conceduntur . Ex Papy. Ord.

Sub idem tempus , Deo permittente , in poenam forsitan eorum aliquatenus relaxata Regularis Disciplinæ , magna commota est tempestas contra omnes Regulares Ordines , eo funestior , quo magis undique , atque a potentioribus Viris agitata ; qui tamen pientissimi , ac Religioni maxime addicti , aliud sane animo non habent magis infixum , quam primævam Ordinum Disciplinam restituere .

Cœpit molestissima hæc procella a Veneto Dominio , ubi a Sernissimo illo Magistratu die 2. Septembris hujus anni Edictum publicatur , quo primum Regularibus ab Episcoporum jurisdictione Exemptio ausertur . Secundo Regularibus Præsulibus mandatur , ne contra delinquentes Subditos Processus instruant , sententias ferant , poenasve statuant , præterquam si de canonics pœnitentiis agatur ; & per consequens omnes Cœnobiorum Carceres everti jubetur . Tertio cavet hoc Edictum , ne Religioni ascribantur , nisi adolescentes saltem ætatis viginti , & unius annorum , neque ii ante annum vicesimum quintum ad Religiosam Professionem admittantur .

Eo Edicto publicato , S. P. Clemens XIII. , præter hortatorias Litteras Reipublicæ scriptas , alias ad Venetiarum Patriarcham , cunctosque Veneti status Episcopos mittit , quibus eos admonet , ut exemptiones Regularibus Ordinibus ab Apostolica Sede concessas , strenue tueantur , nec quisquam eorum ordinariam jurisdictionem , unde Romani Pontifices eadem Ordines subdunerunt , in eos exerceant . Et denique per Sacram Episcoporum , & Regularium Congregationem cunctis Generalibus Ordinum , sive etiam Carmelitarum Generali , mandat Pontifex , unumquemque , & omnes eorum Regulares Familias Veneti Domini admonere , ut pergent recognosci , uti immunes , & Sanctæ Sedi proxime subiecti , quemadmodum hucusque fuerunt . Sed omnia quidem incassum . Edictum , & Pontifica Brevia , sive Epistolas refert Auctor Histor. hujus

anni Amsterodami , sive potius Venetiis editæ , vulgo *Mercurio d'Italia*.

1769. Ineunte hoc anno Ordinis Generalis Prior in Hispaniam profectus est , ubi Madriti cum primum publice ad Regiam Aulam Catholicum Regem veneraturus se contulisset , Hispaniæ Magnatum primæ Classis honoribus , nempe caput coram Rege operiendi , cunctis Ordinis Generalibus a Carolo II. perpetuo concessis , decoratus est . Celebritas hæc maxima cum pompa peracta , Patrino Excellentissimo Duce de Aliaga , atque de Hijar , in Festo B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli contigit , die ab ipso pientissimo Rege condicte . *Ex Relat. Matriti impressa.*

Eodem anno alio Edicto quamplures Regularium Conventus in Veneto Dominio supprimuntur ; quos inter Ordinis nostri numero duodecim : nempe quinque Venetæ Provinciæ , & Mantuanæ Congregacionis septem . Quod deinde in quibusdam aliis Dominiis gestum est .

1770. Rarum sane Christianæ pietatis exemplum exhibet hoc anno nedum Galliæ , sed toti etiam Terrarum Orbi Principissa Aloysia , Christianissimi Regis Ludovici XV. Filia , annum etatis agens tricesimum , & quintum . Ea enim , insalutata Aula , unoque Regali Parente haud incio , in S. Dionysii Carmelitanarum Monasterium se confert , ubi sacras Carmeli induit lanas , maximaque cum pietate Religiosæ , ac feverissimæ Monialium illarum vitæ subjicitur . Deinde expleto Novitatu , ab Apostolico Nuntio , ad id per Pontificem specialiter destinato , sacram accepit velum , inque ejus manibus sollemnem Religiosam emisit Professionem coram Regali Familia , atque Aula , cunctis tam heroicum facinus cum lacrymis admirantibus . *Ex Histor. bujus anni.*

1771. Die 9. Januarii hujus anni in Capuæ Conventu , magnæ pietatis fama obdormivit in Domino Salvator Pagnatius , anno etatis suæ octogesimo quinto , morum integritate , atque vitæ austерitate clarissimus , Provinciæ suæ olim Provincialis , atque a Generali Cosenæ Capitulo Generalis Ex-Procuratoris titulo , & privilegiis decoratus , Fundator , Pater , ac perpetuus Regalis Monasterii Carmelitanarum Divi Gabrieли Capuani Rector ; in cuius Ecclesiam undecimo post obitum die cadaver ipsius S. Sedis permisso , ac præter Religiosorum multitudinem , Cathedralis etiam Ecclesiæ Canonicorum comitatu , transvectum est , ibique sollemni funerum pompa sepultum . Funebri Oratione ab Januario Pöllani habita , Carmeli Majoris Neapolis Ex-Priore , ac Sacri Theologorum Parthenopæi Collegii Pro-Magno Cancellario .

Ineunte eodem anno 1771. nempe iv. Kal. Februarii horribile incen-

cedium noctu accidit in pulcherrima , atque iaclyta nostri Florentini Conventus Ecclesia ; cuius flam̄mæ brevi operimentum , laquearia recente constructa , picturas , & quicquid pretiosi , sacrique ibidem erat , devorarunt ; ac celebri S. Andreæ Corsini everso Sacello , arque Altari , Arcam etiam , ejusque sacrum Corpus incendissent , nisi admirabili sane prodigo Deus O. M. ab igne illæsum , intactumque servasset .

Insigne hoc Templum jam ab anno 1268. ab Joanne Florentino Antistite fuit erectum , prout scribit Lezana in suis ad illum annuita Annalibus . Magnifica vero S. Andreæ Ædicula , & conditorum effabre elaboratum , Corsinæ Gentis sumptibus anno 1683. constructa fuere ; ubi integrum , atque incorruptum Sancti Corpus , totius Cleri , Populique gratulatione , & plausu per Urbem prius delatum , die 26. Octobris ejusdem anni magna cum celebritate fuit repositum ; cuī interfuerunt quoque octo Episcopi , Pisanus Archiepiscopus , & Florentinus , atque ipse Cosmas III. Magnus Etruriæ Dux cum Aulæ Proceribus , atque Magistratu universo .

Hæc igitur Ara est , ac celebre Templum , quod ignis hoc anno omnino absumpserit : sed quemadmodum cuncti illius deplorarunt incendium , ita omnes nunc , præsertim Magnus Etruriæ Dux Leopoldus , ejusdem reædificationem affectant ; hinc eodem hoc anno die 1. Julij nova a fundamentis erectio jam instituta fuit ; eamque præservido studio prosequuntur Conventus Fratres . Magno huic Ædificio præst Joachimus Pronti Ariminensis , Laicus Carmelita , ob novas mathematicas ab ipso repertas machinas , maxime commendatas .

Die 17. Augusti hujus anni Sacrae Rituall Congregationis Decreto a Summo Regnante Pontifice Clemente XIV. adprobato , Beatorum numero ascribitur ob perantiquum cultum Johanna Scopelli , Mantuanæ Congregationis Monialis Carmelitana , ac Regini Lepidi Monasterii Fundatrix ; in cuius Ecclesia ejusdem Corpus adhuc iac corruptum magna cum veneratione colitur .

1772. Ineunte hoc anno Generalis Ximenez sanctissimas quasdam leges , ac statuta , hisce quidem temporibus satis accommodata , pro Hispaniæ Provinciis condidit , ac typis Madriti edidit ; quæ a Catholico Rege nedum probata sunt , sed etiam maxime commendata , ut Generali ipsi Regius testatur Minister in suo Epistolic infra referendo . Quibus præ ceteris Religiosorum Familias , quæ supra Conventuum sunt vires , imminuit , ac certum illorum numerum statuit , quos Conventus ipsi in posterum alere , & sustentare facile queant . Insuper sex eorum

parvos , inopesque Conventus extinguit , ac supprimit : hac tamen lege , ut reditus , & bona illorum majoribus , vicinioribusque Coenobiis ad jungantur . Quod si ita etiam alibi factum esset , nemo profecto conqueri posset . Regii Ministri Epistolium ad Generalem Ximenez missum sequens est .

Ex.mo y R.mo P.

*He hecho presente al Rey el Impreso , que V. E. me ha remitido de los Decretos , y reducción de Conventos , y Religiosos de su Orden en las Provincias de España . S. M. ha quedado mucho satisfecho del zelo , y actividad , con que V. E. ha ejecutado este importante asunto , y me ha mandado de dar a V. E. gracias en su R. nombre ; Esperando S. M. que de estas Providencias resultara mucho bien a la misma Religion , y al Estado . Todo lo qual partízipo a V. E. de Orden de S. M. para su noticia , y satisfacción C. 21. Febrero de 1772.*

Manuel de Roda .

Eodem anno novæ pro Gallicis Provinciis conditæ sunt Constitutiones , a Christianissimo Rege probatæ , atque a Sancta Sede per Breve Clementis XIV. feliciter Regnantis confirmatæ .

1773. Die 3. Martii hujus anni e vivis excessit Eminentissimus Cardinalis Fridericus Marcellus Lante , nostri sacri Ordinis Protector ; in ejusque locum , universa Carmeli Religione plaudente , a Summo Ecclesiæ Pastore Clemente XIV. Eminentissimus Cardinalis Andreas Corsinus electus est ; nobilitatis genere æque ac pietate , & doctrina præclarissimus , nostro Sanctissimo Fesulano Antistiti Andreas Corsino sanguine conjunctus , eique & nomine , & virtute simillimus .

*Cedant cuncta ad majorem Dei Optimi Maximi , ejusque  
SS. Genitricis Virginis Mariae de Monte Carmelo  
Gloriam , & Honorem .*

TA-

# TABULA CHRONOLOGICA CARMELITANA

*IN QUA*

ab anno 1115. usque ad annum 1773.  
exibentur.

A. C.	Generales.	Procuratores Generales.	Viri sanctissime illustres.
1115.			
1141.	S. Bertholdus.		Ven. Petrus Eremita.
1187.			S. Bertholdus.
1188.	S. Brocardus.		S. Angelus Martyr.
1220.			B. Lanfrancus.
			V. Hieronymus.
1221.	S. Cyrillus.		V. Hieremias.
1223.			S. Brocardus.
			B. Eusebius.
1224.	B. Bertholdus II.		B. Joannes Patriarcha Hierof.
1228.			B. Hierasimus Ep.
1229.			B. Petrus Ep.
1231.	B. Alanus Brito.		B. Angela Boema.
1243.			S. Cyrus Constantinopolit. D.
1244.			B. Enoch Patr. Hierosol.
1245.	S. Simon Stochius.		S. Blafius Ep.
1265.	B. Nicolaus Gallus.		B. Bertholdus II.
1268.			Plures Carm. a Paganis trucidati.
1270.	V. Rodulphus Alemannus.		B. Hilarion Mart.
1273.	Petrus Aemilianus.		B. Alanus.
1276.			S. Simon Stochius.
1290.			Carmelita a Saracenis occisi.
1291.			
1294.	Raymandus de Insula.		B. Nicolans Gallus.
1297.	Gerardus Sereni.		V. Rodulphus Alemannus.
1307.			Carm. ab Infidelibus necati.
1318.	Guido Terrena.		B. Francus. - S' 4
1321.	Joannes de Alerio.		
1330.	B. Petrus de Coesia.	Rodulphus Kelei.	S. Albertus Siculus.
1333.		Joa: Gilbertus.	
1339.		Rodulphus Kelei.	
1342.	Petrus Raymundus Grafs.	S. Petrus Thomas.	V. Guido Terrena Ep.
1345.		Jacobus Martini.	
1348.		Arnoldus Trencka.	B. Petrus de Coesia Ep.
1351.	Joa: Ballistarius.		

A. C.	Generales.	Procuratores Generales.	Viri sanctitate illustres.
1362.		Joannes Triffe.	S. Petrus Thomas Mar.
1365.		Franciscus Bacconius.	B. Franciscus Ep.
1369.		Bartholomaeus Pejoroni.	B. Theodoricus.
1375.	Bernardus Olerius.		S. Avertanus.
1377.			B. Romaeus.
1380.			
1381.	Michael Ayguanus.	Nicolaus de Luca.	V. Bernardus Aureoli Card.
1387.	Joannes de Rande.	Antonius de Janua.	
1388.		Dominicus de Cremona.	
1390.			
1396.		Joa: Cichalensis.	
1405.	Matthaeus de Bononia.	Nicol. Andreas de Luca.	
1411.	Joannes Grossi.	Bernardus Vaquerius.	
1416.		Natalis Benceli.	
1420.	Bartholomaeus Raccoli.		
1431.		Natalis de Venetia.	
1433.	Natalis Benceli V.G.		
1434.	Joannes Faci.	Joannes Signini.	
1438.		Jacobus Pellegatus.	
1440.			
1447.		Paulus de Visconte.	
1450.		Christophorus Martignone.	V. Anonymus Neapolitanus.
1451.	B. Joa: Soreth.	Joannes de Prato.	
1469.			B. Joannes Soreth.
1471.	Christophorus Martignone.		V. Joannes Consobrinus.
1472.			V. Joa: Emmanuel.
1475.			B. Jacobinus a Cravacorio.
1480.			B. Francisca de Amboise.
1481.	Gulielmus de Queru V.G.	Marcus de Monte Catino.	
1482.	Pontius Raynaudus.	Gratianus de Villanova.	
1485.			
1486.			
1491.			
1494.			
1502.	Marcus Reclusius V.G.	Bernardinus Landuccius.	
1503.	Petrus Terasse.	Simon N.	
1512.			
1513.	Baptista Hispaniolus.	Stephanus de Brixia.	
1516.	Joa: Baptista a Situlis V.G.	Egidius Richardus.	
1517.	Bernardinus Landuccius.	Antonius Marinarius.	
1522.			
1523.	Heliodor. Proloemaeus V.G.	Jacobus Chercatus.	
1524.	Nicolanus Audeth.		
1539.			
1548.			
1556.			
1564.	Joa: Baptista de Rubeis.		V. Angela de Arena.
1571.			V. Didacus de Mathia, v. p.76.
1572.			V. Bartholomaeus Carracitus.
			V. Jacobus Bannegas.

A. C.	Generales.	Procuratores Generales.	Viri sanctitate illustres.
1575.		Joa: Baptista Surianus.	V. Bartholomaeus Grajus ; pro
1576.		Joa: Baptista Caffardus.	Fide occisi . De his tribus vid. Vim. Carm. p. 544.
1580.	Joa: Baptista Caffardus.	Timotheus Berardus.	Alii ab Hæreticis interempti.
1581.			V. Petrus Cernovichius.
1582.			S. Teresia.
1587.		Laurentius Laureti.	
1591.			S. Joannes a Cruce.
1593.	Joa: Baptista Chizzola.	Alphius Mattiolus.	
1598.	Henricus Silvius.	Basilius Anguissola.	S. Maria Magdalena de Pazzis. ? ii
1607.			
1609.		Franciscus Voerius.	V. Hieronymus Gratianus.
1613.	Sebastianus Fantonus.	Theodorus Stratius.	V. Stephanus a Purificatione.
1614.			V. Franciscus Yepes.
1617.			V. Michael a Fuonte.
1620.		Gregorius Canalius.	V. Albertus Heilfinger.
1625.	Gregorius Canalius.	Stephanus Barberius.	V. Joa: a S. Sampson.
1626.			V. Franciscus a Gruce. 236
1628.		Leonardus Prioli.	
1630.		Joa: Michael de Rubeis.	V. Joa: Baptista Lezana. 250
1631.			
1632.	Theodorus Stratius.		
1636.			
1642.	Albertus Maffarius.	Hippolytus Sesoldi.	
1645.	Leo Bonfilius.		
1647.	Hippolitus Sesoldi V. G.	Hieronymus Ari.	
1648.	Joa: Ant. Philippinus.	Benedictus Rocci.	
1654.	Marius Ventorini.	Joa: Baptista Lezana.	
1658.			
1659.		Paulus a S. Ignatio.	
1660.	Hieronymus Ari.	Andreas Laus.	
1666.	Matthæus Orlando.	Æmilius Jacomelli.	
1670.			
1674.	Franciscus Scannapiecus.	Ant. Maria Casanova.	
1676.	Æmilius Jacomelli.	Ferdinandus Tartaglia.	
1678.		Angelus Monsignani.	
1680.	Ferdinandus Tartaglia.	Daniel Scoppa.	
1682.	Angelus Monsignani.	Angelus de Cambolas.	
1686.	Paulus a S. Ignatio.	Daniel Scoppa.	
1692.	Joa: Feyxoo de Villalobos.	Franciscus Ximenes.	
1695.			
1696.		Angelus de Cambolas.	
1698.	Carol. Philibert. Barberius.		V. Maria Anna Azavedo. 278
1699.			
1704.	Angelus Cambolas.	Andreas Capero.	V. Seraphina de Deo. 281
1710.	Petrus Thomas Sanchez.	Eliseus Monsignani.	V. M. Anna Emmanuel a C. 286
1714.			S. D. Julius Castaldi. 286
1716.	Carolus Cornacioli.		V. Dominicus Luchesius. 290
1719.			
1720.			S. D. Anastasius Gonzalez. 290
			V. Angelus Paoli. 294
			1722.

A. C.	Generales.	Procuratores Generales.	Viri sanctitate illustres.
1732.	Gaspar Pizzolanti.	Emmanuel Fereyra.	V. Rosa Maria Serio. - 299
1734.		Ant. J. Amabilis Feydean.	S. D. Salvator a SS. Trinitate. 333
1736.			
1728.	A. J. Amabilis Feydeau.	Laurentius Fornarius.	S. D. Victoria Turelli.
1730.	Jacobus Alb. Cavina V. G.		S. D. Maria Angela Virgin. 309
1731.	Ludovicus Benzoni.	Eliseus Monsignani.	V. Maria Perpetua de Lox. 311
1733.			1771. S. D. Augustin. 320
1734.			
1736.			
1738.	Nicolaus Maria Ricchiuti.	Columbanus a S. Spiridione.	S. D. Hieronymus Tertio a J.M. 327
1744.	Aloysius Laghi.	Arsenius Duillie.	
1750.		Emmanuel Barrera.	S. D. Stephanus Pelusius. 331
1756.	Joachim Pontalti.	Bruno Tewis a S. Antonio.	S. D. Gerolamini. 332
1758.			
1762.	Marianus Ventimiglia.	Christophorus Palma.	S. D. Salvator Pagnanus. 340
1763.			
1765.		Joseph Alb. Ximenez.	
1768.	Joseph Alb. Ximenez.	Albertus Ercolini.	
1771.			

*Quae in Tabula hac breviter exibentur, fusiori calamo in Historia-Chronologica  
describuntur; ad quam remittimus Lectorem.*

PRO-

## PROTESTATIO AUCTORIS.

**D**ecretis S. P. Urbani VIII. nec non S. Congregationis S. R. & Universalis Inquisitionis anni 1625. 1631. & 1634. , qua pars est, observantia, ac reverentia obtemperans, miracula, gratias, apparitiones , Sancti , Beati , vel Martyris Elogia , & similia , quæ in hoc Opere continentur , me haud alio sensu accipere , aut accipi ab ullo velle , profiteor , quam quo ea solent , quæ humana dumtaxat auctoritate , non autem divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ , aut S. Sedis Apostolicæ nituntur ; iis tantum exceptis, quæ Romana adprobavit Ecclesia . Sic sancte Profiteor , atque Protector .



### ERRATA

- Pag. 2. lin. 22. Wernerus  
16. lin. 14. texisset  
19. lin. 28. Sanctissima  
72. lin. 13. Palydoniam  
159. lin. 27. Raymundo  
176. lin. 4. anno 1717.  
185. lin. 27. tam quia  
189. lin. 15. Sadodeti  
228. lin. 8. anno 1291.  
236. lin. 7. Ciroffi  
285. lin. 8. anno 1702.

### CORRIGE.

- Wernerus .  
texisset .  
Sanctissimæ .  
Palinodium .  
Raynaudo .  
anno 1517 .  
tam quia .  
Sadoteti .  
anno 1290 .  
Ciraffi .  
anno 1705 .

Errata alia Lectorum iudicio, & benignitati corrigenda relinquimus .

107. lin. 12. quæ  
140. lin. 19. horam  
170. lin. 12. ante  
218. lin. 30. post cataphractæ  
In Tab. Chron. post an.  
1369.
- quem.  
per horam .  
post .  
adde , non laferant ;  
adde 1373. S. Andreas Corsi-  
nus E.

















